

LEON

DAD A  
CIÓN G

le  
r  
r  
e  
r  
ai  
e  
i

J  
o

**BX1757**

**.L547**

**1845**


**v.6**

**c.1**

230

*José Angel Benavides.*

E#2-6#42



THEOLOGIA

MORALIS.


UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



1080042511



# THEOLOGIA

MORALIS

BEATI A.-M. DE LIGORIO.

EDITIO NOVA EMENDATA,  
CUI NOTÆ ACCEDUNT AMPLISSIMÆ

CURA ET STUDIO

DOMINI RECEVEUR,

PROFESSORIS IN SOBONA.

TOMUS SEXTUS.

PROSECUTIO TRACTI, DE POENITENTIA, DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE,  
DE MATRIMONIO.



PARIS,

PARENT-DESBARRES, EDITEUR DE L'ENCYCLOPÉDIE CATHOLIQUE  
RUE CASSETTE, 23.

1845.

53520

FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA  
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

est tam pro se, quàm contra se. Sed non alienum à ratione mihi videtur id quod dicit *Elbel l. c.* nempe quod si Confessarius notitiam habeat alicujus peccati ex certa relatione aliorum, tunc non posset absolvere pœnitentem illud negantem: revera enim, si istius crimen mihi referrent testes tam graves, qui de eo me redderent moraliter certum, et ex alia parte certus essem quod pœnitens non potuerit oblivisci, nec ullam causam reticendi habeat, tunc non audeam huic absolutionem impertiri: nam regulam illam quod credendum sit pœnitenti, dico procedere quidem in re dubia, non verò in re moraliter certa; moralis etenim certitudo vera certitudo est.

Si autem Confessarius noverit peccatum ex Confessione alterius, tunc utique non poterit specialiter pœnitentem de illo interrogare, nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantùm poterit generatim interrogare; et hoc dico, quod Confessarius non sit nimis in interrogationibus repetendis, quia in hoc etiam esset periculum revelationis. Ita communiter *Laym. Spor. Bus. etc.* ut supra. Non improbabiler tamen dicunt *Nao. Man. c. 8. num. 17. v. 21. cum Sylo. et Laym. Spor. ac Holzm. II. cit.* quod si aliquid peccatum sit commune talibus personis, possit de eo speciatim interrogare, prout in sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel saltem in pravas cogitationes. An autem possit Confessarius casu quo complex se confitens neget peccatum, illum absolvere? Affirmant posse, et debere *Lug. dict. num. 21. Anacl. p. 618. n. 42. cum Gob. et Herinca, ac Dian. p. 5. tr. 11. R. 21. Elbel autem p. 14. n. 44.* censet debere absolvere sub conditione. Sed melius meo iudicio sentit *Croix num. 1969*, citans *Suar. Dic. et Ills.* quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantùm aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis. Et huic adhæret *Vioa l. c.* dum dicit, quod cum Confessarius prudenter judicat pœnitentem sacrilegè negare peccatum, non debet eum absolvere.

652. — « 3. Interrogationes in materia castitatis debent esse » paucæ, et cautæ, ne vel occasionem det investigandi, aut tra- » ducendi confessionem, aut ignorantem doceat, aut offendat, » aut se, vel illum periculo exponat. Ac si hæc timeat, potius » debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hæc » materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: » rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati » fatentur: quod illas non æquè agnoscant, aut advertant. Vide » *Laymann hic cap. 13. Conin. dist. 7. dub. 7. Fagund. præc. 4.* » *l. 4. c. 2. Dian. p. 3. t. 4. R. 99.*

## CAPUT III.

## DE ADJUNCTIS PŒNITENTIÆ.

## DUBIUM I.

## Quid sit sigillum Confessionis, et qui ad illud teneantur.

653. An in hac materia sigilli liceat uti opinione probabili? — 654. Quo- modo servari debeat sigillum? — 655. Quot peccata committat qui sigillum violat? — 656. Non est obligatio sigilli ex Confessione ficta, neque ex secreto commissio extra Confessionem? — 657. I. Quid, si pœnitens discesserit indispositus? II. Quid in dubio, an dixerit aliquid intra vel in ordine ad Confessionem. — 658. In quibus casibus non frangatur sigillum? — 659. An Confessarius possit et teneatur dare pœnitenti non absoluto schedulam Confessionis factæ, vel absolutionis acceptæ? — 640. Quæ cadant sub sigillo? Cadunt. I. Peccata pœnitentis etiam venialia. II. Peccata complicitis. An liceat interrogare de complice (*Remissivè ad num. 491.*) — 641. Dub. 1. An liceat monere complicem ex licentia pœnitentis? Dub. 2. Quomodo cadit sub sigillo etiam objectum peccati? III. Cadit penitentia imposita. IV. Cadunt peccatorum circumstantiæ. An cadant virtutes, et revelationes? — 642. An cadant defectus naturales pœnitentis? — 643. Quid, si tales defectus per se pateant, nempe si pœnitens sit blæsus, surdus, etc.? — 644. Quid, si sit scrupulosus? Et quid, si Confessarius advertat intra Confessionem pœnitentem esse surdum? — 645. Qui teneantur ad sigillum? Tenetur, I. Confessarius. — 646. Quomodo debeat Confessarius respondere, si interrogetur, an audierit aliquid peccatum, vel an absolverit? — 647. II. Superior requisitus pro licentia peccati reservati. III. Interpres. IV. Qui audit Confessionem furtive aut casu, vel ex necessitate, putà in naufragio, etc. V. Is, cui sacrilegè revelatum est peccatum. VI. Confessarius fictus. VII. Doctor consultus. VIII. Scriptor Confessionis. IX. Confessionem scriptam legens. X. Juxta aliquos etiam pœnitens, sed hoc improbabiler — 648. Fusius discutitur quæstio I. An Doctor consultus à Confessario de licentia pœnitentis teneatur ad sigillum? — 649. Qu. II. An teneatur is, quem consultit pœnitens pro Confessione faciendâ? — 650. Qu. III. An qui legit Confessionem alterius scriptam? — 651. Quomodo debeat esse licentia data à pœnitente ad loquendum? Debet esse I. Expressa. II. Libera. III. Non revocata. IV. Sufficit autem, si detur voce. V. Vel si detur factò, scil. si pœnitens incipiat loqui. — 652. An Confessarius possit loqui de peccatis cum pœnitente statim post absolutionem? An possit monere pœnitentem de errore in Confessione commissio? (*Remissivè ad num. 622.*) — 653. An possit loqui intra Confessionem de auditis in aliâ? — 654. An frangat sigillum Confessarius, dicendo se audivisse in aliquo loco tale peccatum? Dub. I. An violet sigillum manifestans peccata alicujus loci? Dub. II. Quid, si dicat, Religiosum alicujus Conventus, vel Ordinis commisisse tale peccatum? — 655. An liceat uti notitia Confessionis ad externam gubernationem? Vide

quæ sunt ap. Busemb. — 656. Dub. I. An Confessarius, ob peccatum a subdito auditum, possit eum amovere ab officio? — 657. Dub. II. An possit negare suffragium ei, quem ex Confessione noverit indignum? Et an ad hoc possit uti aliquo prætextu? An Confessarius possit uti notitia Confessionis ad custodiendas res suas, aut diligentius invigilandum, aut ad alia? — 658. Dub. III. An possit negare Communionem, aut Ordinem, aut assistentiam in Matrimonio pœnitenti sine absolutione dimisso? — 659. Dub. IV. An possit uti notitia Confessionis ad cavendum ab insidiis sibi paratis? An possit se celare à pœnitente, quem per Confessionem alias noverit in plura crimina solere prolabi, etsi alii relationem non advertant? Et an possit aufugere à pœnitente indisposito, qui eum minis extorret, si non absolvat? — 660. Dub. V. An possit celebrare in Ecclesia, quam ex Confessione noverit pollutam? Dub. VI. An tenearis pergere ad confitendum ei, quem sciveris ex Confessione non esse confessarium. — 661. Confessarius non tenetur cavere quascunque leves suspensiones aliorum.

655. — ANTE omnia pro dilucidatione quæstionum, quæ infra apponentur, videndum an in hac materia sigilli sacramentalis liceat uti opinionibus probabilibus? *La Croix l. 6. p. 2. n. 1946, ex Diana, Gobat, et Stoz, citatis præced. n. 1945, tantum dicit expedire, quod sequamur sententias faventes sigillo. Sed melius Vioa in Append. ad Propos. damn. §. 9. circa fin. ait neminem posse uti scientia habita ex Confessione, nisi certum sit moraliter (aut saltem certè probabilissimum) quod ex tali usu nulla eveniat Confessionis revelatio, et nullum pœnitenti gravamen. Ratio, tum quia hoc expetit reverentia debita Sacramento (sed hæc prima ratio non satis convincit, cum plures et graves DD. ut *Sanch. Pontius, Vash. Salon, et alii citati Tom. 1. l. 1. n. 32, doceant non esse obligationem reddendi Sacramentis prout cæteris præceptis divinis, reverentiam plusquam probabilem); tum quia aliter probabile gravamen pœnitenti inferretur, ob quod Confessio odiosa ei redderetur. Et hæc ratio quidem valde urget; ut enim dictum est *Tom. 1. l. 1. n. 33, non est licitum uti opinione probabili in præjudicium juris certi quod alter possidet; pœnitens autem possidet jus, ne occasione suæ Confessionis ullum patiatur gravamen. Quidquid igitur alibi dixerim, re accuratius perpensa, puto hic omnino dicendum, non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum pœnitenti gravamen inferri.***

654. — « Resp. I. Sigillum, hoc est obligatio juris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem pœnitentis, dicta in confessione (id est in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum, vel odiosum. »

Unde resolves:

655. — « I. Violatio hujus sigilli duplicem habet malitiam; » Sacrilégii, contra reverentiam Sacramento debitam, et in-

» justitiæ, ex pacto virtuali inter pœnitentem et Confessarium » de secreto isto servando omni casu. *Dian. p. 5. t. 11. R. 2. ex Fagund. Kellison. etc. Neque hic datur parvitas materiæ. Dian. p. 5. t. 5. R. 8. ex Malder Baldell. etc.* (Melius dicendum quod triplicem habet malitiam, nempe sacrilégii » contra Sacramentum, infidelitatis gravis, cum ex parte Confessarii intercedat onerosa, quamvis tacita, promissio secretum » servandi; item detractionis, si peccatum non sit publicum. » *Ita Sporer, Ronc. Croix, et alii communiter.* )<sup>o</sup>

656. — « 2. Non inducitur hæc obligatio I. Per confessionem » factam fidei, v. g. ad furandum, illudendum, vel Sacerdotem » pervertendum (vel ad se conquerendum), etsi hoc casu » adhuc prudenter tacendum sit. Vide *Dian. p. 5. t. 11. R. 26.* » (Est commune cum *Holz. n. 703. Conc. p. 737. et aliis passim.* )<sup>o</sup> 2. Si quis extra confessionem accipiat aliquid sub » sigillo confessionis; quia tantum est obligatio secreti naturalis » gravior, aut levior, pro rei exigentia. (Ita etiam *Conc. et Holz. ll. cc. ac Nav. Man. c. 8. n. 18. cum Innoc. Panorm. Cajet. Soto, et communi.* )<sup>o</sup> »

657. — Nota hic I. Quod Confessarius tenetur ad sigillum, etsi pœnitens discedat indispositus, modo iste dixerit peccata ad obtinendam absolutionem: Ita *S. Th. in 4. D. 21. q. 3. art. 1. ad 1. Lugo d. 23. n. 45. Conc. p. 737. n. 5. Ronc. p. 99. q. 2. Holz. n. 703. Spor. n. 809. et Salm. de Pœnit. c. 14. n. 15. ex communi.* Notandum II. Quod adhuc in dubio an aliquid sit dictum à pœnitente in ordine ad Confessionem, Confessarius teneatur ad sigillum. *Suar. et alii apud Salm. c. 14. n. 18. communiter; item Bon. q. 6. p. 2. n. 4. cum Reg. Graff. Suar. et aliis; item Renzi p. 320. q. 6. Tamb. c. 3. n. 29. Mazz. p. 582. Croix n. 1946. cum Regin. et Schilder. contra Baldi.* Ratio, quia aliàs redderetur odiosa Confessio, dum alioquin plura peccata revera in Confessione audita, ob defectum memoriæ, et hallucinationem Confessarii possent impunè manifestari.

658. — « 3. Non frangitur sigillum. I. Si in genere dices, » Titium tibi confessum esse venialia, aut esse probum, innocentem, modo non dicas in iis circumstantiis, ex quibus colligi » possit, alios esse nocentes, vel confessos mortalia. II. Si dicas, » N. tibi esse confessum, etsi in certis circumstantiis hoc quoque » periculosum sit, *Laym. c. 4. n. 21.* Imò si pœnitens verbo, vel » facto (v. g. clam accedendo) significaverit se nolle sciri, quod » sit confessus, Confessarium revelare sigillum volunt *Reg. Navarra. et Mercer. apud Dian. t. 5. tr. 11. Resol. 47.* (Et rectè » consentiunt *Sporer n. 825. et Holz. n. 708. cum aliis.* )<sup>o</sup> quia » pœnitens confitendo Confessario extraordinario veniret in suspensionem gravioris criminis, quod *Tamb. in append. c. 3. dubiè* » confirmat, asserens se vereri, ne talis accedat ad fractionem » sigilli. III. Si peccata ita referas, ut, moraliter loquendo, » persona innotescere non possit; neque communitas aliqua etiam » parva infametur, ut quod ibi talia vitia regnent. Vid. *Dian.*

lib. 2. tr. 15. Resol. 13. id enim esset contra sigillum. \* ( Vide infra n. 654. ) \* Unde Turian. apud Dian. part. 5. tract. 11. R. 45. et Tamb. in append. c. 3. reprehendunt Superiorem localem, qui Provinciali fortè dicat, in sua domo sæpe postulari licentiam absolventi à reservatis; quia potest redundare in ignominiam, et damnum domûs; etsi idem Tamb. c. 4. n. 2. dicat probabile esse, quòd non sit contra sigillum si dictæ licentiæ petitiæ fuerint extra Confessionem. IV. Si utaris notitia extra confessionem acquisita, imò ipsum peccatum, quòd aliunde tibi innotuit, aperias, modò nullam circumstantiam ex sola confessione notam, nec certius referas, quàm extra confessionem nosti, quo in casu opus est magna cautela, et tutissimum est silere. Laym. c. 14. n. 16.

659. — « 4. Quando plures, v. g. studiosi, vel aulici, etc. tenentur ferre testimonium confessionis, Confessarium teneri id dare, etiam iis, quos non absolvit, docet Con. disp. 6. d. 1. Fag. et Dian. p. 3. tr. 15. R. 22. tum ne id negando prodatur aliquo modo sigillum, et pœnitentem; tum quia dando non mentitur, cum tantum testetur esse confessum. Verùm Bon. d. 5. q. 6. p. 4. et Card. de Lugo d. 23. s. 4. docent, tali schemam negare non esse contra sigillum, idemque concedit Avers. p. 18. s. 2, si non constet pœnitentem accessisse ad hunc Confessarium; tum quia nihil dicit, sed tantum non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur, nec quidquam facit, ex quo possint cognosci delicta pœnitentis, tum quia aliàs via aperiretur fraudibus, et multi improbi Parochos in Paschate deciperent, tum quia potest esse consuetudo, ut scribatur absolutum esse quod falsum erit, si scribat, et si omittat, sigillum franget; tum quia scandalosum erit, et iniquum publicæ meretrici perseveranti ( uti et occulto peccatori, sic palianti suam iniquitatem ) testimonium dare confessionis; neque Confessario imputandum erit, quòd eam positivè non defendat. »

Probabilius est et communius, quòd, si in schedula scriptum sit pœnitentem tantum esse confessum, schedula sit concedenda ut tenent Laym. de Pœnit. c. 14. n. 8. Auctor. de Offic. Conf. ap. Croix q. 3. Sporer de Pœn. c. 7. n. 839. Ronc. c. 7. q. 4. Elbel n. 492. Croix n. 1994. et Holzm. n. 708. cum Stoz, et Diana, quia negare schedulam, idem esset ac indirectè revelare eum non esse ritè confessum. Et hoc est contra Bonac. q. 6. s. 5. p. 4. n. 7. qui ait negandam esse, et contra Lugo d. 23. n. 87. qui cum Henria. dicit posse negari, quia, licet Confessarius non possit revelare peccatum, non tenetur tamen testimonio positivo illius Confessionem approbare. Sed huic rationi non acquiesco, quia, esto non teneatur cooperari ad approbationem illius Confessionis, tenetur tamen vitare indirectam revelationem, quæ negata schedula, vitari non potest. Secus verò si Confessarius in schedula deberet scribere pœnitentem non solum esse confessum, sed etiam absolutum; quia cum mendacium sit intrinsicè malum, nunquam proferri potest, ut communiter docent DD. Lugo d. 23

n. 87. Pal. de Pœn. p. 5. n. 13. cum Croix, Sporer, Ronc. Laym. ll. cc. Si tamen schedulæ essent jam typis editæ, ubi asseratur absolutio impertita, videtur probabile ( ut aliqui recentiores dicunt ) tradi posse confessis non absolutis, saltem si publicè petant, quia tunc Confessarius nullum profert, aut scribit mendacium, sed tantum materiale actum operatur, talem schedulam tradendo.

640. — « 5. Sub sigillum cadunt I. omnia peccata pœnitentis, tam futura, quàm præterita ( si quidem hæc animo se accusandi sint manifestata; secus si per modum simplicis narrationis, vel ut Confessarium ad simile peccatum induceret. Dian. p. 5. t. 11. R. 25. ex Suar. et aliis octo ). Ideoque peccat mortaliter, qui sive directè, sive indirectè aperit aliquid veniale in particulari, etiam leve Titii; quia materia sigilli parvitatem non habet, ut est omnium fere sententia apud Dian. p. 5. t. 5. R. 8. et Tamb. in append. c. 8. \* ( Secus si Confessarius dicat pœnitentem confessum fuisse materiam venialem, non autem plura venialia; Sporer n. 830. Laym. c. 14. n. 6. Holzm. n. 706. et Sabn. c. 14. n. 22. cum Suar. Lugo, Nav. etc. ) \* vel qui in genere dicit, eum sibi confessum esse aliquid mortale, vel casum reservatum, vel excommunicationem, vel non esse absolutum ob indispositionem. Imò Confessorem, qui dicat absolute, Ego Petrum non absolvi, frangere sigillum dicit Dian. p. 5. t. 11. R. 42. ex Suar. et aliis novem. II. Etiam peccata complicis, sive prudenter, sive imprudenter dicta, Suar. Vasq. et communiter apud Dian. p. 3. t. 4. R. 111. An verò liceat interrogare de complice ad ejus correctionem faciendam, illamque ex licentia pœnitentis facere, affirmant Suar. et Fag. contra Bon. Lorcam, Nugnum, et alios Thomistas. Vide Dian. p. 3. t. 4. R. 113. Card. de Lugo d. 16. n. 426, ubi docet posse aliquando pœnitentem à Confessario obligari, et cogi ad manifestandum complicem extra confessionem. \* ( De hoc vide omnino dicta n. 491. ) \* »

641. — Dubit. 1. An possit Confessarius monere complicem de licentia pœnitentis? Prima sententia ( sed non satis probabilis ) negat; et hanc tenent Tamb. Meth. Confess. App. de Sigillo c. 3. n. 7. cum Vasq. item Soto, Palud. Ang. Tann. etc. apud Croix n. 1959, ac probabilem putat Diana p. 5. tr. 11. R. 14. Ratio prima, quia hoc esset etiam contra sigillum, cum etiam peccata complicis sub sigillo cadant. Ratio secunda, quia alioquin Confessio redderetur aliis odiosa, etsi non pœnitentibus. Secunda verò sententia communissima, et vera affirmat, eamque tenet D. Thomas Opusc. 12. qu. 6. ubi docet non licere revelare in Confessione personam complicis nisi salvato ordine correctionis fraternæ. Ergo ex licentia pœnitentis potest Confessarius complicem corrigere. Item S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 29. §. 11. Suar. d. 34. sect. 4. n. 4. Lugo d. 23. n. 138. Pal. p. 19. §. 3. n. 16. Ronc. p. 100. q. 4. R. 2. Diana l. c. et Croix ib. cum Adr. Gers. Nav. Henr. Dic. Aversa, et Illung. Ratio, quia complex ex Confessione



alterius complicitis nullum jus acquirat ad sigillum sacramentale; hoc enim sigillum institutum est tantum in favorem pœnitentium, unde sequitur naturam aliorum Sacramentorum, in quibus jus secreti acquiritur ei soli qui illud committit. Et ideo, sicut solus pœnitens sigillum ponere potest, ita ipse solus potest auferre, et sic respondetur primæ rationi. Nec obstat dicere, quod Confessio sic redderetur alius odiosa: nam revera id tantum reddit odiosam Confessionem, quod pœnitentes à Confessione retrahit, et hoc quidem odium est omnino vitandum ex hujus Sacramenti institutione, non autem quodcumque odium, quod alii irrationabiliter sumerent ex Confessione pœnitentium.

Dubit. hic 2. Quomodo cadat sub sigillo objectum peccati? Respondeo, quod cadat nimirum, si v. g. filius confiteatur se odisse matrem ob illius adulterium, vel non corripuisse fratrem de furto; adulterium enim illud, et furtum cadunt sub sigillo tanquam objecta peccati; ita *Viva q. 10. art. 2. n. 3. Renz. p. 318. q. 2. Fill. c. 11. n. 321. Sporer n. 835. Tamb. de Sigill. c. 3. n. 6.* Probabiliter verò dicunt *Tamb. n. 14. et Sporer l. c.* quod si pœnitens confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso: non teneretur Confessarius ad sigillum, quia cum homicidium sit publicè notum, et per accidens lateat Confessarium, non censetur illud velle sigillo subicere. Cæterum, ubi nullum adest periculum revelationis, vel gravaminis pœnitentis juxta dicenda (n. 636 in fin.) minimè cadit sub sigillo objectum peccati.

III. Pœnitentia imposita, si gravis sit, hoc est, quæ consuevit injungi pro mortali (qualis nunc esset, ait *Dian. p. 5. t. 11. R. 31. Corona B. V. non verò Miserere Avers. qu. 18 sess. 6.*)  
 IV. Peccatorum circumstantiæ, quas taceri pœnitentis interest, etsi dictæ sint post absolutionem, v. g. si spurius sacros Ordines suscepit, si nobilitatem jactaverit, etc. Bona verò pœnitentis et cætera impertinentia, quæ per accidens interponuntur, nec odium Sacramento pariunt, v. g. propositum religionis, vel matrimonii, sæpe quidem, (si nimirum pœnitens ea tecta velit) sub obligationem secreti naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Exciipiunt *Tan. et Con.* nisi pœnitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata: tunc enim sigillo sacramentali claudi tenent cum *Diana part. 5. t. 11. R. 5.* Idem de virtutibus et vitiis affirmant *Gran. contra Regin. et Mald. apud Dian. l. c. R. 30. (Loquendo de virtutibus, et revelationibus, Sa, v. Confessio, n. 32. Bonac. p. 2. n. 11. et N. Henr. ap. Lugo d. 23. n. 58. negant omnino eas cadere sub sigillo, cum non sint materia Confessionis. Sed melius Lugo l. c. Ronc. p. 104. q. 5. Mazzotta p. 581. Croix n. 1947, cum Stoz et Viva, q. 10. ar. 2. n. 2. cum Diana distinguunt, et rectè negant si virtutes, aut revelationes manifestantur in Confessione, ut status animæ Confessario innotescat; secus verò si dicantur ad explicandum aliquem defectum, vel propriam ingratiudinem erga Deum.)*  
 Idem dicunt de defectibus naturalibus (v. g. illegitimè natum

esse) et de vitiis occultis corporis *Con. Hurt. et Kellison.* contra *Gran. Mald. etc.* quia ea sub sigillum cadere absolute aiunt apud *Diana l. c. R. 29.* Item de iis, quæ alios concernunt et tamen peccata non sunt. *Mald. et Dian. l. c. R. 38.* Denique de scrupulis (contra *Conc. et Gran.* qui eos sigillo claudi absolute affirmant, et contra *March.* qui absolute negat) idem tenet *C. de Lugo*, nimirum si pœnitens scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata vel conscientiam afferat, ait cadere sub sigillum, quia est in obliquo saltem materia confessionis. Secus, si non cognoscatur ex pœnitentis relatione, sed videatur et percipiatur, v. g. ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defectibus naturalibus, v. g. quod sit blæsus, rudis, hebetis ingenii, etc. Et sic excusat Confessarium, qui de pœnitente dixit quod impertinentiis, et næniis caput sibi frangat. Vide *d. 23. sect. 3. n. 60. Gran.* tamen id improbat, et *Coninch.* apud *Dian. p. 5. t. 11. R. 50.* ait esse periculosum, et posse facile frangi sigillum indirectè. Denique *Tamb. in app. c. 3.* doctrinæ isti ne quidem ut probabili acquiescit, atque eam à *Dian. l. c.* immèritò vocari communem, cum *Gran. Hurt. Palaus, Banny,* etc. refragentur; aliterque limitans ipse ait: Si isti defectus, v. g. esse blæsum, rudem, scrupulosum, etc. sint passim noti, non cadere sub sigillum, secus si sint ignoti, quia confessio immunis esse debet ab omni odio.

642. — Melius mox prædicta discutienda sunt. Queritur, an frangat sigillum Confessarius qui propalât defectus naturales sui pœnitentis, nempe quod sit ignobilis, pauper, aut ignarus, surdus, et similia? Respondetur: si Confessarius tales defectus noverit, quatenus à pœnitente fuerint manifestati ad explicanda peccata, tunc certè cadunt sub sigillo, ut communiter cum *Busemb.* docent *Suar. d. 33. sect. 2. n. 5. Pal. p. 5. §. 2. n. 6. Lugo d. 23. n. 59. Bon. q. 6. p. 2. n. 10. Conc. p. 739. num. 10. Anacl. p. 627. num. 25. Sporer. n. 841. Croix n. 1947. Mazzott. p. 580. Ronc. p. 103. qu. 4. Salm. c. 14. n. 23. cum Dicast. Conc. et aliis passim, contra Vasq.* Et hoc etiamsi manifestatio dictorum defectuum nihil conferret ad explicationem peccati, sed pœnitens jam illos exponeret ad plenius suam conscientiam manifestandam, ut bene advertit *Croix l. c. cum Lugo, et Stoz.* Secus verò, si Confessarius noverit defectus illos, quatenus pœnitens incidenter, sive impertinenter ad Confessionem eos detexerit, ut etiam communiter dicunt *Fill. tr. 7. c. 11. n. 321. et Shar. Pal. Ronc. ll. cc. Salm. d. n. 23. cum Dic. et Gabr. ac Bon. l. c. cum Conc. Reg. Zerola, et aliis.* Et hoc est valde probabile (quidquid exponat *Renzi pag. 318. quæst. 3. cum Soto, Valet Diana,* quos citat). Ratio, quia, cum pœnitens tales defectus ultro detegat, sine ullo ordine ad explicanda peccata, eos minimè censetur subicere (nec subicere posset) clavibus sigilli, cum ad Confessionem nihil pertineant.

643. — Idem dicunt *Lugo d. 23. n. 60. Navar. c. 8. n. 12. et Mazz. ll. cc. Diana p. 5. tr. 11. R. 50.* (qui vocat communem)

ac *Ronc. l. c. cum Acersa, Fag. et si defectus illi innotescant* Confessario ex actionibus ipsius pœnitentis, sive ex modo confitendi, nempe quod sit blæsus, surdus, rudis, hebetis ingenii, etc. Ratio, ut aiunt, quia huiusmodi defectus tunc non sunt materia, neque pertinent ad materiam Confessionis, cum Sacerdos eos non percipit ex relatione pœnitentis, sed ipsemet videt et apprehendit; unde isti, sicut non dicuntur secretò, ita nec cadunt sub sigillo. Et sic pariter dicit *Lugo l. c.* quod si pœnitens ostendit se naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum, omnes hi defectus, quia non sunt materia Confessionis, cum non audiantur, sed in Confessione fiant, neque cadunt sub sigillo. Sed huic sententiæ meritò contradicunt *Pal. p. 19. §. 3. n. 9. Antoine p. 5. 546. Conc. p. 739. num. 10. Sporer n. 844. Renzi p. 318. q. 3. et Tamb. Meth. Conf. c. 3. n. 18. cum Conc. Gran. Hurt. etc.* Ratio, quia cum defectus illi sint odiosi, et Confessarius eos noverit occasione Confessionis dum pœnitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo Confessionem odiosam, et ab ea retardaret. Tantummodo prima sententia locum habere posset, quando omnino constaret Confessario, pœnitentem ex illius defectûs manifestatione minimè gravari.

Nec acquiesco opinioni *Lugonis*, qui *l. c.* subdit non cadere sub sigillo peccata, quæ commiserit pœnitens in ipsa Confessione, puta impatientiæ, contumeliæ in Confessarium, vel in alios, quia culpas illas pœnitens non confitetur, sed committit vidente Confessario. Neque (dixi) huic acquiesco, quia talia peccata, licet non sint materia sigilli, tamen periculum revelationis involvunt; probabile enim indicium præbent, quod Confessarius, vel noluerit absolvere, vel acriter reprehenderit propter aliquam culpam graviorem.

Præterea dicunt *Tamb. d. c. 3. n. 13. Viva qu. 10. ar. 2. n. 5. Spor. num. 842. et consentiant Wig. tr. 13. n. 128. ac Conc. p. 739. n. 10.* quod si defectus naturales paupertatis, ignobilitatis, et similibus, ita referantur à pœnitente, ut ex adjunctis colligatur eos esse communiter notos, tunc non cadunt sub sigillo, quia tunc non præsumitur pœnitens narrare ipsos nisi ut cognitos, nec velle subijcere clavibus, quando expressè aliter non declarat. Sed huic opinioni etiam meritò non consentit *Holz. pag. 187. n. 706. v. 4.* ob eandem rationem ut supra, quia, cum defectus illi ex peccatorum Confessione cogniti sint à Confessario, manifestatio eorum retardaret pœnitentem à Confessione.

644. — Quod autem dicunt Auctores supra citati de aliis defectibus naturalibus, dicunt etiam de defectu scrupulositatis, nempe posse Confessarium dicere pœnitentem suum esse scrupulosum, si id noverit vel ex modo confitendi, vel si illius scrupulositas sit publicè nota. Sed pariter huic nec acquiescimus cum *Spor. n. 844. et Tamb. n. 18.* qui citat *Con. Gran. Hurt. Pal. etc.* quia eadem ratio currit, cum non pauci ægrè ferant scrupulosos appellari. Tantum id admitti posset, si minimè redundaret in gravamen pœnitentis, prout facilè accidere potest, loquendo de se-

cularibus, qui potius laudantur, cum dicitur de eis, quod sint scrupulosi; hoc enim pro iis qui in seculo versantur indicium est bonæ et timorati conscientiæ. Secus si dicatur de Prælato, Confessario, et similibus, quibus scrupulositas est signum mentis confusæ, et irresolutæ.

Dicitur autem à *Ronc. p. 202. cap. 2. Reg. 1. in praxi* « quod » si aliquis pœnitens communiter dignoscatur esse valde pro- » lixus, inquietus, etc. in aliquo exponendo, tunc quia clarè » appareret Confessarium fugere, ne ab ipsius naturali prolixi- » tate, inquietudine, etc. tædio afficiatur, in talibus circumstan- » tiis fugere non esset fractio sigilli. » Hoc probabiliter admitti potest, si communiter pateat aliis pœnitentem illum esse timorati conscientiæ, ita ut moraliter certò reputent immunem esse à gravioribus culpis.

Petes hîc, quid agere deberet Confessarius, si quis se confitendo de aliqua materia gravi non satis distinctè, Confessarius ideo eum interrogans de circumstantiis, de consuetudine, vel simili, noverit pœnitentem esse surdum, cum minimè adæquatè interrogationibus ille respondet, et contra Confessarius alius vocem extollere nequit, ne alii circumstantes audiant? Respondeo: Si circa initium Confessionis advertat pœnitentis surditatem, imponat ei, ut redeat alio tempore, et loco opportuno, ubi loqui liberè possit Confessarius, ne alii audiant. Et interim patefacere potest alii surditatem pœnitentis, quando talis defectus communiter sit patens. Si verò advertat hoc in progressu Confessionis, et pœnitens post plures debitas interrogationes rectè non respondeat, tunc non licet Confessario alta voce imponere pœnitenti, ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia magna daretur eis suspicio, quod materiam gravem ille sit confessus. Ideoque in tali casu consilium esse puto, quod Confessarius intelligendo peccata meliori modo quo possit, absolvat; absolute quidem, si pœnitens probabiliter censeatur dispositus; sub conditione verò si de dispositione dubitetur. Casum istum apud DD. non inveni, sed obvius est.

645. — « Resp. 2. Ad sigillum tenentur omnes ad quos quomodo- » documque notitia sacramentalis confessionis pervenit: qualis » est I. Confessarius qui, si de auditis in confessione rogetur, po- » test negare, etiam, si opus est, cum juramento, subintelligendo, » quod possit dicere, vel potius (ut dicit *Card. de Lugo d. 23.*) » quod sciat scientia utili ad respondendum interroganti extra » confessionem. Excipit *Henriq. et Granad. cum Dian. p. 5. t. 11.* » R. 43. nisi ex illa negatione sequeretur confessionem non fuisse » integram, v. g. si de publica meretrice rogaretur, an non esset » confessa fornicationem; tunc enim, declinando directam res- » ponsionem, dicendum esset, illam confessam esse peccata sua, et » se functum officio suo. Imò, si peccatum suum salvo sigillo non » possit confiteri, debet omittere; quia sigillum strictius obligat, » quam integritas Confessionis. »

646. — Quæritur, an Confessarius interrogatus de peccato pœ-

nitentis possit dicere illud nescire etiam cum juramento? Affirmandum cum communi, quam tenent *D. Thom. in 4. d. 21. qu. 3. ar. 1. ad 3. S. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 22. Suar. d. 33. sect. 6. n. 7. Laym. c. 14. n. 12. Antoine p. 449. qu. 6. Wig. tr. 13. n. 111. Holzm. n. 722. Pal. p. 5. §. 3. n. 13. cum Nav. Bonac. Val. et Henr. ac Lugo d. 23. n. 73. cum Vasq. (qui opinionem oppositam Gabrielis vocat erroneam) et aliis communiter. Ratio affertur à *D. Thom. l. c. qui dicit: « Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, ideo ... potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus. »* (Et hoc, etiamsi Confessarius rogatus fuerit ad respondendum non ut homo, sed præcipuè ut Minister Dei, prout rectè aiunt *Suar. l. c. Sporer n. 817. Lugo n. 74. cum Vasq. et communi, item Croix n. 1985. cum Laym. Tanner. Stoz, etc. contra Palud. Soto, et Conc. p. 745. n. 25.*) Quia Confessarius nullo modo scit peccatum scientia qua possit uti ad respondendum, unde justè asserit se nescire id quod sine iniustitia nequit manifestare. Vide dicta *Tom. 2. lib. 3. n. 153. v. Hinc. Quid si insuper rogetur ad respondendum sine æquivocatione? Adhuc potest respondere cum juramento se nescire, ut probabilius dicunt Lugo n. 79. Croix l. c. cum Stoz, et Holzm. n. 722. cum Michel, contra alios. Ratio, quia tunc Confessarius revera respondet secundum juramentum factum, quod semper factum intelligitur modo quo fieri poterat, nempe manifestandi veritatem sine æquivocatione, sed sine æquivocatione illa, quæ licèt omitti poterat: quoad æquivocationem verò necessariam, quæ non poterat omitti absque peccato, nec alter habet jus, ut sine æquivocatione ei respondeatur, nec ideo tenetur Confessarius, sine æquivocatione respondere. Cæterum, ad hujusmodi interrogationes Confessarius debet ab initio respondere: « Has interrogationes non esse faciendas. » Item, si interrogetur an absolverit aliquem? Respondeat *Functus sum officio meo, ut dicunt Conc. p. 739. n. 111. Antoine p. 549. Lugo n. 85. et Salm. c. 14. n. 28. cum Reg. et Gran.* Sed aliquando talis responsio adhuc posset non esse satis tuta, unde semper melius est respondere objurgando interrogantem: « Quænam interrogatio est ista, quam facis? » Si autem Confessarius aliquem non absolverit, et dum Missam celebrat, interroget eum minister, an ponat formulam pro Communione illius pœnitentis? Respondeat Confessarius: « Interroga ipsum, an velit communicare: » ita rectè *Salmant. cap. 14. num. 29. cum Henriq. et Gran.***

647. — « II. Superior cui se sistit absolutus à reservato, vel à quo petitur licentia absolvendi à reservato. *Suar. Card. de Lugo n. 34. etc. (Item Concina pag. 747. n. 30. Antoine p. 550. Holzm. n. 713. Elbel n. 512. Sporer. num. 853. Suar. d. 33. sect. 4. n. 3. et Salm. c. 14. n. 66. cum Gran. et aliis.* Ratio, tum quia petitio illa est quædam inchoata Confessio quatenus ordinatur ad absolutionem obtinendam; tum quia alioquin Confessio redderetur odiosa. Ita verius *AA. cit. contra Paluum p. 19. §. 4. num. 10. cum Vasq. et Henr.*) qui secreto tantum naturali teneri volunt. III. Interpres. (Ita probabi-

lius *Pal. 19. §. 4. n. 3. Lugo d. 23. n. 21. et Salm. c. 14. n. 59. cum Suar. Conc. Laym. Bonac. Dic. etc. contra Sotum, et Cajet. ap. Lugo n. 20. qui dicunt Interpretem teneri quidem ad servandum secretum arctissimum, sed non sacramentale.)* IV. Qui furtivè, vel casu aliquid audit, licèt inculpate. (Ita etiam comm. *Pal. loc. cit. n. 5. cum Adriano, Laym. Bonac. Con. Salm. n. 61. cum Dic. Diana, etc. d. 21. nu. 39. cum Suar. et Vasq. contra Sotum.* Et sic pariter tenentur ad sigillum adstantes, in quorum præsentia Confessio fit ex necessitate, puta in naufragio, conflictu, etc. *Salm. num. 60. cum Suar. et Bonac. Pal. n. 4. cum. Adr. Vasquez, Con. et Laym.* Secus verò, si pœnitens tantum ad suam confusionem velit publicè confiteri. *Pal. loc. cit. et Salm. cum Con. Dic. etc.)* V. Omnes quibus aliquid sacrilegè revelatum est, unde de hoc nec inter se colloqui possunt. (Ita communiter *Holzm. n. 713. Sporer. n. 851. Conc. n. 30. Salm. n. 64. Laym. n. 18. cum Gabr. et aliis, contra Med.)* VI. Laicus, qui pro Sacerdote est habitus. (Ita etiam *Suar. d. 33. s. 3. n. 3. Ronc. p. 99. q. 2. Conc. p. 737. n. 4. et Lug. d. 23. n. 4. cum aliis communiter, contra Sotum, et Vasq. qui improbabiler id negant.)* VII. Doctor vel alius, qui cum venia pœnitentis consulitur, ut habet communior sententia. (Et probabilior, prout nos dicemus n. seq. 648.) contra *Vasq. Vide Dian. p. 2. tract. 15. R. 15. VIII. Qui alius cujus rudis confessionem scripsit. IX. Qui scriptam invenit, ac legit, ut docet *Rodr. Fag. Mald. etc. apud Diana part. 3. t. 4. R. 112. et p. 5. t. 11. R. 27. contra Suar. Bonac. et Laym.* quorum sententia probabilis est. Juxta quam, etsi talis teneatur secreto naturali, peccetque mortaliter, si gravia, ac diffamantia vulget: secus tamen, si sciens levia tantum esse, ea legat ex curiositate. Unde consequenter in casu gravissimæ necessitatis talem confessionem scriptam liceret revelare (excipit *Lugo nisi tamen per scripturam voluerit confiteri, ut mutus, vel petere facultatem absolvendi à casu reservato. Vid. d. 23. n. 48.)* X. Etiam secundum aliquos, ipse pœnitens; verum probabilius est, eum tantum teneri secreto naturali, ratione materiæ, si id ea requirat, tacere audita à Confessario. *Vid. Laym. Dian. p. 5. t. 11. R. 8. (Ita communiter et verius Layman. c. 14. num. 20. Pal. §. 4. num. 13. Suarez D. 33. sect. 4. num. 2. qui id asserit ut certum, Bonac. par. 3. in princ. Salmant. n. 67. Wigandt n. 119. Holm. n. 715. et alii passim; quia sigillum institutum est tantum in favorem pœnitentium, non Confessariorum; quapropter jus sigilli, non Confessariis, sed tantum pœnitentibus confertur. Verumtamen omnes cum Holzm. dicunt teneri pœnitentem vinculo secreti naturalis de dictis à Confessario, quorum pro palatio ei damnum posset afferre. Mihique videtur teneri pœnitentes huic secreto (quamvis naturali) strictius quam alii; alii enim voluntariè consilia præbent, sed Confessarius tenetur præbere ex officio. Unde cum Confessarius obligatur necessario ad dandum consilium pœnitenti,**

» ut ille sibi caveat à damnis spiritualibus, ideo pœnitens rigo-  
 » rosius tenetur cavere, ne Confessario damnum obveniat ob  
 » consilium sibi præstitum. ) »

648. — Sed quæritur hîc I. An Doctor consultus à Confessario ex licentia pœnitentis, teneatur ad sigillum sacramentale? Adest triplex sententia. *Prima* cum *Joan. Medina Cod. de his qui Conf. cel. ten. Palaus de Pœn. par. 19. §. 4. nu. 8. cum Covarr. Pesant. Omuphr. et aliis, Vasq. q. 93. art. 4. d. 2. n. 10. Tamb. Meth. etc. Conf. c. 4. §. 3. n. 4. Diana t. 1. tract. 1. Misc. R. 14. cum Megala, ac Nunn;* negat teneri ad sigillum sacramentale, sed tantum ad naturale. Ratio, tum quia (ut loquitur *Palaus*) Consiliarius notitiam illam non habet ex Confessione, sed ex licentia data, vel ex manifestatione Confessarii nomine pœnitentis. Sicut enim (ait) non tenetur ad sigillum Doctor consultus à pœnitente, quia talis manifestatio non dirigitur ad petendam absolutionem a consultore: ita etiam neque tenetur consultus à Confessario, per cuius medium pœnitens ei se manifestavit. Tum, quia (ut ait *Tamb.*) pœnitens, concedendo veniam Confessario loquendi cum alio de suo peccato, censetur illud extrahere à finibus sigilli.

*Secunda* sententia cum *Conink Disp. 9. a. nu. 40. Henr. c. 6. n. 20. cui adherent Sotus, ac Caj. ap. Lugo de pœnit. d. 23. n. 20.* censet consiliarium non teneri ad sigillum, quia notitia peccati non manifestatur ipsi ad obtinendam absolutionem, sed ad instructionem Confessarii (et hîc notandum, quòd *Lugo n. 26.* licet ipse sit pro sententia opposita, attamen huic rationi consentit): sed bene teneri ad servandum secretum arctissimum, ita ut nullo casu possit illud revelare. Ratio huius valde urgens est, quia cum sæpe hoc accidat, quòd Confessarii alios consulant ex licentia pœnitentium, redderetur utique odiosa Confessio, si aliquo casu notitia Confessionis posset manifestari.

*Tertia* sententia probabilior, quam idem *Coninck* fatetur communem ferè omnium, docet teneri consiliarium æquè ac Confessarium ad sigillum, semper ac notitia peccati manifestatur ei, ut Confessarius bene se gerat circa munus suum. Ita *Laym. de Pœn. c. 14. nu. 18. Suar. d. 33. sect. 4. n. 6.* qui eam tenet ut certam, *Lugo dict. Disp. 23. n. 25.* qui dicit omnino amplectendam cum *Nao. Palud. Petr. de Sot. Viguer. item Sylbius, Bon. Fill. etc. ap. Dian. loc. cit. Sporer c. 7. n. 854. Idem tenent Croix, Mazot. Viva, Roncagl. Juen. c. 3. §. 5. Petroc. de Pœn. c. 4. q. 6. in fin. cum S. Anton. Et idem expressè docet S. Thom. in 4. d. 21. qu. 3. art. 1. qu. 3. et art. 2 ad 4.* Ratio habetur ex ipsa institutione Sacramenti, ob quam creditur Christus Dominus imposuisse hanc obligationem sigilli non solum Confessariis, sed omnibus aliis, quibus immediatè vel mediatè pervenerit notitia peccatorum, occasione sive in ordine ad Confessionem; alioquin non satis provisum esset reverentiæ huius Sacramenti, nec satis odium Confessionis amotum fuisset. Ex hoc autem principio communiter accepto, tenetur quidem ad sigillum Doctor con-

sultus ex licentia pœnitentis; licet enim directè manifestetur ei notitia Confessionis ad instructionem Confessarii, indirectè tamen manifestatur etiam in ordine ad absolutionem impertiendam, et ad Sacramentum perficiendum. Nec valet dicere cum *Tamb. et Roncaglia* (qui in hoc non bene sibi convenit), quòd pœnitens, concedendo veniam Confessario loquendi cum alio de suo peccato, censetur illud extrahere à finibus sigilli; nam respondeo cum *Spor. et Croix*, quòd hæc præsumptio est, valde incerta, imò, ut addunt *Sporer et Lugo*, potius oppositum est firmè præsumendum, nempe quòd pœnitens det licentiam cum omni limitatione qua potest.

Notandum hîc verò I. quòd eo casu, non obstante sigillo, is Doctor bene poterit pluries loqui cum Confessario, et etiam cum aliis ad consilium ex eadem licentia convocatis de casu disceptato, si iudicium à Confessario nondum sit completum. Ratio, quia moraliter censetur licentia data esse à pœnitente usquedum Sacramentum perficiatur. Notandum II. Quòd, licet dicat *Lugo n. 30.* quòd si Doctor consultitur circa idem à duobus Confessariis, quibus pœnitens seorsim confessus est, ipse loqui non poterit cum uno de auditis ab alio; oppositum tamen puto verum, quia cum pœnitens licentiam præbet secundo Confessario, ut de suo peccato loquatur cum eodem Consiliario, sicut certò creditur pœnitens nolle ipse aliud consilium nisi rectum, ita certò præsumitur velle, quòd ipse Doctor liberè loquatur de omnibus, quæ scit à primo Confessario, et quæ pertinent ad rectum consilium præstandum.

649. — Quæritur II. An is à quo petit consilium pœnitens in ordine ad suam Confessionem faciendam, teneatur ad sigillum sacramentale? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Tamb. Meth. Conf. de Sig. cap. 4. n. 1. Sporer n. 836. Antoine pag. 505. v. Hinc, Conc. p. 747. n. 30. et Croix nu. 1952. cum Fas. Diana, Stoz, et Gormaz.* Ratio, quia cum sæpe opus sit pœnitentibus ante Confessionem consilium ab aliquo accipere, ut rectè confiteantur, nisi alter obligaretur ad sigillum, Confessio redderetur odiosa. *Secunda* verò sententia probabilior negat, eamque tenent *Suar. d. 33. sect. 4. n. 6. Pal. p. 19. §. 4. nu. 8. Henr. l. 6. c. 21. num. 4. item Aversa, et Illung. apud Croix l. c.* Ratio, quia (ut communiter docent DD.) obligatio sigilli oritur ex sola Confessione sacramentali, in qua pœnitens actu manifestat peccata ad absolutionem obtinendam; ita ipse *P. Conc. pag. 737. n. 3. et Suar. Con. Vasq. Gabr. Pal. Henr. et alii passim cum Salm. cap. 14. nu. 11. cum D. Thoma in 4. d. 21. q. 3. art. 1. q. 2. Sed contra: ubi expressè id tradit dicens: « Sigillum » Confessionis non se extendit, nisi ad ea, de quibus est sacramen- » talis Confessio. » Quapropter ob manifestationem peccati, quæ fit à pœnitente apud consiliarium, cum ipsa non fiat in actu Confessionis, neque ad obtinendam ab ipso absolutionem, tenebitur quidem consiliarius ad secretum naturale, non verò ad sigillum sacramentale, ad quod probabilius est pœnitentem nullum jus*

acquirere, nisi in actuali Confessione apud eum à quo absolutio-  
nem expectat. Respondetur autem ad rationem oppositam, quòd  
revelatio consilii retraheret pœnitentem ab accipiendo con-  
silio, non verò à Confessione faciendâ; unde ex manifestatione  
illa redderetur odiosa non jam Confessio, sed consultatio ad  
Confessionem. At nemo tenetur ullo casu alteri quàm Confes-  
sario detegere peccata sua, ut integrè confiteatur, et ideo qui  
ultrò vult peccatum aliquod consilario patefacere, nequit ipsum  
obstringere ad sigillum sacramentale.

Sic pariter dicit *Henriquez ap. Tamb. l. cit.* (qui probabile  
putat cum *Suarez* quem citat, sed non bene ut mox dicemus)  
quòd si pœnitens, antequam confiteatur, suas culpas committit  
Sacerdoti propter Confessionem in posterum ei faciendam, neque  
tenebitur Confessarius ad sigillum. Sed huic non acquiesco, quia  
talis manifestatio est quædam inchoata Confessio, dum pœnitens  
tunc præmittit manifestationem sui peccati, ut citius postea  
Confessionem expediat; nec aliter videtur sentire *P. Suarez*,  
cum ibi non loquatur de manifestatione apud eundem Confes-  
sarium, sed tantum apud alterum facta.

630. Quæritur III. An teneatur ad sigillum, qui legit char-  
tam, in qua pœnitens scripsit Confessionem? *Prima* sententia  
affirmat, et hanc tenent *Antoine pag. 550. v. Hinc, Sporer*  
*n. 857. Ronc. pag. 99. q. 3. cum Bass. et Ant. à Sp. S. item*  
*Mald. Fag. Rodr. et alii apud Dian. p. 1. tr. 4. R. 112.* Ratio,  
tum quia scriptura illa proximè fuit ordinata ad Confessionem,  
et ideo habetur tanquam inchoata Confessio, vel tanquam gerens  
vicem Confessionis peractæ; tum quia manifestatio talis scrip-  
turæ, quæ sæpius fieri solet, maximè in Confessionibus genera-  
libus, aut prolixis, odiosam Confessionem redderet. *Secunda*  
tamen sententia communissima, et probabilior negat, et hanc  
tenent *Suar. d. 33. sect. 4. n. 5. Laym. cap. 14. n. 9. Wigandt*  
*tr. 13. n. 119. Pal. p. 19. §. 4. n. 11. Elbel n. 503.* (qui vocat  
probabilissimam) *Viva q. 10. art. 3. n. 3. Holzm. n. 714. Lugo*  
*d. 23. n. 47. cum Henr. et Megala, Salm. cap. 14. n. 63. cum*  
*Gran. et Con. ac Bonac. q. 6. sect. 5. p. 3. n. 7. cum Nav. Soto,*  
*Sayr. Nunno, etc.* Ratio, quia (ut mox supra diximus) obligatio  
sigilli sacramentalis non provenit nisi ex actuali Confessione; at  
scriptura illa non est Confessio, sed tantum præparatio ad Con-  
fessionem; unde pœnitens acquirit jus sigilli tantum apud Con-  
fessarium, cui chartam præbet ad absolutionem obtinendam, non  
verò apud alios qui illam extra actum Confessionis legere queunt.  
Nec obstat dicere, quòd aliquibus posset alioquin reddi odiosa  
Confessio, cum plures soleant scribere Confessionem, ut exactius  
confiteantur. Nam respondetur eodem modo quo supra in quæ-  
sitione præcedenti, nempe quòd scriptura minimè requiratur ad  
Confessionem, sed tantum ad juvandam memoriam; unde mani-  
festatio legis non redderet quidem odiosam Confessionem, sed  
tantum scriptionem peccatorum, ad quam nullus obligatur.

Excipiunt tamen *Lugo, Viva, Spor. Holzm. et Elb. 1. Si*

mutus confiteatur per scripturam Confessario præsentem, et casua-  
liter alius eam legat; quia tunc legens revera haurit notitiam  
peccatorum ex actuali illius Confessione. 2. Si quis per epistolam  
peteret à superiore licentiam pro casu reservato, juxta dicta  
*n. 646.* Præterea, excipiunt etiam rectè *Wig. Viva ll. cc. et Lug.*  
si legeris chartam relictam in confessionali post Confessionem  
peractam, vel porrectam Sacerdoti pro Confessione faciendâ,  
quia porrectio illa est quædam inchoata Confessio. Cæterum  
præcisus his casibus, dicunt *Laym. Pal. et Sporer*, quòd legentes  
(tantò magis revelantes) hujusmodi scripturam graviter pec-  
carent, nisi certò scirent ibi minimas culpas et quotidianas con-  
tineri (vide dicta *supra l. 5. n. 70.*) Addunt verò *Laym. et*  
*Sporer*, quòd eo casu (quem dicunt vix accidere posse) ali-  
quando in magna necessitate, putà ad salvandam Rempubicam  
aut vitam innocentis, posse licitè secretum revelari.

631. — I. Extra confessionem, cum licentia pœnitentis,  
» potest agi de auditis in confessione sive cum ipsomet, sive cum  
» quocumque alio, etsi periculosum sit. *S. Thom. Suarez, Præpos.*  
» *Tann. etc.* \* (Et ita veriùs tenendum (contra *Scot. Durand.*  
» *Major. Gabr. Ang. etc. apud Lugo n. 332.*) cum *D. Thom. in*  
» *Sup. quæst. 11. art. 4. ubi ait: Potest... confitens facere, ut illud*  
» quòd Sacerdos sciebat... ut Deus, sciat etiam ut homo, quòd  
» facit dum licenciat eum ad dicendum; et ideo si dicat, non  
» frangit sigillum. Et ita etiam *Laym. cap. 14. nu. 14. Navarr.*  
» *cap. 8. n. 15. Ronc. p. 100. qu. 5. Lugo d. 23. n. 133. Concina*  
» *pag. 140. n. 14. Wigandt tract. 13. n. 115. et alii communiter.*  
» Ratio, quia sigillum Confessionis est institutum tantum in  
» favorem pœnitentium.) \* Circa quam licentiam requiritur  
» I. ut sit formalis et expressa; nam præsumpta, tacita, interpre-  
» taliva, virtualis (etiam in bonum ipsiusmet pœnitentis) non  
» sufficit. *Fagund. p. 2. l. 6. Tann. Mald. et cæteri Doct. com-*  
» *muniter.* II. Ut sit libera, ac spontanea, non vi, injuria, dolo,  
» vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reve-  
» rentialem ipsius Confessarii obtenta. *Henr. Fagund. l. c. Dian.*  
» *pag. 5. l. 11. R. 10 et 24.* \* (Dicit *Crotx l. 6. p. 2. n. 1958.*  
» quòd si pœnitens non ultrò, sed tantum ad petitionem Con-  
» fessarii det licentiam loquendi, communiter licentia censenda  
» sit data ex metu reverentiali. Hoc tamen intelligendum esse,  
» quando licentia non est spontanea, sed replicatis petitionibus  
» extorta, seu ex solo metu reverentiali concessa. Cæterum  
» hujusmodi licentiæ peti non debent nisi ex rationabili causa, ut  
» bene ait *Elbel nu. 482.* qui etiam rectè addit, quòd melius est  
» inducere pœnitentem, ut det licentiam extra Confessionem.) \*  
» III. Non revocata; nam pœnitentem pro libito, etiam sine  
» causa, eam revocare semper posse, docent *Fagund. et Diana*  
» *ll. cc.* \* (Ita etiam *Sporer n. 821. et Ronc. p. 100. q. 5.*) \*  
» IV. Non opus esse, ut habeatur in scripto, *Suar. Fag. ll. cc.*  
» Imò, si dubium sit, an Confessor cum licentia locutus fuerit,  
» Sacerdoti potiùs, quam pœnitenti credendum, ex *Graff. et*

» *Henriq.* affirmat *Dian. loc. cit. R. 4.* vel etiam quàm hære-  
 » dibus; v. g. si ex licentia defuncti revelet restitutionem ab eis  
 » faciendam. *Tan. et Mald.* qui tamen monet, eo casu non esse  
 » dicendum, eam debere ex delicto, sed solum quòd talibus tantum  
 » dari voluerit, satiusque suaderi moribundo, ut talia secreto  
 » codicillo hæredibus injungat. Vide *Dian. l. c. R. 32. V.* Pe-  
 » rinde esse, sive ea licentia detur verbo, sive facto, quòd qui-  
 » dem æquivalet expressæ concessioni; v. g. si pœnitens extra  
 » confessionem incipiat loqui cum Confessario de dictis in Con-  
 » fessione, tunc enim posse hunc prosequi, docent *Aversa qu. 18.*  
 » s. 7. *Tann. in append. c. 2. ex Bonac. \** ( *Ita communiter Lugo*  
 » *d. 23. n. 131. Pal. §. 3. n. 14. Concina p. 740. nu. 14. Holzm.*  
 » *nu. 720. Antoine p. 547. v. Hinc, Sporer n. 820. Salm. c. 14.*  
 » *n. 41. cum Suar. Laym. et Bonac. et Ronc. p. 101. q. 3. R. 1.*  
 » Bene tamen advertit *Lugo loc. cit.* quòd eo casu adhuc perse-  
 » verat sigillum respectu ad alios; quia licet pœnitens extra  
 » Confessionem loquatur, censetur tamen non præbere Con-  
 » fessario aliam licentiam quàm dependentem à Confessione  
 » peracta. )<sup>o</sup>

632. — « 2. Frangitur sigillum, si cum pœnitente extra Con-  
 » fessionem, sine ejus venia, agas de auditis in Confessione, aut  
 » ea te scire ostendas. \* ( Communiter tamen dicunt DD. licitum  
 » esse Confessario loqui de auditis in Confessione cum pœnitente  
 » statim post absolutionem, antequam ille discedat; quia licet  
 » Sacramentum sit completum, tamen iudicium adhuc moraliter  
 » perseverat; ita contra *Dian. p. 5. tr. 11. R. 19. cum Fag.*  
 » *rectè tenet Lugo d. 23. n. 129. Nav. c. 26. n. 14. Conc. p. 740.*  
 » *n. 14. Fill. c. 11. n. 324. Ant. pag. 547. v. Hinc, Escob. n. 741.*  
 » *Salm. c. 14. n. 43. cum Gran. et Aversa, Renzi p. 306. q. 4.*  
 » *cum Pell. et Verric. ac Croix nu. 1980. cum Præp. Henr. Tamb.*  
 » *Dic. et Stoz. )* Quod verum putat *Sanch. contra Suar. et Laym.*  
 » etiamsi cum eo tractare velles de essentiali errore in ea com-  
 » misso, quem illi significare sine ejus venia non licere docent  
 » *Regin. Fag. Bonac. et alii contra Filliuc. Turrian. etc. apud*  
 » *Dian. p. 3. t. 4. R. 87. \** ( *Vide dicta n. 622. )* Dixi, *Extra,*  
 » quia intra Confessionem potest fieri mentio præcedentium, ut  
 » patet ex praxi Confessariorum, qui ob recidivam arguunt, et  
 » absolutionem aliquando negant. Ita *Henriq. Præpos. Gran.*  
 » *Mald. etc. apud Dian. p. 5. tract. 11. res. 20.* Ubi ipse cum  
 » *Fagund.* negat id licere sine expressa licentia pœnitentis, nisi  
 » de iis, quæ is iterum confitetur, vel saltem tangit. Vide *Dian.*  
 » *l. c. et p. 2. tr. 2. misc. Res. 12. et p. 9. tr. 11. res. 18. »*

633. — Quæritur igitur, an intra Confessionem possit Con-  
 » fessarius loqui cum pœnitente de culpis in alia Confessione au-  
 » ditis, sine ipsius licentia? Negat *Diana cum Fagund.* ut supra;  
 » sed affirmat sententia communissima et verior, quam tenent *Lugo*  
 » *d. 23. n. 127. Tamb. c. 5. n. 4. Wigandt tract. 13. n. 120. Con-*  
 » *cina p. 740. n. 14. Ronc. p. 101. quæst. 3. R. 1. Antoine p. 550.*  
 » *v. Hinc, Sporer n. 823. Renzi p. 307. q. 5. cum Aversa, Dic. et*

*Malder.* eamque vocat certam *Illsung. apud Croix n. 1981.* Ratio  
 quia sæpe pertinet ad munera Judicis et Medici, quæ habet  
 Confessarius, recolere peccata prioris Confessionis, ad melius  
 pœnitentem corripiendum, vel dirigendum; ideo improbable est  
 quòd pœnitens habeat jus sigilli in actu Confessionis, cum potius  
 verum sit quòd Confessarius habeat jus exquirendi omnia, quorum  
 notitia ad meliorem directionem coadjuvare valeat. Unde bene  
 poterit Confessarius loqui cum pœnitente de omnibus peccatis in  
 præterito ab eo confessis, semper ac putat hoc fore utile pœni-  
 tenti, qui censetur in Confessione dare ei licentiam, ut utatur  
 quacumque notitia necessaria ad sui meliorem directionem.

634. — « 3. Frangit sigillum, qui dicit se in tali monasterio  
 » audivisse grave peccatum, tametsi non nomet personam.  
 » *Dian. p. 5. t. 11. res. 35. et alii. 3. cum Mald.* Additque gra-  
 » viter peccare eum, qui dicit, in hoc vel isto Ordine Religioso  
 » hoc, vel istud peccatum fuisse admissum, quod ex sola Con-  
 » fessione novit: imò nec de civitate, vel certo loco, quo quis  
 » Confessiones audivit, licere dicere, quòd gravia fiant, vel talia  
 » et talia peccata committi soleant ( nisi aliunde constet ), docent  
 » *Hurt. Kellison. et Mald. apud Dian. loc. cit. res. 35,* quia po-  
 » test redundare in gravamen et infamiam ipsius Communitatis  
 » et fortè etiam civium in particulari, quando civitas non est  
 » ampla, et pœnitentes suspecti, atque adeo confessio fieri illis  
 » odiosa. Vide *Dian. l. c. et res. 36.* ubi cum *Mald.* docet, Confes-  
 » sarium, qui paucos habet pœnitentes subditos ( v. g. Moniales  
 » unius Monasterii ) scandalum dare, si coram illis concionetur  
 » de vitiis auditis in Confessione: quia confessæ facili suffundun-  
 » tur pudore. \* ( Hoc tamen intelligendum, si Confessarius lo-  
 » quatur de aliqua culpa particulari cujusdam Monialis, vel illius  
 » Monasterii; secus, si loquatur de defectibus qui communiter  
 » in omnibus Monasteriis solent vel possunt perpetrari. )<sup>o</sup> »

Dubitatur hic 1. An Confessarius violet sigillum, si asserit in  
 aliquo loco gravia crimina perpetrari, quæ ipse audivit in con-  
 fessione? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Navar. c. 8.*  
*n. 16. Renzi p. 322. quæst. 11. cum Fag. Vivald et Onuphr.* ita  
*Henriq. Gran. Lop. etc. ap. Escob. l. 16. n. 749.* qui consentit *n. 730.*  
 si nullo modo in cognitionem personæ deveniri possit, quia alias  
 ( ut dicunt ) ex tali revelatione nulla fit injuria pœnitenti. *Se-*  
*cunda* tamen sententia communissima et longe probabilior, quam  
 tenent *Suar. d. 33. sect. 3. n. 8. Bon. qu. 6. sect. 5. part. 4. n. 3.*  
*Fill. c. 11. n. 322. Concina p. 740. n. 13. Viva qu. 10. art. 2. n. 7.*  
*Tamb. l. 5. c. 3. §. 5. Holz. n. 711. cum Laym. et Pal. Sporer*  
*n. 827. cum Diana. et communi, ut asserit Lugo d. 23. n. 64.*  
*cum Vasq. Con. et Led. docet,* quòd si Oppidum sit parvum ( puta  
 si non constet tribus millibus hominum circiter ), tunc violatur  
 sigillum. Ratio, quia, licet tunc non reveletur persona, tamen,  
 cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis redundat  
 etiam in gravamen pœnitentis, qui illius communitatis est mem-  
 brum, et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa Confessio.

Secus verò, si Oppidum sit amplum, et crimina sint publica, ut dicunt *Lugo, Conc. Spor. Viva, et Tamb. ll. cc. contra Vasq.* qui nimis rigidè id reprobat. Hocque permittit *Petrocorens. t. 4. p. 90. q. 4.* etiam concionatoribus, modò non dicant se audisse in Confessionibus. Idem sentit *Habert tom. 6. p. 261. q. 14. R. 3.* dicens licitum esse Confessariis in concionibus generatim invehere in vitia quæ occultè grassantur. Idque expressè permittitur in *c. Si Sacerdos 2. de Offic. Jub. ord.* ubi dicitur: « Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate. » Id est in genere, ut explicat *Panormit. in dict. cap. 2.*

Dubitatur 2. An frangat sigillum Confessarius, qui dicit Religiosum ex tali Conventu sibi confessum esse grave peccatum? Negat *Escob. lib. 16. n. 713. cum Henr. Nunno, Fagn. et Candia*, modò non ingerat notitiam personæ particularis. Verius tamen affirmant *Busemb. et Suar. d. 33. sect. 3. Conc. p. 740. n. 8. Bon. p. 4. n. 3. Diana p. 5. tract. 11. R. 23. Pal. p. 5. §. 3. num. 11. cum Navar. Laym. et Henr.*; item *S. Anton. Villal. et Gran. ap. Escob. n. 751.* Ratio, quia tunc singuli illius conventus detrimentum patiuntur. Et sic pariter Confessarius violabit sigillum, si dicat in Conventu illo talia peccata committi. Non verò (ut rationabiliter ait *P. Conc. contra Dian. ap. Busemb.* ut supra), si tantùm diceret se audisse peccatum Religiosi cujusdam Ordinis: quia hæc neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen pœnitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint: unde neque oritur scandalum, neque infamatur Religio, nisi (rectè limitat) Religio illa esset arctioris observantiæ.

635. — « 4. Notitia in sola Confessione accepta nullo casu uti licet, si periculum sit revelationis, saltem indirectæ. Verùm, si nullum sit periculum ut vel pœnitens, vel usus scientiæ innovescat, etsi probabile sit licere uti ad alterius gubernationem, v. g. negando suffragium ei, quem ex sola Confessione scit indignum esse, vel claudendo ostium, per quod quis noctu ingreditur ad peccandum: item, cognita prodicione futura, monendo de diligenti custodia, impediendo clam Matrimonium, quando scitur impedimentum, ut docent *Vasq. Henr. Nav. etc. Contrarium tamen verius videtur, quod docent Fumus, Sanch. Conc. Layman. Dian. p. 3. tr. 4. R. 76. et p. 5. tr. 11. R. 3. et alii;* quia hæc doctrina posset pœnitentem abstertere à confessione. Et quidem superioribus Religionum talis gubernandi modus prohibitus est anno 1594, cum in Soc. JESU jam ante idem statutum esset, prohibitumque contrarium docere. Vide *Dian. p. 4. tr. 4. R. 202.* Contra verò ad sui ipsius gubernationem licere tali casu ea scientia uti, videri probabilius, v. g. abstinendo à calice, in quo scitur esse venenum, deflectendo à sylva, in qua paratam sibi mortem sciat ex unius latronis confessione, docet *Sylv. Henr. Con. Laym. htc c. 15. contra Suar. Dian. p. 5. d. 11. R. 46.* Excipit *Card. de Lugo* nisi actio, vel omissio Confessarii inducat notitiam peccati, vel damnum afferat conf-

» tenti, contra *Con. disp. 9. dub. 4. etc.* qui putat licere, etsi inde mors pœnitenti immineret à sociis inferenda. Vide *l. c. n. 108.*

« 5. Denique facere aliquid, ex quo soli pœnitenti immotescere posset id fieri ex notitia Confessionis, esse contra sigillum, negant *D. Thom. Bonac. Sot. Vasq. etc.* Affirmant *Sylv. Vald. Con. Dian. p. 3. t. 4. R. 46.* Idque confirmant *Fagund. Gran. Card. de Lugo, et Avers. qu. 18. sect. 8.* si tale sit, quòd pœnitenti ruborem vel molestiam afferat, v. g. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret; secus si ei sit gratum, vel saltem Confessionem odiosam aut difficiliorem non reddat; v. g. si audivisset eum ad indignationem, aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto, vel dicto ipsius Confessarii, indeque ipse à talibus factis, vel dictis abstineat, etc. »

636. — Omnia hæc diligentius sunt discutienda. Dubitatur I. An superior ob peccatum auditum in Confessione possit amovere subditum ab officio? Affirmat *Sambovius tom. 3. Caus. 18.* Idque prius docuit *D. Th. Quodl. 5. q. 7. a. 13.* modò absit revelatio peccati, sic dicens: « Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in Confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælati deberet remove. Si verò per amotionem peccatum nullatenus manifestaretur, tunc alia occasione accepta, posset subditum ab administratione remove, et deberet hoc facere, cum debita cautela. » Et idem confirmat in *Suppl. qu. 11. a. 1. ad 3.* Idem dicunt *S. Bonac. Alex. de Ales, Gabr. Pal. et Adrian. ap. Habert t. 6. p. 260. qu. 14.* ac alii ap. *Suar. d. 33. sect. 7.* qui hanc sententiam vocat communem, ut revera erat inter antiquos.

Sed huic doctrinæ obstat hodie Decretum Clem. VIII. (de casib. res. pro omnibus Relig. c. 4.) editum 26. Maii an. 1694. ubi dictum fuit: « Tam superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. » Quamvis autem hoc decretum emanatum fuerit tantùm pro superioribus regularibus, tamen rectè dicunt *Holz. n. 717. v. 20. et Croix* extendi debere ad omnes (quidquid dicat *Habert l. cit.*), cum eadem ratio quæ urget pro Regularibus, valeat etiam pro secularibus, ne scilicet Confessio reddatur odiosa. Præterquam quòd, id certius fit ex alio Decreto Innocentii XI, ut mox videbimus in Dubio seq.

637. — Dubitatur II. An superior in electione beneficii, vel officii possit negare suffragium ei quem ex sola Confessione noverit indignum? Affirmat idem *Sambovius l. c. cum S. Antonino 3. p. tit. 16. c. 22. §. 1. in fine*, ubi scribit: « Qui liberam electionem habet, licet per solam Confessionem sciat aliquem indignum ad Prælaturam ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi dictante, quia eligendo scienter dignum vel indignum, negotium geritur inter

» ipsum et Deum. Unde potest etiam ex his, quæ scit ut Deus, » judicare in proposito. » Sed omnino id negandum cum *Sporer. n. 869. Viva Append. ad Prop. damn. §. VII. p. 526. Conc. p. 744 n. 22. Croix n. 1977. Holz. l. c. Ronc. p. 202. q. 6. Elbel l. c. et aliis. Hocque hodie certum est ex Decr. S. C. Gen. Inquisitionis edito auctoritate Innoc. XI 18 nov. an. 1682, quo proscripta fuit sequens propositio: « Scientia ex Confessione acquisita uti » licet, modò fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine » pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in » cuius comparatione prius meritò contemnatur. Addita deinde » explicatione, sive limitatione, quòd sit intelligendà de usu » scientiæ ex Confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, » seclusa quacumque revelatione; atque in casu quo multò gravius » gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc » dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ » cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione, præ- » senti decreto prohibent, etc. Mandantes etiam universis Sacra- » menti Pœnitentiæ ministris, ut ab ea ( doctrina ) in praxim » deducenda prorsus abstineant. » Hinc bene advertunt *Viva, Holzm. Mazz. et Croix ll. cc.* illicitum esse Confessario ex notitia Confessionis claudere pœnitentem in cubiculo, ne exeat ad peccandum: dimittere famulum, vel auferre ab eo claves, ne furetur: item ostendere pœnitenti vultum severiorem, vel ei negare pristinam communicationem amicitiae. Neque admittendum cum *Sanch. de Matr. l. 3. d. 16. num. 3 et 4 Croix num. 1963, 1976 et 1977. Laym. c. 14. ex n. 14. et Holzm. n. 717.* id quod perperam admittit *Sporer. n. 870,* nempe licitum esse ex scientia Confessionis abstrahere claves aut pecuniam ab arca, claudere foras, non ampliùs committere claves famulo; quia omnia hæc redundarent in gravamen seu exprobrationem pœnitentis.*

Si verò superior ex alia via, quam Confessionis sciret aliquem indignum, putà ex defectu ætatis, scientiæ, prudentiæ, vel quia noverit alios digniores ad beneficium, tunc posse, imò debere suffragium pœnitenti negare, dicunt *Nat. de Alex. de Sig. Confess. Reg. 57. et Merbes. t. 2. p. 149. q. 50. ex D. Th. in 4. d. 21. a. 1. ad 4.* ubi dixit: « Ex multis aliis causis aliquis redditur in- » dignus ad prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex » defectu scientiæ, ætatis, etc. et ideo qui contradicit, nec suspi- » cionem de crimine facit, nec Confessionem revelat. Sed hanc sententiam censo cum *Petrocor. t. 4. p. 95.* tantum locum habere posse casu quo tales occurrerent circumstantiæ aliunde cognitæ, sive ante sive post Confessionem, quæ verè moverent superiorem ad suffragium negandum, etiamsi nullam ex Confessione notitiam habuisset indignitatis pœnitentis. Unde minimè audiendus auctor *Additionum ad Wigandt p. 389. ad 3,* dicens quòd esto ex sola scientia Confessionis nequeat superior dirigi ad gubernationem externam, tamen poterit ex illa lumen accipere, et sumere alium exteriorem prætextum seu colorem ad negandum suffragium.

Communitè tamen admittunt posse Confessarium uti notitia Confessionis ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad concordiam excutiendam, ad diligentius invigilandum super gregem suum; modò nulla detur aliis suspicio peccati, neque ex hoc pœnitens gravetur, vel implicite redarguatur; ita *Habert p. 261. R. 3. Antoine p. 549. v. Hinc. Pal. p. 5. §. 3. n. 18. Viva l. c. §. VII. Sporer n. 870. et Bon. p. 4. n. 3. cum Soto, et Reg. ex D. Th. in 4. l. c. ad 1.* ubi ait: « Potest ( Confessarius ) dicere » Prælato, quòd diligentius invigilet super gregem suum, ita » tamen quòd non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confi- » tentem prodatur. » Omnia verò hæc *P. Conc. p. 744. n. 23.* absolute negat licere, dicens quòd Confessarius in omnibus se gerere debeat, ac si penitus ignoraret quæ ex sola Confessione dignoscit. Nulli dubium, quin in prædictis actibus quam maxime cautè Confessarius procedere debeat, cum difficile sit in his omne periculum evitare vel revelationis vel gravaminis pœnitentis. Cæterum generalis regula est, fere ab omnibus recepta, licitum esse uti notitia Confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum pœnitenti gravamen inferitur; ita *Sanch. de Matr. l. 3. d. 16. n. 4. Lugo d. 23. n. 102. Habert t. 6. p. 260. Suar. d. 33. sect. 7. n. 9. Viva App. l. c. §. 9. Antoine p. 549. Mazz. t. 3. p. 589. Holz. n. 717.* et alii communitè: atque ipse *Concina dicto n. 23.* in fine præfatam regulam admittit, inquit posse Confessarium uti notitia Confessionis tum ad reformandos proprios mores, tum ad servandam propriam vitam, quando duo concurrant, nempe si secretum custoditur, et Confessio odiosa non redditur. Quapropter *Holz. Antoine, Mazzott. Viva, etc.* communitè admittunt bene posse Sacerdotem ex notitia Confessionis orare pro pœnitente, vel benigniùs erga ipsum se gerere: item consulere libros et sapientes, rigorem temperare, ex Confessione unius dirigi ad alios interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando prioris Confessionis suspicionem: item ( ut ait *Holzm. l. c. v. Et hinc, cum Stoz* ) posse se præcavere à periculis et occasionibus damni spiritualis aut temporalis. Et sic pariter dicit *Bon. p. 4. n. 19. cum Nao. Reg. Zerola, etc.* posse monere etiam alios, in genere tamen loquendo, nempe ut sibi caveant, ne exeant è domo, etc. semper tamen secluso omni periculo revelationis, vel gravaminis pœnitentis.

638. — Dubitatur III. An Confessarius possit Communionem denegare pœnitenti, cui priùs negavit absolutionem tanquam indisposito, si ille postea occultè Communionem petat? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *D. Th. in 4. D. 9. q. un. a. 5. q. 1.* dicens: « Si Sacerdos sciat peccatum alicujus qui Eucharistiam » petit, per Confessionem, si in occulto, debet ei denegare, et mo- » nere ne in publico petat. » Item *Petrocor. t. 4. p. 95. n. 2. cum S. Bonao. et S. Antonino,* ac alii plures antiquiores ap. *Sanch. de Matr. l. 3. d. 16. n. 6.* Ratio, quia ( ut dicunt ) ex una parte tunc urget præceptum negandi Sanctum canibus; ex alia ibi nulla



intervenit sigilli revelatio, nec ulla injusta exprobratio, quæ redderet Confessionem odiosam verè pœnitentibus: talis enim negatio vel monitio solis perire volentibus odiosam Confessionem redderet; sed hoc non debet impedire, ne Sacerdos peccatorem moneat, et Sacramentum indigno deneget. Et sic pariter dicunt Episcopum posse et teneri negare Ordinem indigno ex Confessione cognito, et Parochum assistentiam Matrimonio, in quo ex Confessione noverit dirimens adesse impedimentum. *Secunda* tamen vera sententia negat, et hanc tenent *Sanch. l. c. n. 5. Lugo d. 25. n. 126. Laym. c. 14. n. 22. Bon. p. 4. n. 17. Salm. c. 14. n. 46. Contin. Tourn. t. 4. pag. 191. cum Henn. Spor. n. 869. Mazz. c. 3. q. 5. Holzm. n. 717. Conc. p. 742. n. 18. et Croix l. 6. p. 2. n. 1974.* Ratio, quia hujus modi denegatio Sacramenti vel monitio confessionem redderet odiosam, non solum pœnitentibus illicitè petentibus, sed etiam aliis, qui si scirent quòd Confessarius posset aliquando uti notitia Confessionis, facile absterrentur à Sacramento Pœnitentiæ. Hæc sententia hodie omnino est tenenda ex supra citato Decreto Innoc. XI, ubi vetatur quilibet notitiæ Confessionis usus, ex quo sequatur qualemquè pœnitentis gravamen. Vide *num. anteced. 657.*

659. — Dubitat. IV. An Sacerdos qui ex Confessione noverit parari sibi insidias, possit fugere, sive aliter sibi cavere, aliquo prætextu arrepto? Certum est posse (ut rectè ait *Lugo d. 23. n. 108.*), si ex tali cautione minimè manifestatur aliis peccatum confessum, nec ullum gravamen pœnitenti affertur. Sed dubium est, an liceat ei fugere, si ex fuga alii, jam conscii peccati pœnitentis, conjiciant pœnitentem esse illi confessum tale peccatum? *Prima* sententia affirmat, modò nullum pœnitenti damnum obvemiât; ita *Palau p. 5. §. 3. num. 18. Bon. p. 4. n. 27. Petrocorens. tom. 4. p. 97. n. 4. Wig. tr. 13. n. 122. ad 4. Spor. num. 863. Renzi p. 309. q. 9. cum Con. et Fag. ac. Laym. c. 14. num. 21. cum Soto, Sylvest. Adr. Gabr. et Henr.* Ratio, quia aliud est revelare peccatum confessum, aliud revelare confessionem peccati jam ab aliis cogniti: tunc enim non revelatur peccatum, sed tantum Confessio facta peccati, quod non est contra sigillum. *Secunda* verò sententia (quam sequor) negat id esse licitum, et hanc tenent *Suar. d. 33. sect. 7. n. 7. Salm. c. 14. n. 45 et 53. Antoine p. 549. Elbel n. 524. Ronc. p. 93. q. 3. cum Nao. et Led. Mazz. tom. 3. p. 589. cum Viva, et Croix, ac Lugo d. 23. nu. 110. cum Soto. Vasq. Ricch. et Med.* Ratio, quia fuga illa esset quædam indirecta revelatio peccati confessi. Nec obstat dicere, quòd tum fiat revelatio indirecta, cum ponitur actio, ex qua de se conjicitur peccatum confessum; sed hinc fuga Confessarii nullo modo manifestat peccatum, sed tantum alii ex propria conscientia arguunt peccatum esse confessum. Sed respondetur cum *Lugo*, quòd positis talibus circumstantiis, nempe scientiæ aliorum criminis, et Confessionis pœnitentis, fuga illa esset vera revelatio, non solum Confessionis factæ, sed etiam peccati confessi. Et licèt Confessarius fugam simularet ex aliquo

prætextu, semper tamen aliquam rationabilem suspicionem præberet peccati confessi. Dicit autem *P. Cuniliati tr. 14. c. 4. §. 7. n. 10.* quòd eo casu pœnitens teneatur dare licentiam Confessario, ut ille possit eximi à periculo; aliàs Confessarius non tenetur ipsum absolvere, semper ac pœnitens potest licentiam præbere absque periculo sui gravis damni. Et addit, quòd si pœnitens injustè licentiam deneget, Confessarius, modò non det aliis suspicionem Confessionis auditæ, licèt poterit uti notitia per Confessionem recepta, ut à periculo se liberet; tunc enim (ait) nullum pœnitenti imminet gravamen, sed tantum adest manifestatio apud ipsum negatæ licentiæ. Tamen id minimè admittendum puto; nam licèt absit gravamen pœnitentis, adest verò indirecta saltem revelatio notitiæ in Confessione habitæ.

Notandum autem hic id quod dicit *Roncaglia de Sigil. cap. 2. Reg. prax. n. 1.* nempe quòd si Confessarius noverit aliquem ex Confessione solitum esse multa peccata, vel tenuem dispositionem afferre, non poterit sine justa causa se celare, vel excusari ab eo audiendo, quando aspiceretur ab aliis, et iis suspicionem talem ingereret, multòque magis si pœnitens id reputabit ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum; secus verò (ait) si nullus aspiceret, quia tunc nulla in aliis oriretur suspicio. Sed huic ultimo non acquiesco, quia, si aliàs Confessarius jam assisteret in confessionali, et ideo recedit, quia videt illum pœnitentem accedere, etiamsi alii nihil adverterent, videtur tamen hoc illi gravamen afferre, et aliquo modo odiosam reddere Confessionem, cum facilè tunc pœnitens credat, quòd si ipsi confessus non fuisset, bene tunc suam Confessionem apud illum Confessarium, ut cupit, expleret. Et de hoc magis est verendum post decreta, ut supra *n. 656*, ubi prohibetur Confessariis, ne ullo modo utantur notitia Confessionis ad externam gubernationem, aut cum aliquo gravamine pœnitentis; quòd quidem intelligitur, ut inquit idem *Ronc. c. 2. qu. 6. cum S. Thoma, Lugo, Sanch. etc.* etiamsi nulla intercedat revelatio, et etiamsi pœnitens nullo modo advertat hoc fieri ob Confessionem peractam. Unde ex ipso *Ronc.* dico, quòd licèt tunc fuga illa ex prætextu apparenter justo non redderet Confessionem odiosam tali pœnitenti, redderet tamen odiosam generaliter Reipublicæ Christianæ, quia si scirent fideles, posse Confessarios ex colorato prætextu aufugere ab ipsis, ob notitiam in Confessione acceptam suorum peccatorum, facilè gravarentur. Licèt autem Confessarius se celabit, si justam habeat causam, ob quam etiam ab aliis pœnitentibus incognitis æquè se excusaret. Nec obstat quòd pœnitens tunc etiam suspicari posset Confessarium se celare ob audita sua peccata; nam si revera Confessarius ob justam causam se excusaret, revera tunc sua suspicio esset temeraria quam Confessarius vitare non tenetur. Hinc concludo, quòd erga hujusmodi pœnitentem ita se gerere debet Confessarius, ac se gereret erga alium, de quo nunquam Confessionem exceperisset. Bene tamen approbo id quod dicit idem *Ronc. ibid. q. 5. cum Lugo dist. 23. n. 116*,

quòd si pœnitens indispositus minitetur Confessarium ob negatam absolutionem, bene poterit Confessarius ab illo aufugere, et non redire, quia tunc illæ minæ non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam, sed peccatum in Confessione commissum, quod sigillo non gaudet. Hæc tamen fuga tantum permittitur Confessario, si fugiendo non ingerat aliis suspicionem negatæ absolutionis; quòd si autem ingereret, posset recitare aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem pœnitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis pœnitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis. Vide dicta de Sacrament. hoc l. 6. n. 59. v. *E conuerso*.

660. — Dubitatur V. An Confessarius sciens ex Confessione Ecclesiam esse pollutam, possit ibi celebrare? Hic casus quidem difficulter accidet, nam (sicut diximus hoc lib. 6. n. 364.) ut Ecclesia polluetur, requiritur publica violatio; tamen aliquando bene accidere possit, nempe si violatio esset quidem publica, sed Confessario incognita, vel si alii ignorarent per tale factum Ecclesiam esse pollutam. In his autem casibus prima sententia, quam tenent *Sporer de Pœnit. n. 874. et Bon. eod. tit. q. 6. p. 4. n. 23. cum Sylvest. Lazar. et aliis*, dicit Confessarium posse et teneri celebrare. Ratio, quia Ecclesia in favorem sigilli non videtur tunc velle obligare Sacerdotem ad non celebrandum. Secunda tamen sententia, quam tenent *Lugo dist. 23. n. 125. et Aversa, ac Tamb. apud Croix l. 6. part. 2. n. 1976*, censet non posse celebrare, quia ex una parte urget præceptum non sacrificandi in Ecclesia polluta, et ex alia minimè urget præceptum servandi sigilli, cum nullum adsit periculum revelationis apud alios, nec damni pœnitentis. Et hæc sententia videtur satis probabilis cum *Mazzott. p. 589*, si revera nullum sequatur pœnitentis gravamen, et nulla fiat revelatio indirecta, putà si Confessarius justum exponat prætextum alibi celebrandi.

Dubit. VI. An si ex Confessione scias aliquem (cui solitus es confiteri) non esse Sacerdotem, vel non esse Confessarium, possis et teneris pergere ad ei confitendum? Negat *Sanch. de Matr. lib. 3. d. 16. n. 5.* et probabile putat *Spor. n. 871*, quia ex una parte non potes simulare susceptionem Sacramenti, ex alia, non violas sigillum omittendo confiteri; sic enim nihil revelas de crimine pœnitentis, cum innumeræ possint esse causæ mutandi Confessarium. Communis tamen, et verius tenent oppositum *Lugo d. 23. n. 105. Mazz. t. 3. n. 189. et Croix. n. 1978. cum Viva, Dic. et Stoz*, ac etiam probabile censet *Sporer l. c.* Ratio, quia in tali omissione, quamvis non adsit revelatio sigilli, semper tamen adest quædam odiosa exprobratio pœnitentis. Neque tunc oportet tibi simulare Sacramentum (quòd revera esset intrinsecè malum), sed potes illi ficto Sacerdoti vel Confessario simpliciter aliquod peccatum manifestare sine intentione absolutionis: quod in hoc casu non esset illicitum, cum tua cooperatio ad peccatum illius esset tantum materialis.

661. — Cæterum, generaliter loquendo, dico, quòd esto Con-

fessarius in hac materia tam gravi et periculosa debeat esse valde cautus, ne pœnitentes ex Confessione aliquid injustum gravamen subeant, ut sub initio animadversum voluimus; tamen non tenetur cavere omnes leves conjecturas, quas facilè malitiosi faciunt, sed tantum ne præbeat suspensiones probabiles de peccatis auditis, ut dicunt *Lugo D. 23. n. 106. cum Scoto, Palat. et Med. ac Croix num. 1749. cum Gob. Tambur. et Gorm. ex D. Thom. Quodlibet 5. art. 13.* ubi sic ait: « Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione » auditum, vel ad aliquam (nota) probabilem suspensionem habendam, de ipso nullo modo Prælati deberet subditum removere. »

## DUBIUM II.

Quale sit præceptum, et quæ obligatio Confessionis.

662. Quos, et quando obliget hoc præceptum? Et quomodo computetur tempus annuæ Confessionis? — 665. An præceptum divinum Confessionis obliget extra articulum mortis? — 664. Quomodo obliget iuramentum Medicorum non visitandi infirmos non confessos? Vide etiam lib. 3. num. 182. — 663. Qui teneantur ad præceptum Confessionis? — 666. An impuberes? An isti possint absolvi, si dubitetur de usu rationis ( *Bemiss. ad num. 432.* ) — 667. An obligetur ad Confessionem annualem habens sola venialia? — 668. An qui non satisfacit præcepto, teneatur ad illud quamprimum? — 669. Et an per Confessionem, quæ fit anno sequenti, satisfiat præcepto etiam antecedentis? — 670. An in Paschate sit obligatio confitendi proprio Parocho? — 671. An teneatur quis aliquando confiteri ante finem anni? — 672. An satisfiat præcepto per Confessionem invalidam? — 673. Qui ab hoc præcepto excusentur. — 674. Pœnæ in transgredientes hoc præceptum.

662. — « RESP. Præceptum confitendi, tum divinum, tum ecclesiasticum sub mortali obligat omnes ac solos baptizatos, qui » habent mortale: illud in articulo mortis; hoc verò postquam » ad annos discretionis pervenerint: et simul ut confiteantur » proprio Sacerdoti, vel alteri cum ejus venia, semel in anno: » computando ab una confessione ad aliam, ut quidam docent » ( *Ut Sol. et Gran. ap. Viva de Pœnit. Qu. 4. ar. 3. num. 4.* ) » vel ab initio Januarii ad finem Decembris, ut habet communior » ( *Et tenent Viva loc. cit. ac Pal. et alii apud Croix n. 2043.* ) » vel denique à Paschate ad Pascha, ut consuetudo fere obtinuit » propter Communionem *Suar. d. 35. s. 2. Vasq. qu. 90. art. 2.* » *Card. de Lugo d. 11. s. 3. 6 et 7. Coninck d. 5. d. 6.* » ( *Hinc rectè ait Holzm. t. 1. p. 341. n. 33.* quòd per se loquendo, annus » esset computandus à Januario ad Decembrem, tamen, spectata » universali consuetudine, computatur, incipiendo à Paschate » ad Pascha. » ) »

663. — Quæritur, an præceptum Confessionis obliget per se aliquando in vita extra periculum mortis? Commune est non

quòd si pœnitens indispositus minitetur Confessarium ob negatam absolutionem, bene poterit Confessarius ab illo aufugere, et non redire, quia tunc illæ minæ non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam, sed peccatum in Confessione commissum, quod sigillo non gaudet. Hæc tamen fuga tantum permittitur Confessario, si fugiendo non ingerat aliis suspicionem negatæ absolutionis; quòd si autem ingereret, posset recitare aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem pœnitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis pœnitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis. Vide dicta de Sacrament. hoc l. 6. n. 59. v. *E conuerso*.

660. — Dubitatur V. An Confessarius sciens ex Confessione Ecclesiam esse pollutam, possit ibi celebrare? Hic casus quidem difficulter accidet, nam (sicut diximus hoc lib. 6. n. 364.) ut Ecclesia polluitur, requiritur publica violatio; tamen aliquando bene accidere possit, nempe si violatio esset quidem publica, sed Confessario incognita, vel si alii ignorarent per tale factum Ecclesiam esse pollutam. In his autem casibus prima sententia, quam tenent *Sporer de Pœnit. n. 874. et Bon. eod. tit. q. 6. p. 4. n. 23. cum Sylvest. Lazar. et aliis*, dicit Confessarium posse et teneri celebrare. Ratio, quia Ecclesia in favorem sigilli non videtur tunc velle obligare Sacerdotem ad non celebrandum. Secunda tamen sententia, quam tenent *Lugo dist. 23. n. 125. et Aversa, ac Tamb. apud Croix l. 6. part. 2. n. 1976*, censet non posse celebrare, quia ex una parte urget præceptum non sacrificandi in Ecclesia polluta, et ex alia minimè urget præceptum servandi sigilli, cum nullum adsit periculum revelationis apud alios, nec damni pœnitentis. Et hæc sententia videtur satis probabilis cum *Mazzott. p. 589*, si revera nullum sequatur pœnitentis gravamen, et nulla fiat revelatio indirecta, putà si Confessarius justum exponat prætextum alibi celebrandi.

Dubit. VI. An si ex Confessione scias aliquem (cui solitus es confiteri) non esse Sacerdotem, vel non esse Confessarium, possis et teneris pergere ad ei confitendum? Negat *Sanch. de Matr. lib. 3. d. 16. n. 5.* et probabile putat *Spor. n. 871*, quia ex una parte non potes simulare susceptionem Sacramenti, ex alia, non violas sigillum omittendo confiteri; sic enim nihil revelas de crimine pœnitentis, cum innumeræ possint esse causæ mutandi Confessarium. Communis tamen, et verius tenent oppositum *Lugo d. 23. n. 105. Mazz. t. 3. n. 189. et Croix. n. 1978. cum Viva, Dic. et Stoz*, ac etiam probabile censet *Sporer l. c.* Ratio, quia in tali omissione, quamvis non adsit revelatio sigilli, semper tamen adest quædam odiosa exprobratio pœnitentis. Neque tunc oportet tibi simulare Sacramentum (quòd revera esset intrinsecè malum), sed potes illi ficto Sacerdoti vel Confessario simpliciter aliquod peccatum manifestare sine intentione absolutionis: quod in hoc casu non esset illicitum, cum tua cooperatio ad peccatum illius esset tantum materialis.

661. — Cæterum, generaliter loquendo, dico, quòd esto Con-

fessarius in hac materia tam gravi et periculosa debeat esse valde cautus, ne pœnitentes ex Confessione aliquid injustum gravamen subeant, ut sub initio animadversum volumus; tamen non tenetur cavere omnes leves conjecturas, quas facilè malitiosi faciunt, sed tantum ne præbeat suspensiones probabiles de peccatis auditis, ut dicunt *Lugo D. 23. n. 106. cum Scoto, Palat. et Med. ac Croix num. 1749. cum Gob. Tambur. et Gorm. ex D. Thom. Quodlibet 5. art. 13.* ubi sic ait: « Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione » auditum, vel ad aliquam (nota) probabilem suspensionem habendam, de ipso nullo modo Prælati deberet subditum removere. »

## DUBIUM II.

Quale sit præceptum, et quæ obligatio Confessionis.

662. Quos, et quando obliget hoc præceptum? Et quomodo computetur tempus annuæ Confessionis? — 665. An præceptum divinum Confessionis obliget extra articulum mortis? — 664. Quomodo obliget iuramentum Medicorum non visitandi infirmos non confessos? Vide etiam lib. 3. num. 182. — 663. Qui teneantur ad præceptum Confessionis? — 666. An impuberes? An isti possint absolvi, si dubitetur de usu rationis ( *Bemiss. ad num. 432.* ) — 667. An obligetur ad Confessionem annualem habens sola venialia? — 668. An qui non satisfacit præcepto, teneatur ad illud quamprimum? — 669. Et an per Confessionem, quæ fit anno sequenti, satisfiat præcepto etiam antecedentis? — 670. An in Paschate sit obligatio confitendi proprio Parocho? — 671. An teneatur quis aliquando confiteri ante finem anni? — 672. An satisfiat præcepto per Confessionem invalidam? — 673. Qui ab hoc præcepto excusentur. — 674. Pœnæ in transgredientes hoc præceptum.

662. — « RESP. Præceptum confitendi, tum divinum, tum ecclesiasticum sub mortali obligat omnes ac solos baptizatos, qui » habent mortale: illud in articulo mortis; hoc verò postquam » ad annos discretionis pervenerint: et simul ut confiteantur » proprio Sacerdoti, vel alteri cum ejus venia, semel in anno: » computando ab una confessione ad aliam, ut quidam docent » ( *Ut Sol. et Gran. ap. Viva de Pœnit. Qu. 4. ar. 3. num. 4.* ) » vel ab initio Januarii ad finem Decembris, ut habet communior » ( *Et tenent Viva loc. cit. ac Pal. et alii apud Croix n. 2043.* ) » vel denique à Paschate ad Pascha, ut consuetudo fere obtinuit » propter Communionem *Suar. d. 35. s. 2. Vasq. qu. 90. art. 2.* » *Card. de Lugo d. 11. s. 3. 6 et 7. Coninck d. 5. d. 6.* » ( *Hinc rectè ait Holzm. t. 1. p. 341. n. 33.* quòd per se loquendo, annus » esset computandus à Januario ad Decembrem, tamen, spectata » universali consuetudine, computatur, incipiendo à Paschate » ad Pascha. » ) »

663. — Quæritur, an præceptum Confessionis obliget per se aliquando in vita extra periculum mortis? Commune est non

obligare per se statim post peccatum; ita *S. Th. in 4. Dist. 17. qu. 3. art. 1. qu. 4. quem sequuntur Suar. Lugo, Reg. Vill. etc. cum Salm. de Pœnit. c. 7. n. 5.* Dubium est, an obliget per se saltem sæpius in vita? Negant pariter *D. Th. l. c. et Scotus, ac Gabr. ap. Salm. ib. item Pal. Bosco, et Dic. apud Croia. l. 6. p. 2. n. 2020.* Ratio, quia talis obligatio nullo fundamento certo videtur probari, cum possit peccator per contritionem Deo se reconciliare. Sed communiùs affirmant *Salmant. n. 9. cum Reg. Vict. Led. et Gran. ac Croix l. c. cum Rodr. Ills. Gorm. etc.* Et hoc videtur probabilius quia (juxta dicta n. 297. in simili præcepto, nempe Communions), cum præceptum hoc sit divinum, Christus reliquit illud determinandum ab Ecclesia, quæ in *c. Omnia de Pœnit. etc.* determinavit obligare saltem semel in anno. Præter hoc autem (ut diximus n. 437. Dub. 1.), tale præceptum per accidens obligat peccatorem etiam infra annum ad Confessionem, si non conteratur, ratione caritatis erga seipsum, ne diu maneat in mortali.

664. — Hic obiter agendum de quæstione illa de qua jam egimus *Tom. 2. l. 3. n. 182.* Sed hic plenius est disceptanda: Quomodo Medici teneantur infirmos de Confessione monere? Sciendum est, quod Concilium Lateranense sub Innoc. III. in *c. Cum infirmitas 13. de Pœnit. et rem.* præcepit districtè (nempe sub gravi, ut omnes interpretantur apud *Salm. tr. 17. de Juram. c. 2. n. 90.*) omnibus Medicis, ne infirmos in suam curam recipiant nisi priùs infirmi confiteantur. Deinde *S. Pius V in Motu proprio*, quod incipit, *Supra gregem*, edito an. 1566, innovando præfatam sanctionem præcepit: « Ne medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat de Confessione faciendâ; neque ultra tres dies eum invisat, nisi scripto Confessarii resciat eum esse confessum. Et ut Medici, antequam doctoratûs gradum assumant, jurent se hoc præceptum observaturos; et Ordinarii illos non admittant in suis Dicecesibus, nisi constiterit de hoc juramento. »

His positis, quæritur de qua infirmitate hæc Decreta intelligantur? Tres sunt sententiæ. *Prima*, quam tenent *Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 5. item Rosol. Graff. Vega, et Rodrig. ap. Salm. d. c. 2. n. 90.* (et hanc *Ciera Diss. 21.* cui adhæret, vocat communiorem, sed immeritò) dicit intelligi de solo morbo periculoso, vel saltem de quo dubitatur an sit periculosus. Et idem sentit *Nav. Man. c. 25. n. 61.* dicens: « Monitioni non est locus, quando manifestum est, morbum non esse periculosum. » Et in hoc sensu aiunt AA. citati prædicta Decreta usu recepta fuisse. *Secunda* autem sententia, quam tenent *S. Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4. Sylo. v. Medicus, §. Tertium*, dicit intelligi de quocumque morbo, etiam non mortali. Ratio, quia in morbo periculoso etiam de jure naturali præfata monitio faciendâ esset; unde cum in *dict. c. Cum infirmitas*, novum præceptum statuatur, utique textus non est de sola infirmitate mortali intelligendus. *Tertia* verò sententia communior, quam tenent *Suar. in 3. p. d. 35 Sect. 3. n. 4. Sanch. Dec. l. 3. c. 16. n. 7. Bon. t. 2. d. 4.*

*qu. 1. p. 16. n. 10 et 13. Pal. tr. 14. D. 2. p. 7. §. 4. n. 2. Con. 1. 4. p. 86. qu. 5. Vioa q. 4. art. 2. n. 4. Dian. p. 3. tr. 4. R. 93. cum Ang. Arm. Tab. Nunn. Homob. etc. ac Salm. d. num. 90. cum Cajet. Trull. et Candido*, et huic consentit *Benedictus XIV, Notif. 22. num. 19*, dicit 1. hoc præceptum non quidem intelligi de solis morbis periculosis, nam revera Constitutio Innocentii edita fuit (ut exprimitur in *dicto c. 13.*) ob motivum ne infirmi cum monerentur in morbo mortali, faciliùs mortis periculum incurrant; unde præceptum seu juramentum intelligendum est de faciendâ monitione etiam in morbo non periculoso, ut infirmi cum monerentur non incurrant mortis periculum. Dicit 2. nec etiam intelligi de quocumque morbo levi (quod ridiculum esset, ait *Suarez*), sed morbo gravi, etsi non periculoso. Ratio, quia tam Innocentius, quam *S. Pius* loquuntur de infirmis *lecto jacentibus*, et ideo intelligunt loqui de illa infirmitate, qua non ex majori commoditate æger, ut si podagra, aut alio consimili affectu laboret, sed ex necessitate lectum petit, ita ut sit per se gravis, vel pruden-ter judicatur periculosa, ut gravis fiat. Neque revera discrepant ab hac sententia *D. Antonin. et Sylo. loc. supra citatis*; ratio enim ab eis adducta nihil aliud probat, quam quòd faciendâ est monitio etiamsi infirmitas non sit mortalis; unde ipsi non dicunt in omni morbo levi monendum esse infirmum, sed tantum asserunt monendum in morbo etiam non mortali, quem nos gravem appellamus.

Notant autem DD. I. sufficere, ut Medicus moneat infirmum per alios, ita *Mazzotta c. 3. p. 287. ac Suarez, Vioa et Dian. ll. cc. cum Graff. Vega. Homob. etc.* II. Sufficere testimonium aliorum (absque Confessarii scripto), quòd infirmus sit confessus, modò sint fide digni; *Suar. Sanch. Mazz. et Dian. cum Fill. Nunn. Barb. etc.* III. Quòd Medicus non teneatur ad hujusmodi monitionem, si moraliter sit certus infirmum esse in bono statu; ita *Sanch. n. 1. cum S. Anton. Ang. Rosel. Arn. Nav. et Tab. ac Salm. n. 92. cum Sylo. Fagn. Leand. et Trull.* IV. Quòd si infirmus nolit obstinatè confiteri, et esset in periculo mortis, si à Medico desereretur, tunc non tenetur Medicus eum deserere, quia præfata Decreta non adversantur caritati, quæ favet etiam obstinatis quoad fieri potest; ita *Nav. Bon. Suar. Diana, Conc. et Sanch. n. 8. cum Cajet. Graff. et Vega.* Hancque opinionem dicit *Benedict. XIV, Notif. 22. num. 17.* esse communem Theologorum, et Canonistarum cum *Lugo, Pal. Pirhing. etc.*

Circa autem obligationem monendi infirmum de Confessione, stando quidem rigori præfatarum Constitutionum Innocentii et *S. Pii*, omnino videtur vera tertia sententia docens monitionem esse faciendam, non solum quando morbus est mortalis, sed etiam cum adest periculum, ut deinde mortalis evadat; Pontifices enim sanè aliud novum præceptum Medicis imponunt, præter illud ad quod ipsi de jure divino tenentur. Et utinam Constitutiones prædictæ observarentur, quot infirmi damnationem vitarent, qui ob Medicorum oscitantiam Confessionem procrastinando, aut in-

confessi, aut malè confessi decedunt. Sed cum Decreta Pontificum non obligent, nisi secundum quod sunt usu recepta, ut docent *Cajet. in Sum. verb. Medici peccata, Sanch. loc. cit. num. 14. Pal. §. 4. num. 6. Correllat. 16. c. 3. num. 22. Dian. loc. cit. cum Victor. et Scortia, ac Salm. d. c. 2. n. 91. cum Prado, Trull. Leand. et Candido.* Hinc dicunt *Salm. cum Cajet. Sanch. et alius citatis*, præfata Decreta et iuramentum in Hispania non obligare quia ibi non sunt usu recepta, vel sunt abrogata. Idemque testatur *Mazzotti. t. 3. p. 287. et 550.* loquens de nostro Regno, dum ait iuramentum S. Pii Neapoli ex usu recepto (ut etiam mihi constat) tantum in morbis periculosis observari.

665. — « 1. Tenentur hoc præcepto. 1. Hæretici et Apostatæ, pueri doli capaces, saltem post septennium. Vide *Dian. p. 4. t. 3. R. 52. Lugo l. c. s. 7. n. 144 et 149.* 2. Ingrediens periculosa navigationem, vel conflictum. 3. Mulier tenera primum paritura, vel quæ solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adjudicatus. 5. Qui signa habent mortis naturalis. \* (Ita communiter *Salm. de Pœnit. c. 7. n. 6. Viva eod. tit. qu. 4. art. 2. n. 3. et Croix l. 6. p. 1. n. 2019. cum S. Thom. Suar. Pal. Con. etc. Et hoc ex præcepto divino. Addunt Lugo d. 15. n. 37. et Salm. n. 8. cum Navarr. Laym. Azor. Sylo. etc. communiter, peccatorem teneri per se confiteri, si probabiliter credat non amplius habiturum copiam Confessarii per totam vitam. Dicit autem Lugo n. 41. cum communi (contra *Medin. et Nun. non esse obligationem confitendi propter solum periculum oblivionis peccati.*)\* »*

666. — « 2. Improbabile est, quod docet *Sa. verb. Confessio*, Ecclesiam non obligare ante pubertatem, cum anni discretionis citius attingantur, et constet moraliter peccari posse sub annum nonum, vel decimum, imò ante. Unde si talis puer, crasso saltem modo, videatur cognoscere, Deum per hoc, vel illud offendi, ostendatque dolorem, et propositum, ac præcipua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi; secus tamen, si non notetur sufficiens usus rationis; si verò dubium sit, potest (imò in articulo mortis debet) absolvi sub conditione. Vid. *Laym. l. 5. t. 6. c. 5. Dian. p. 4. t. 4. R. 53. et C. de Lugo l. c. et d. 17. n. 22.* ubi docet etiam extra articulum mortis, et obligationem præcepti, talem esse sub conditione absolvendum, ne gratia sacramentali privetur \* (Vide dicta de hoc puncto num. 432.)\* »

667. — « 3. Non obligatur, qui tantum habet venialia, etsi consuetudo habeat, et cogi etiam quisque possit, ut in paschate saltem se sistat Pastori, ut cum reliquis eum ad Communionem admittat, ad quod Pastor tenetur, si alter dicat, se mortalium culpæ non esse conscium. *Suar. d. 36. l. 2. etc. communiter.* \* (An autem Religiosi et Moniales teneantur singulis mensibus ad Confessionem, et Communionem accedere? Vide dicta n. 313. v. Dicunt.)\* »

Quærit. an ad satisfaciendum præcepto annuæ Confessionis, qui non habet mortalia, teneatur confiteri venialia? Prima sen-

tentia affirmat, et hanc tenet *S. Bon. Sylo. (ap. Bon. d. 5. q. 5. p. 4. n. 7.) cum D. Th. in. 4. d. 17. q. 3. art. 1. q. 3. ad 3.* ubi ait: « Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed in » sitione Ecclesiæ, quando non habeat alia quæ confiteatur. » Et probabilem putat *Contin. Tourn. t. 3. p. 658. q. 4. cum Habert. Ratio*, quia Concilium Later. IV sub Innoc. III in c. *Omnis de Pœn.* indistinctè obligat fideles ad confitendum saltem semel in anno, ac proinde etiam eos qui sola habent venialia. *Secunda* tamen sententia communis et verior negat, eamque tenent cum *Bus. et Suar. ut supra, S. Anton. p. 3. tit. 14. c. 19. §. 14. Lug. d. 15. num. 132. Holzm. t. 1. p. 341. n. 28. Bon. l. c. cum Azor. et Salm. c. 7. n. 30. cum Cano, Vasq. Cajet. Laym. Conin. Reg. Pag. Dic. Med. etc.* Ratio, quia Ecclesia, præcipiendo Confessionem annuam, tantum illam Confessionem præcipit, quæ est debita ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam præcipit Confessionem, nisi mortalium, ut explicat *Trid. sess. 14. c. 5.* ubi ait: *Venialia tamen citra culpam posse.* Id confirmatur ex verbis ipsius textus in dicto c. *Omnis*, ubi dicitur: « Omnis fidelis » omnia sua peccata confiteatur saltem semel in anno. » Nota verbum *omnia*; ergo (ut bene advertunt hic *Lugo, Bon. Salm. etc.*) præceptum Lateranensis est de confitendis solis mortalibus, nam certum est apud omnes non esse obligationem confitendi omnia venialia.

668. — « 4. Probabile est, eum, qui in uno anno, sive cum, » sive sine culpa sua, non satisfecit præcepto, teneri adhuc, quamprimum potest, anno sequenti; quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. Ac proinde talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occasionem neglexit, ut docent *Bon. d. 5. q. 5. s. 2. Suar. Vasq. Card. de Lugo l. c. nu. 177. et contra Sylo. Valent. Laym. Dian. etc.* qui dicunt perseverare in uno eodemque peccato. \* (Vid. d. n. 297. de annuæ Communionis præcepto, quod pari passu procedit cum præcepto annuæ Confessionis; ibi sententiæ affirmativæ adhæsimus, etsi diximus sententiam negativam cum *S. Antonin. Tolet. Sa, etc.* quæ hanc obligationem non agnoscit, non esse contemnendam.)\* »

669. — Utrum verò per Confessionem factam in sequenti anno, posita obligatione juxta sententiam mox supra dictam, satisfiat præcepto utriusque anni? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Lugo d. 13. n. 180. Dic. Bonasp. et Anton. à Sp. S. apud Salm. c. 7. n. 45.* Ratio, quia præceptum de Confessione est de illa facienda semel in anno; ergo qui eam fecit, hoc eodem anno non tenetur ad aliam. Alioquin, qui per tres annos non fuisset confessus, quater deberet confiteri. *Secunda* sententia negat, et eam tenent *Suar. t. 4. in 3. p. d. 36. sect. 4. n. 5. Laym. c. 5. n. 10. Bonac. p. 4. n. 31. cum Con. Fill. et Nunno*; quia sicut qui singulis annis teneturolvere denarium, si anno præterito non solvit, non satisfacit solvendo hoc anno unum denarium, ita non potest quis una Confessione præcepto duorum annorum satisfacere.

Tertia tamen sententia verior, quam tenent *Pal. p. 26. §. 2. n. 15. Vioa q. 4. a. 3. n. 5. et Salm. c. 7. n. 45. cum Præp. Hurt. et Leand. sic distinguit: « Si pœnitens in Confessione manifestet peccata mortalia tam antecedentis, quam præsentis anni, tunc bene satisfacit utriusque anni obligationi. » Ratio, quia per illam unam Confessionem jam implet finem præcepti, nempe ut ipse cum Deo reconcilietur: idque est contra secundam sententiam. Nec obstat paritas denarii allata; nam solutio unius denarii non potest quidem solutioni duorum denariorum debitorum æquivalere, sed una Confessio bene potest æquivalere pluribus Confessionibus, cum una Confessio deleat omnia peccata, quæ per plures fuerant delenda. Si verò pœnitens in præsentis anno non peccavit mortaliter ante Confessionem et postea incidit in mortale, tunc una Confessione non satisfacit præceptis utriusque anni, sed tenetur iterum confiteri. Ratio, quia per illam Confessionem tantum satisfacit præcepto anni præteriti, non autem præsentis, cum respectu præcepti præsentis anni non satisficiat, qui non confitetur mortalia istius anni; communiter enim docent DD. et merito, prout *Laym. l. c. Pal. §. 3. n. 1. et Salm. n. 41. cum Suar. Vasq. Bon. Becc. Dic. Reg. Diana, Hurt. Leand. etc. ac ipse Lugo D. 15. n. 173.* quòd si quis confitetur sola venialia in principio anni, et ante finem committit mortale, tenetur illud intra illum annum confiteri. Unde cum Confessio illa mortaliæ commissuram tantum in anno præterito non sit impletiva præcepti anni præsentis, sequitur quòd si pœnitens in hoc anno aliquòd mortale committat, teneatur illud ante finem anni confiteri.*

670. — « 5. Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicantibus, etiam in Paschate, quia hi habent facultatem à Sacerdote maxime proprio omnium fidelium, et Pastore Pastorum. Ita communiter omnes contra *Glossatorem, et Auctorem Parochiani obedientis.* Contra quos vid. in Responsis *Francisci Pontani* editis Viennæ Austriæ anno 1634, allegatam auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, Viennensis et Tridentini, 20 Pontificum, 50 Doctorum, et præter totius orbis consensum multorum quoque Parochorum testantium, eos esse optimos Parochianos, qui Regulares adeunt, et ab iis instituuntur, ut supra *l. 3. t. 3. c. 1. dub. 3. item Navarr. Azor. Fag. Trull. l. 3. c. 4. d. 2. n. 6. Dian. p. 8. t. 1. R. 88.* (Vide dicta de hoc puncto n. 564.) »

671. — « 6. Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale timet ne illud obliviscatur. *Conin. Henr. C. de Lug. d. 14. n. 41.* et alii contra *Med. etc.* Si tamen prævideret, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet prævenire etiam in medio anni. *Card. de Lugo disp. 15. sect. 6. n. 182.* (Vide dicta n. 298.) »

672. — « 7. Probabilius est, non satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem invalidam, ut docent *Suar. d. 36. s. 7. Fill. Laym. C. de Lugo d. 15. s. 6. §. 5.* etsi probabile contrarium putet esse *Fagund. Vide Dian. p. 3. t. 4. R. 120.* (Impro-

» babile tamen nunc est propter prop. 14, inter damnatas ab Alexandro VII. ) » Item nec per confessionem venialium, ut docet *Diana. p. 4. t. 4. R. 206. ex Hurt. et Mercero.* (V. dicta n. 669. in fine.) »

673. — « 8. Excusantur ab hoc præcepto, 1. qui physicè non possunt; v. g. quibus deest Confessarius; 2. qui moraliter non possunt; v. g. qui prudenter timent revelationem sigilli; vel qui non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, etc. *Conin. Tamb. c. 4. §. 3.*

674. — « Nota in fine quòd de jure communi ex cap. *Omnis utriusque sexus*, duplex pœna incurritur à transgredientibus tale præceptum, scil. prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, et privatio sepulturæ; sed incurritur post sententiam Judicis. Et impuberes à prædicta pœna excusantur. (Ita *Vioa ex comm. q. 4. art. 3. n. 9. Vide dicta n. 295. v. Præceptum.*) »

## APPENDIX.

### De Confessariis sollicitantibus.

675. — Ex bulla Gregorii XV, edita anno 1622, ac descripta apud *Salm. de præcept. Decalogi c. 4. n. 17.* denunciari debent « Omnes... Sacerdotes (verba Bullæ) tam seculares, quam... regulares... qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacrali mentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis... etiam... Confessione non secuta sive extra Confessionis occasionem, in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » Et deinde subjungitur: « Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu... tractantes, etc. Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, etc. » Et si hoc officium prætermiserint, mandat Pontifex, ut pro modo culpæ puniantur. In edicto autem generalis Inquisitionis imponitur excommunicatio latæ sententiæ in non denunciante infra mensem omnes de hæresi suspectos, inter quos enumerat Confessarios sollicitantes ad turpia. De hac autem excommunicatione vide dicenda n. 693.

Hæc refert adnotare auctores quos observavi tractantes de hac materia sollicitationis, cum adnotatione locorum. Sunt videlicet *Castr. tom. 1. tr. 4. de Fide d. g. Bon. t. 1. d. 6. de oblig. denunci. p. 3. Escob. t. 6. p. 1. l. 47. c. 29. Salm. de Præc. Dec. c. 4. punct. 3. Felix Pot. part. 3. ex n. 482. Ronc. de Pœnit. ex p. 113. Diana*

Tertia tamen sententia verior, quam tenent *Pal. p. 26. §. 2. n. 15. Vioa q. 4. a. 3. n. 5. et Salm. c. 7. n. 45. cum Præp. Hurt. et Leand. sic distinguit: « Si pœnitens in Confessione manifestet peccata mortalia tam antecedentis, quam præsentis anni, tunc bene satisfacit utriusque anni obligationi. » Ratio, quia per illam unam Confessionem jam implet finem præcepti, nempe ut ipse cum Deo reconcilietur: idque est contra secundam sententiam. Nec obstat paritas denarii allata; nam solutio unius denarii non potest quidem solutioni duorum denariorum debitorum æquivalere, sed una Confessio bene potest æquivalere pluribus Confessionibus, cum una Confessio deleat omnia peccata, quæ per plures fuerant delenda. Si verò pœnitens in præsentis anno non peccavit mortaliter ante Confessionem et postea incidit in mortale, tunc una Confessione non satisfacit præceptis utriusque anni, sed tenetur iterum confiteri. Ratio, quia per illam Confessionem tantum satisfacit præcepto anni præteriti, non autem præsentis, cum respectu præcepti præsentis anni non satisficiat, qui non confitetur mortalia istius anni; communiter enim docent DD. et merito, prout *Laym. l. c. Pal. §. 3. n. 1. et Salm. n. 41. cum Suar. Vasq. Bon. Becc. Dic. Reg. Diana, Hurt. Leand. etc. ac ipse Lugo D. 15. n. 173.* quòd si quis confitetur sola venialia in principio anni, et ante finem committit mortale, tenetur illud intra illum annum confiteri. Unde cum Confessio illa mortaliū commissorum tantum in anno præterito non sit impletiva præcepti anni præsentis, sequitur quòd si pœnitens in hoc anno aliquòd mortale committat, teneatur illud ante finem anni confiteri.*

670. — « 5. Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicantibus, etiam in Paschate, quia hi habent facultatem à Sacerdote maxime proprio omnium fidelium, et Pastore Pastorum. Ita communiter omnes contra *Glossatorem, et Auctorem Parochiani obedientis.* Contra quos vid. in Responsis *Francisci Pontani* editis Viennæ Austriæ anno 1634, allegatam auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, Viennensis et Tridentini, 20 Pontificum, 50 Doctorum, et præter totius orbis consensum multorum quoque Parochorum testantium, eos esse optimos Parochianos, qui Regulares adeunt, et ab iis instituuntur, ut supra *l. 3. t. 3. c. 1. dub. 3. item Navarr. Azor. Fag. Trull. l. 3. c. 4. d. 2. n. 6. Dian. p. 8. t. 1. R. 88.* (Vide dicta de hoc puncto n. 564.) »

671. — « 6. Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale timet ne illud obliviscatur. *Conin. Henr. C. de Lug. d. 14. n. 41.* et alii contra *Med. etc.* Si tamen prævideret, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet prævenire etiam in medio anni. *Card. de Lugo disp. 15. sect. 6. n. 182.* (Vide dicta n. 298.) »

672. — « 7. Probabilius est, non satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem invalidam, ut docent *Suar. d. 36. s. 7. Fill. Laym. C. de Lugo d. 15. s. 6. §. 5.* etsi probabile contrarium putet esse *Fagund. Vide Dian. p. 3. t. 4. R. 120.* (Impro-

» babile tamen nunc est propter prop. 14, inter damnatas ab Alexandro VII. ) » Item nec per confessionem venialium, ut docet *Diana. p. 4. t. 4. R. 206. ex Hurt. et Mercero.* (V. dicta n. 669. in fine.) »

673. — « 8. Excusantur ab hoc præcepto, 1. qui physicè non possunt; v. g. quibus deest Confessarius; 2. qui moraliter non possunt; v. g. qui prudenter timent revelationem sigilli; vel qui non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, etc. *Conin. Tamb. c. 4. §. 3.*

674. — « Nota in fine quòd de jure communi ex cap. *Omnis utriusque sexus*, duplex pœna incurritur à transgredientibus tale præceptum, scil. prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, et privatio sepulturæ; sed incurritur post sententiam Judicis. Et impuberes à prædicta pœna excusantur. (Ita *Vioa ex comm. q. 4. art. 3. n. 9. Vide dicta n. 295. v. Præceptum.*) »

## APPENDIX.

### De Confessariis sollicitantibus.

675. — Ex bulla Gregorii XV, edita anno 1622, ac descripta apud *Salm. de præcept. Decalogi c. 4. n. 17.* denunciari debent « Omnes... Sacerdotes (verba Bullæ) tam seculares, quam... regulares... qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacra- mentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis... etiam... Confessione non secuta sive extra Confessionis occasionem, in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » Et deinde subjungitur: « Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu... tractantes, etc. Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, etc. » Et si hoc officium prætermiserint, mandat Pontifex, ut pro modo culpæ puniantur. In edicto autem generalis Inquisitionis imponitur excommunicatio latæ sententiæ in non denunciante infra mensem omnes de hæresi suspectos, inter quos enumerat Confessarios sollicitantes ad turpia. De hac autem excommunicatione vide dicenda n. 693.

Hæc refert adnotare auctores quos observavi tractantes de hac materia sollicitationis, cum adnotatione locorum. Sunt videlicet *Castr. tom. 1. tr. 4. de Fide d. g. Bon. t. 1. d. 6. de oblig. denunci. p. 3. Escob. t. 6. p. 1. l. 47. c. 29. Salm. de Præc. Dec. c. 4. punct. 3. Felix Pot. part. 3. ex n. 482. Ronc. de Pœnit. ex p. 113. Diana*

p. 4. tr. 5. per totum *Conc. de Pœn. ex p. 756. Mazz. eod. tit. t. 3. ex p. 435. Anacl. ex p. 621. q. 5.* Cæterum pauci auctores hanc rem ex professo tractant, forte quia non ubique præfata Bulla Gregorii recepta est, prout asserit *Anacl. n. 67.* de Germania, *Palau.* de Hispania. Sed hîc advertendum quod N. SS. P. Bened. XIV novissimè anno 1741 Jun. ediderit Bullam, quæ incipit *Sacramentum*; in qua confirmavit, et, quatenus opus, denuo mandavit omnibus Inquisitoribus, et locorum universi Orbis Christiani Ordinariis, ut inquirent et procedant contra omnes Sacerdotes sollicitantes cujuscumque dignitatis, præminentia, etc.

## §. I.

### Perpenduntur Clausulæ in præfata Bulla Gregorii IX appositæ.

676. De clausula I. *In actu sacramentalis Confessionis.* — 677. De clausula II. *Ante vel post immediatè.* — 678. De clausula III. *Occasione, vel prætextu Confessionis.* — Quid importet tō *Occasione Confessionis*? Dub. 1. An denunciandus, qui sollicitat mulierem rogantem, ut cras eam audiat? Dub. 2. An qui, audita fragilitate mulieris, postea domi eam sollicitat? — 679. Quid importet tō *Prætextu Confessionis*? Et quid, si ex condico mulier, fingens se ægrotam, advocet Confessarium ad peccandum? — 680. De clausula IV. *In Confessionario, aut in loco quocumque... simulantes ibidem Confessiones audire.* Quid importet illud *simulantes*? Et quid si Confessarius sollicitet in Confessionario, sine tamen simulatione Confessionis?

676. — CLAUSULA I. *In actu sacramentalis Confessionis.* Ad hoc sufficit, si Confessio sit incepta, licet non perfecta: ita *Salm. d. c. 4. n. 44. et Ronc. de pœnit. Q. 8. c. 1. q. 4.* Nota hîc Prop. VI. damnatam ab *Alex. VII.* quæ dicebat: « Confessarius, qui » in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti cartam postea » legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse » in Confessione. » Pariter denuntiandus est Confessarius, si in Confessione apponat medium indifferens, quod tamen ex circumstantiis postea cognoscatur appositum ad sollicitandum, ut esset imponere mulieri, ut expectet eum domi: vel si interroget eam, ubi habitet; ita *Conc. d. l. cum Bordon.*

677. Clausula II. *Immediatè ante, vel post.* Illud *immediatè ante*, sentiunt communius *Passerin. et Boss. apud Ronc. q. 6.* (contra aliquos apud *Barbos.*), strictè intelligendum esse, ita ut nullum intervallum intercedat. An autem denunciari debeat Confessarius, qui sollicitat immediatè postquam pœnitens petierit Confessionem? Affirmant *Salm. num. 51.* sed probabilius, ut puto, negat *Bordon. apud Potest. n. 104.* Notandum tamen quod eo casu, licet Confessarius non sit denunciandus ex clausula prædicta, denunciandus tamen sit ex clausula tertia sequenti: *occasione*

*Confessionis*, ut infra; si enim Confessarius utatur petitione illa, ut medio ad sollicitandum, utique est denunciandus; secus, si utatur tantum ad colloquendum, et si postea in progressu colloquutionis tentatum sollicitat.

Illud autem, *immediatè post*, communiter à DD. intelligitur, quando post Confessionem nec Confessarius nec pœnitens ad alia se diverit, ita ut eveniat sollicitatio, antequam ulla alia actio intervenerit; ita *Salm. Roncag. Pot. n. 503.* cum *Hurt. Lez. Peyrin.* Dicit autem *Potest. n. 104.* non esse denunciandum Confessarium qui sollicitat, postquam pœnitens recesserit ab ejus conspectu. Verumtamen denunciandum esse rectè censet Confessarium, qui statim post Confessionem dicit pœnitenti, *expecta me paulisper*, et post intervallum venit, et sollicitat, etiamsi, accedendo, prius habeat de alio negotio seriò tractatum, quia tunc talis tractatus prudenter fictus præsumitur: secus verò si venit sequenti die, et sollicitet: ita *Potest. n. 106.* Sed quidam doctus non utique improbabiler dicit, quod si negotium illud magni sit momenti, et ad Confessarium pertinens, minimè est ipse denunciandus. Quare ex circumstantiis judicandum, an probabiliter intenta fuerit sollicitatio et negotium, ut medium; an verò negotium principaliter, et sollicitatio per accidens.

Constat autem denunciandum esse Confessarium, si statim post confessionem ducat puerum in cubiculum, et sollicitet; quia tunc statim ponit si non sollicitationem, saltem illius medium, ita *Ronc. d. q. 6. et Pot. cum Dian. etc. n. 507.* Item, si audita Confessione scemina, dum ea ad manum deosculandam accedit, Confessarius illam turpiter tangat: vel dum est ante ipsum ut confiteatur, pedibus, aut manibus turpiter tangat illam, si immediatè post ipsa confitetur, pariter est denunciandus. Si verò alia vice confiteatur, vide dicenda in Clausula IV. num. 680.

678. — Clausula III. *Occasione vel prætextu Confessionis.* Dicitur *occasione Confessionis*, quando Confessarius vel pœnitens invitatur ad Confessionem veram: *prætextu* verò, quando ad Confessionem fictam: ita *Potestas, n. 109. Ronc. qu. 7. et Conc. num. 7.*

Et 1. Ex particula *occasione Confessionis*, denunciandus est Confessarius qui rogatus ad Confessionem divertit, et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa; ita communiter *Salm. n. 52. Potestas n. 510.* in fine, et *Ronc. l. c. et Pal. p. 7. num. 6.*

Dubit. 1. An denunciari debeat Confessarius, qui rogatus à scemina, ut cras ejus Confessionem excipiat, eam sollicitat? Affirmant *Conc. num. 7. et Mazz. p. 439. cum Potest.* et alius, quia jam verificatur sollicitasse occasione Confessionis. Negant verò *Pal. p. 7. n. 4. et Quarti, ac Leand. ap. Mazz.* quia talis sollicitatio non est proxima Confessionis faciendæ, sed potiùs conventioni de Confessione faciendæ. Sed hoc non officit, quominus sollicitatio dicatur facta occasione Confessionis. Unde primæ sententiæ me subscribo.



Dubit. 2. An denunciari debeat Confessarius qui ob fragilitatem mulieris auditam in ejus Confessione, postea domi eam sollicitaverit? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Sousa de Confess. soll. num. 10.* et alii apud *Dian. p. 4. tract. 5. R. 7.* item *Salm. num. 51. cum Trull. et Leand.* et idem sentit Auctor *lib. Instruz. per li Nov. Conf. part. 2. c. 14. n. 293.* Ratio, quia is non utitur tunc occasione Confessionis, sed notitia ex illa habita; ideoque tunc dicitur Confessarius peccare non ex occasione sed ex cognitione Confessionis, cum sollicitatio sit remota à loco et statu Confessionis. *Secunda* tamen sententia probabilior affirmat, eamque tenent *Mazzotta p. 439. Potestas n. 504. in fine, et n. 587. Conc. n. 7. Perr. cum Graff. ap. Dian. l. c. et Ronc. q. 7. cum Lez. Boss. et Bord.* Ratio, quia, cum sollicitatio impulsus habeat à Confessione, satis verificatur, quod occasione Confessionis fiat sollicitatio. Satis autem præsumitur Confessarius usus fuisse notitia Confessionis ad sollicitandum, si post audita peccata turpia pœnitentis, suamque propensionem ad venerem ostensam, interroget de domo ubi habitat, an maneat sola et similia; vel (ut ait *Conc.*) si ante confessionem Confessarius et pœnitens mutuo fuissent ignoti, et occasione cognita levitatis ipse domum mulieris adeat, et sollicitet. Item rectè ait dicendum *Ronc. cum A. A. à se cit.* si Confessarius sollicitat per epistolam; vel si Confessarius obtineat, vel petat à muliere consensum copulæ, promittendo ejus Confessionem audire.

679. — 2. *Prætextu* autem Confessionis denunciandus est Confessarius, qui ex pravo fine fictè invitat mulierem ad Confessionem, et deinde sollicitat; *Conc. n. 8. Mazz. d. p. 439. et Ronc. d. q. 7. cum Bord.* Si verò Confessarius vadit ad sollicitandam fœminam, petendo licentiam à suo superiore sub prætextu Confessionis, merito dicunt *Salm. n. 55. et Ronc. l. c. in fine cum Bord. ac Tancredi apud Potest. n. 513.* non esse denunciandum, quia tunc prætextus Confessionis non est respectu pœnitentis, sed respectu superioris. An autem denunciari debeat Confessarius qui convenit cum muliere, ut ad eludendos domesticos se fingat ægotam, et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum? Affirmant *Conc. et Mazzot. ll. cc. item Fagund. apud Potest. num. 513. ac Sanctius apud Dian. p. 4. tr. 5. R. 37.* quia prætextus Confessionis tunc videtur satis manifestus. Sed probabilius negant *Ronc. d. q. 7. in fine, cum Bord. Diana l. c. et Escob. n. 662. cum Trull. cum Freita, ac Leand.* Ratio, quia tunc non verificatur quod Confessarius sollicitet prætextu Confessionis, sed tantum quod prætextu Confessionis peccatum exequatur; ita ut prætextus Confessionis tunc jam ordinetur non ad sollicitationem, sed ad familiares decipiendos. Et tantò minus (contra *Concinam*) puto esse denunciandum Confessarium si mulier, nulla conventionem præmissa, prætextu Confessionis ipsum advocet et sollicitet, quamvis deinde rem habeant; quia ex Bulla tunc Confessarius denunciari debet, quando ipse sollicitat prætextu Confessionis; at in hoc casu non Confessarius, sed

pœnitens prætextu Confessionis Confessarium sollicitat. Secus verò censeo dicendum, si Confessarius extra Confessionem sollicitaret, et fœmina renueret timens diffamationem; et ideo Confessarius ei suaderet, ut fingens se ægotam eum accerseret ad peccandum; quia tunc verè diceretur Confessarius prætextu Confessionis sollicitare fœminam ad præstandum consensum. Idem puto dicendum, si Confessarius advocetur à matre puellæ, ut filia Confessionem excipiat, et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine ad alloquendam puellam de Confessione, nempe eam interrogando an velit confiteri, vel dicendo se advocatum fuisse ad audiendam ejus Confessionem, et deinde sollicitet; quia tunc etiam sollicitaret prætextu Confessionis. Idem dicendum puto cum *Escob. n. 662. et Diana d. R. 37.* quando Confessarius in loco ad Confessiones deputato, et sub Confessionis figura sive specie simulat, ad illudendos spectantes, Confessionem audire, et sollicitet, tunc enim denunciandus est, non jam quia sollicitat prætextu Confessionis, sed quia sollicitat simulando Confessionem in loco ad ipsam deputato, ut mox dicemus *num. seq.*

680. — Clausula IV. « Extra Confessionis occasionem in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessionem audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » Tò *simulantes ibidem Confessiones audire*, quidem intelligitur, si Sacerdos ita se gerat, ut adstantes credant actu ipsum audire Confessionem. Dicunt autem *Ronc. q. 8. et Escob. num. 675. cum aliis*, quod ad simulandam Confessionem non sufficiat si fœmina flexis genibus coram Confessario assistat, sed insuper requiritur, ut Confessarius voce, nutu, sive aliqua actione, puta applicando aures, simulat Confessionem audire, quia (ut aiunt) simulatio non solum debet esse ex parte pœnitentium, sed etiam ex parte Confessariorum, cum in Bulla de his dicatur, *Simulantes ibidem Confessiones audire*. Sed melius sentiunt *Pal. p. 8. n. 4. Diana R. 18. et Fagund. ac Trull. apud Escob. n. 673.* quod cum Confessarius adest in loco deputato ad audiendas Confessiones, et fœmina genuflexa ibi adstat, eamque Confessarius sollicitat, jam denunciandus est; quia ipse manendo ibi audiens pœnitentem, jam satis ingerit spectantibus credulitatem quod illa confiteatur, ideoque ipso facto jam simulat Confessionem audire. Secus tamen dicendum puto, si in aliquo loco, quamvis electo ad Confessionem, extra tamen Confessionarium, Sacerdos sollicitaret fœminam stantem, vel sedentem, aut cubantem, juxta mox dicenda.

Dixi, *extra Confessionarium*, nam dubium hîc fit, an denunciari debeat Confessarius qui sollicitat, vel tractat turpia in Confessionario, quin tamen Confessionem simulat? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Pal. p. 8. n. 4. Escob. n. 669. Ronc. q. 8. cum Lez. et Salm. n. 58. cum Freita, Fag. et Leand. item Sanctius, Sousa, Hurt. Boss. et Donat. apud Pot. n. 522.* Ratio,

quia in Bulla Gregorii, ut supra dicitur, denunciandi sunt Confessarii, « qui extra Confessionis occasionem in Confessionario, » aut in loco quocumque ubi Confessiones audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones habuerint. » Ergo inferunt quod sive sollicitatio fiat in Confessionario, sive in alio loco ad Confessiones electo, requiritur ad obligationem denunciandi Confessionis simulatio. Sed probabilius affirmant esse denunciandum Mazz. p. 436. Conc. n. 11. Dian. p. tr. 4. R. 18. et p. 4. tr. 5. R. 58. et p. 8. tr. 9. R. 35. ac Pot. n. 522. cum Bord. Trull. etc. Cum his dicitur, quod si Confessarius sollicitat in aliis duobus locis ut supra in Bulla descriptis, requiratur simulatio Confessionis ad eum denunciandum; non verò si sollicitat in Confessionario. Et hoc probatur ex Decr. Pauli V. (relato apud Pot. l. c.) ubi sic dictum fuit: « die 10 Julii 1614, in Generali Congr. S. Rom. et » universalis inquisitionis coram SS. Paulo Papa V facta relatione » quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali » extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in » S. Officio. » Cum igitur nulla ibi mentio fiat de simulatione Confessionis, ad denunciandum Confessarium sufficit, quod ipse in Confessionali de rebus turpibus tractet, quin simulet Confessionem audire. Nec valet dicere, ut aiunt adversarii, Decretum hoc fuisse abrogatum, sive restrictum per Bullam Gregorii. Nam respondetur regulam generalem esse, quod leges anteriores nunquam intelligantur abrogatæ per posteriores, nisi quando hæ prioribus omnino sint contrariæ, alioquin, semper ac aliquo modo potest contrarietas excusari; correctio legum, quoad fieri potest, vitari debet, prout communiter tradunt Sanch. de Matr. l. 1. d. 17. n. 6. Pal. de Leg. tr. 3. d. 5. p. 2. §. 1. n. 8. Salm. eod. tit. c. 4. n. 13. et alii DD. passim. ex c. Cum dilectus, de Consuet. et ex l. 1. C. de Inoff. Dotib. ubi dicitur: « Leges » legibus concordare promptum est. » Decretum autem Pauli V bene consistit cum Bulla Gregorii; in illo enim sermo tantum fit de Confessario tractante inhonesta in Confessionali; in Bulla verò Gregorii additur de tractante turpia, præter Confessionalem « in loco quocumque ubi Confessiones audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, » et hic subditur clausula: *Simulantes ibidem Confessiones audire.* Unde, cum clausula hæc bene referri possit tantum ad duo posteriora loca, et non ad Confessionalem, non est cur dicamus Decreto Pauli V per Bullam Gregorii fuisse derogatum. Accedit edictum S. Inquisitionis Rom. (relatum à Pot. tom. 2. n. 226.) ubi dicitur: *Debbano denunciare ciascuno di coloro de quali sappiano, o abbiano notizia che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, o Confessionario (nota) a fini disonesti, sollicitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, o non convenienti al*

*sine per cui è stato istituito.* Quapropter talis Confessarius saltem denunciandus est ex hoc edicto, quia abutitur Confessionario ad sollicitandum.

## §. II.

## Quinam sollicitantes debeant denunciari.

681. Qu. I An denunciandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti?—682. Qu. II. An Confessarius, qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus?—683. Qu. III. An Confessarius sollicitans ad actus venialiter tantum inhonestos?—684. Qu. IV. An sollicitans ad peccata non turpia?—685. Qu. V. An denunciandi Episcopi sollicitantes?—686. Qu. VI. An denunciandus Confessarius sollicitans, si fuerit emendatus?—687. Qu. VII. An, qui de sollicitatione jam convictus est et punitus? Qu. VIII. An, qui consentit mulieri sollicitanti, ne ab ea accusetur? Qu. IX. An simulans Confessionem ex condicto ad tractanda inhonesta?—688. Qu. X. An denunciandus laicus, vel Clericus sollicitans in Confessione, simulando se Confessarium? Et quid si sit Sacerdos, sed careat jurisdictione?—689. Qu. XI. An denunciari debeat pœnitens sollicitans Confessarium?—690. Qu. XII. An denunciandus interpret sollicitans pœnitentem?—691. Qu. XIII. An Confessarius sollicitans mulierem, ut inducat aliam ad secum peccandum; vel ut ipsa peccet cum alio?—692. Qu. XIV. An Confessarius sollicitans postquam decesserit?

681. — QUÆR. I. An sit denunciandus Confessarius consentiens mulieri sollicitanti in Confessione? Affirmant Salm. c. 4. n. 42. et aiunt contrariam sententiam non esse probabilem post Bullam allatam Gregorii XV, ubi expressè sunt denunciandi non solum Confessarii sollicitantes, sed etiam inhonestos tractatus habentes; et idem sentiunt Mazz. p. 441. Conc. n. 16. Pot. n. 579, item Salm. n. 54. cum Dian. Leand. Sousa, etc. Negant verò Bon. disp. 6. p. 3. n. 17. Pal. p. 5. n. 4. Escob. n. 653. cum Acunna, Hurt. Sousa, et Sanctarell, item Prado, Bordon. Homob. et Trull. apud Salm. l. c. Ac Ronc. q. 5. ad hanc sententiam inclinare videtur, dicens cum Bord. Sanctarell. etc. quod rationi à Salm. allatæ responderi possit, verba Bullæ intelligenda esse de tractatibus turpibus, quorum Confessarius sit auctor. Atque Dian. p. 1. tr. 7. resol. 11, hanc probabilem ac tutam dicit. At mihi pro dicta sententia alia ratio occurrit, quæ habetur apud Bonac. et quæ potior videtur. Ratio est, quia ex Bulla eadem Greg. mandatur Confessariis, ut moneant de obligatione denunciationis, non jam quoscumque pœnitentes qui cum Confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos « quos noverint » fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos; » quare inferitur, quod pœnitens licet, si vellet, posset Confessarium in dicto casu denunciare, juxta primam probabilem sententiam, sed videtur probabilius ad hoc pœnitens non obligari; quia, ut ipse obligationem subeat denunciandi Confessarium, requiritur, ut fuerit ab illo sollicitatus. Etsi igitur Confessarius non eximatur à crimine

ob inhonestum tractatum in Confessionario, eximitur tamen pœnitens ab obligatione denunciaionis, dum non reperitur sollicitatus. Et rectè censetur noluisse Pontificem obligare pœnitentes ad denunciandum Confessarios, quos ipsi tentaverint, ob magnam difficultatem quæ deterret pœnitentes à denunciando in isto casu, quo peccatum ab ipsis causam habuerit; tum quia, si denunciarent, valde periclitaretur eorum fama: tum quia lex nimis ardua tunc eis redderetur. Quidam Neotericus scripsit præfatam opinionem fuisse proscriptam à Benedicto XIV, per Bullam *Sacramentum*, allatam *Tom. 1. n. XX*. Sed perperam id asseruit, nam Pontifex ibi tantum dixit denunciaionem esse faciendam, etiamsi inter Confessarium et pœnitentem mutua fuerit. Longè autem differt sollicitatio mutua, ab ea quæ fit à muliere, et cui Confessarius consentit, cum DD. valde distinguant primum casum ab altero, ut observari potest apud *Fel. Potest. de Denunciaione n. 582*. ubi dicunt, sollicitationem mutuam tum venire, cum Confessarius sollicitatus à pœnitente ad unam turpitudinis speciem, ad aliam sollicitat mulierem ( prout *n. seq.* dicitur ), aut etiam cum Confessarius à pœnitente sollicitatus prius dissentit, vel sermonem divertit; et deinde post aliquod intervallum illam sollicitat; atque in his casibus mutua quidem sollicitationis Auctores aliqui, ut *Castrop. Peyrin. et Acunna* sentierunt, non adesse obligationem denunciandi; et hæc est opinio, quæ à Pontifice damnata fuit: et quidem justè, in hujusmodi enim casibus jam verificatur, quòd pœnitens verè maneât sollicitata; et verè Confessarius sollicitet at in nostro casu cum Confessarius simpliciter sollicitationi consentit, minimè verificatur, nec dici potest quòd mulier sit sollicitata. Quando autem cooperatio Confessarii dicenda sit simplex consensus, aut etiam mutua sollicitatio; id pendet à circumstantiis sermonis et tractatùs, qui inter Confessarium et pœnitentem intercedunt.

682. — Quær. II. An sit denunciandus Confessarius, qui sollicitatus à pœnitente ad copulam, renuit, et divertit ad solos tactus? Affirmant *Salm. n. 40. cum Leand. et Dian.* Sed probabiliter negant *Pal. part. 5. n. 4. Escob. n. 656. ac Trull. Hurt. etc.* apud *Salm. n. 39*. Ratio, quia fœmina sollicitans ad copulam, virtualiter provocat etiam ad tactus, qui ordinariè sunt prævii ad copulam; unde verificatur, quòd Confessarius ( ut supra ) tunc non sollicitat, sed sollicitatus consentit. Rectè verò notat *Pal. etc. d. n. 36*, quòd Confessarius sollicitatus ad sodomiam, si ipse divertat ad fornicationem, vel contra, tunc certè est denunciandus, cum ipse tunc sollicitet ad actum, ad quem non fuit sollicitatus; fornicatio enim non continetur sub sodomia, nec contra.

685. — Quær. III. An denunciandus sit Confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Diana R. 5. Mazzot. p. 438. Viva in Prop. 7. damn. ab Alexand. VII. et Trull. Sancius; Fagund. Leand. et Thom. Hurt. n. 635*. Ratio, quia actus leviter inhonesti

extra Sacramentum sunt graves in Sacramento, ob gravem injuriam quæ ei irrogatur; sicut sumptio parvi cibi in die jejuniè esset per se leve peccatum contra temperantiam, sed esset grave si fieret ante Communionem. Secunda verò sententia probabilior negat, et hanc tenent *Pal. part. 3. n. 3. et Escob. n. 636 et 637. cum Sousa, Portell. et Gasp. Hurt.* Ratio, quia ex una parte certum est, quòd ad denunciandum Confessarium sollicitantem requiratur, prout dicunt *Pal. Portell. et Sousa*, quòd actus sollicitationis sit peccatum grave, ita ut certè putetur ipse graviter in eo peccasse, cum talis denunciandus sit tanquam suspectus de fide, ut habetur ex edicto Inquisitionis Gener. apud *Potest. t. 2. num. 226. p. 430*. At nemo potest censi suspectus de fide, qui tantum venialiter peccat. Hinc Bened. XIV hoc sollicitationis crimen appellat *nefarium improbitatem*; et in Bulla Pii IV dicitur de hujusmodi Sacerdotibus sollicitantibus, « qui loco reconci- » lationis cum Deo, graviori peccatorum mole pœnitentes one- » rant, et in manibus Diaboli tradunt. » Ex alia vice actus qui in se est levis contra castitatem nequit fieri gravis in Sacramento, alias quolibet peccatum veniale in materia veracitatis, patientiæ, vel humilitatis evaderet grave in Sacramento, quod nemo asserit.

Nec obstat dicere, quòd culpa levis reddatur gravis ob reverentiam Sacramento debitam; nam hoc currit, quando aliquid prohibetur ob solam reverentiam Sacramenti, prout prohibetur quævis parva comestio ante Communionem; non verò quando res aliqua ab Ecclesia vetatur tanquam in se mala, tunc enim, quia tota injuria, quæ Sacramento irrogatur, est quatenus Sacramentum ministratur aut suscipitur cum actu pravo, si actus est leviter pravus, levis etiam erit injuria quæ fit Sacramento. Omnes tamen conveniunt cum *Palao, et Escob. ll. cc.* quòd si ex circumstantiis certè conjiceretur, quòd Sacerdos eo levi actu animum habuerit ulterius progrediendi, tunc censenda est sollicitatio gravis.

684. — Quær. IV. An sit denunciandus Confessarius, qui in Confessione sollicitat pœnitentem, non ad turpia, sed ad alia peccata? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Pegna, Zechios, Moura, et Acunna apud Dian. p. 5. tr. 4. R. 17*; et hui inclinat *Pot. n. 496. cum Cord.* Ratio, tum quia in Bulla Greg. XV dicitur esse denunciandus, qui habet cum pœnitente *illicitos et inhonestos tractatus*; tò autem *illicitos* videtur comprehendere omnes alios actus culpabiles, præter materiam inhonestam; idque videtur magis exprimi in edicto Inquisitionis, ubi præcipitur denunciari, qui habent cum pœnitentibus *discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine per cui il Sacramento della Penitenza è stato istituito*. Tum quia in Decreto Alex. VII habetur esse denunciandos omnes de hæresi etiam leviter suspectos; si igitur denunciari debet tanquam suspectus de hæresi qui sollicitat ad turpia, cur non etiam qui sollicitat ad alia crimina? Hæc sententia videtur satis probabilis, unde bene ait

*Pal. par. num. 26.* quòd Inquisitores probabiliter cognoscere possint de hujusmodi sollicitatione, si deferatur, ob facultatem ipsis concessam. *Secunda* verò sententia communissima et probabilior negat, eamque tenent *Pal. l. c. Mazz. p. 439. Holzm. t. 1. p. 312. n. 671. Bon. part. 3. n. 13.* cum *Ledes. Paramo, et Sanctarell. Ronc. p. 113. q. 3.* cum *Boss. et Carena, Diana d. R. 17.* cum *Freita, Peyr. Homob. Sousa, et Veneto, ac Escob. n. 631.* cum *Fag. Leand. Molf. Scortia, etc.* Ratio, quia nullibi habetur expressum, hanc sollicitationem esse denunciandam, licet enim in Bulla Gregorii, præter verbum *inhonestos* addatur *illicitos* tamen patet utrumque eandem materiam significare, dum dicitur, *illicitos et inhonestos tractatus.* Nec aliter accipienda sunt verba edicti, quia edictum ad Bullam se refert, aut certè referendum est. Nec obstat dicere, quòd sollicitans ad alia crimina etiam sit de hæresi suspectus; nam communissimè DD. (ut vidimus) Bullam Alexandri interpretando, censent non esse obligationem denunciandi hujusmodi sollicitantes, dum Bullæ tam Gregorii, quam aliorum Pontificum, loquendo de sollicitatione in Confessione, præceperunt denunciari tantum sollicitantes ad turpia; unde videtur ad hanc solam materiam veneream imposita esse obligatio denunciandi sollicitantes, quia ob fragilitatem naturæ frequentius hæc sollicitatio, et majus in ea periculum consentiendi contingere poterat. Idque (ut ait *Diana l. c.*) confirmatur ex praxi Inquisitorum.

Præterea, communiter dicunt DD. et meritò, non esse obligationem denunciandi Sacerdotes sollicitantes ad turpia in aliis Sacramentis quam Pœnitentiæ, quia revera de hac denunciandi obligatione nullibi habetur præceptum. Ita *Bonac. par. 3. n. 7. Diana R. 16. Pal. part. 3. n. 3.* cum *Freita, Acunna, et Sancio, ac Escob. num. 634.* cum *Lez. Peyr. Sanctarell. etc.* contra *Moura, et Hurt.*

635. — Quær. V. An denunciandi sint Episcopi sollicitantes in Confessione? Negat *Pal. Part. 9. n. 2. et Escob. n. 715.* cum *Mol. Acunna, Trull. Freita, Decian. et Sancio*, quia Episcopus etiam in crimine hæresis formalis non subijcitur Inquisitoribus, ex *c. Inquisitores, de Hæresi in 6.* et ex *Trid. sess. 24. c. 5.* ubi dicitur: « Causæ criminales graviore contra Episcopos, » etiam hæresis... ab ipso tantum Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. » Sed affirmant melius *Bonac. part. 3. n. 8. Ronc. p. 113. q. 2. R. 1. Salm. n. 30.* cum *Hurt. et Ant. à Sp. S. ac Potestas n. 621.* cum *Leand. Fag. etc.* Verum *Bonac.* sentit denunciandos esse Inquisitoribus; at *Potestas, Ronc. et Salm.* cum aliis dicunt esse denunciandos Pontifici, si commode huic fieri possit denunciatio; alias hanc deferendam esse dicunt Inquisitoribus, qui licet non possint punire, nec processum formare contra Episcopos, possunt tamen de præfato crimine excipere informationem, et deinde illam Pontifici significare, prout colligitur ex *Extraog. cum Mattheus, de Hæret.* ubi sic præscribitur procedendum contra nuntios et officiales Sedi Apostolicæ

immediatè subjectos. Et in hoc conveniunt *Pal. et Escob. l. c. cum Trull. Sancio, et Acunna*, nempe quòd bene possint Inquisitores excipere hujusmodi informationem. Sub nomine autem *Episcoporum* veniunt Episcopi etiam titulares et etiam non consecrati, modo sint confirmati; item Nuntii, Legati et Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ut dicunt *Salm. n. 31. cum Barb. et Tamb.*

636. — Quær. VI. An si Confessarius sollicitans sit emendatus, debeat adhuc denunciari? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Pal. p. 10. n. 1. et Escob. n. 624 et 625.* cum *Soto, Molf. Acunna, Peyr. Fag. Portel. Zenard. Freita, etc.* item *Led. Lugo, Trull. Leand. Hurt. et alii apud Salm. n. 75.* et hanc probabilem putat (saltem extrinsecè) Auctor *Instruct. etc. p. 2. cap. 15. §. 2.* Ratio, quia finis denunciationis est emendatio rei, et ablatio damni, quibus jam obtentis, cessante fine legis principalis, cessat etiam lex naturalis denunciationis, quæ principaliter respicit emendationem, nec lex positiva ejus ordinem invertere potest. Hanc probabilem putat etiam *Viva de 1. præc. q. 8. art. 5. n. 3.* Rectè verò DD. excipiunt Hæreticum formalem, maximè dogmatizantem, cujus difficilis est emendatio, et quem omnino expedit denuntiari, saltem ad subventionem aliorum quos ipse fortè subverterit.

Signa autem emendationis sunt (ut dicunt DD. citati apud *Salm. n. 76.* et apud *Viva d. l.*) : 1. Si mulier sollicitata, ter vel quater ad Confessarium accedendo, in eo pravum animum non amplius adverterit; ita *Escob. n. 625.* cum *Trull. Diana, et Sousa, 2.* Si per triennium Confessarius bene vixerit, ut ait *Sancius, 3.* Si sit sacramentaliter confessus, et per longum tempus non tentaverit, ut *Escob. d. n. 625.* cum *Freita, Sancio, Marc. Aloiazi, Farinac. Hurt. Ricc. Felin. et Barb. 4.* Si lucratus sit Jubilæum, ut dicit *Escob. cum Genuensi, 5.* Si factus sit Religiosus. 6. Si sit homo insignis probitatis, et semel vel bis sollicitaverit, ut *Hurtadus, 7.* Si post sollicitationem statim det signa doloris. 8. Si fuerit senex, ita ut putetur ex magna passione sollicitasse, et postea verè resipuisse, ut ait *Syloest.* Hæc tamen signa dicit *Viva d. l.* singula non sufficere, nisi plura simul conjuncta faciant constare de emendatione. Et hoc valde est notandum; nam revera, sicut constat de crimine, debet et constare de emendatione. Et quòd dicitur de sollicitatione, etiam dicendum est de aliis criminibus de hæresi suspectis.

Quamvis prædictam primam sententiam satis probabilem existiment Auctores citati, absolutè tamen probabiliorum esse judico secundam sententiam, quæ docet Confessarium etiam emendatum esse denunciandum. Ratio, quia Pontifex magis, quam emendationem rei, ejus punitionem intendit, ad damnum Ecclesiæ reparandum, et ad resarciendum scandalum. Et ideo sancivit, ut supra, denuntiationem fieri, nulla corruptione fraterna præmissa; quæ utique præmittenda esset, si emendatio rei, et non punitiō intenta principaliter esset. Ita *Suar. Bon. Azor,*

et plures cum *Salm. cap. 4. n. 77.* qui hanc secundam sententiam certè tenendam esse aiunt.

687. — Quær. VII. An sit obligatio denunciandi Confessarium, qui de sollicitatione jam fuerit satis convictus et punitus? Certum est quòd, si ipse delinquat iterum, postquam in primo crimine fuerit punitus, iterum denunciari debet. Et idem dicendum, si de sollicitatione non fuerit plenè convictus, quia tunc nec fuisset satis punitus. Dubium ergo est, si de eadem sollicitatione jam fuerit satis convictus et punitus. Negant esse obligationem denunciandi *Acunna, Seraphin. Hurt.* etc. apud *Salm. c. 4. n. 73.* quia Confessarius jam censetur emendatus, juxta primam sententiam mox supra allatam. Sed longè probabiliùs affirmant *Salm. n. 74.* cum *Bon. Trull. Dian.* tum quia tunc non constat de emendatione; tum quia non eximitur mulier ab obligatione denunciandi, quia alia denunciavit, dum unaquæque persona sollicitata omnino denuntiare tenetur, sive sint, sive non sint alii denunciantes.

Quær. VIII. An denunciari debeat Confessarius, qui mulieri sollicitanti consentit, ob metum ab illa incussum, quòd eum accusabit, nisi consentiat? Negat *Hurtadus*, quia lex ecclesiastica non obligat, cum metus gravis intervenit. Hæc tamen ratio debilis est, quia talis metus non censetur gravis; Judices enim non facile credunt cuicque mulierculæ accusanti, ut dicunt *Salm. n. 59. Esc.* Sed et meliùs dici potest hic Confessarius non esse denunciandus, quia tunc revera esset sollicitatus, non sollicitans, juxta dicta *n. 681.*

Quær. IX. An sit denunciandus Confessarius, qui ex condicto cum pœnitente simulat Confessionem, ut tractet inhonesta. Negat *Pal. p. 8. n. 2.* tum quia sollicitatio tunc esset mutua; tum quia tunc pœnitens ipsa deberet se denunciare. Rectè verò affirmant *Salm. n. 60.* cum *Dian. et aliis*, quia tunc jam adest vera sollicitatio Confessarii, nec pœnitens denunciando tenetur denunciare seipsam, sed tantum verba referre et actus Confessarii. Et hoc hodie expressè definitum est in *Bulla Ben. XIV.* quæ incipit, *Sacramentum*, (vide *Tom. IX. inter Decret. n. I.*) ubi præcipitur fieri denunciatio, etiãmsi sollicitatio mutua fuerit; ibi enim præcipitur denunciandus esse Confessarius sollicitans, « etiãmsi Sacerdos sit qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitanti pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit. »

688. — Quær. X. An sit denunciandus laicus, vel non Sacerdos sollicitans in Confessione, simulans se Confessarium? Respondetur affirmativè cum *Salm. n. 27. Ronc. l. c. R. 3.* Ratio, quia licèt is non sit denunciandus ratione sollicitationis ex *Bulla Gregorii XV.* denunciari tamen debet ex alia Constitutione *Gregorii XIII.* apud *Salm. n. 27.* ubi quicumque non Sacerdos audiens Sacramentaliter Confessiones præcipitur de-

nunciari. Utrùm autem ad denunciandum talem non Sacerdotem sollicitantem requiratur non solùm, ut Confessionem audierit, sed etiãmsi ut absolutionem impenderit. Ex verbis præfatæ *Bullæ Gregorii XIII.* relatis à *Salm. l. c.* videtur sufficere quòd tantum audierit, cum ibi dicatur, quòd Inquisitores Sancti Officii procedere debeant in non Sacerdotes, qui Missas celebrant, aut sacramentaliter Confessiones audiunt. Sed *Pal. part. 9. n. 5. Mazz. p. 437. Potest. pag. 490. Esc. 685.* cum *Acunna et Sancio.* dicunt omnino requiri, ut etiãmsi absolvant, dum in edicto S. Inquisitionis Gener. dicitur denunciandus esse ille, qui cum non sit Sacerdos, Sacramentum ministrat; non censetur autem Sacramentum Pœnitentiæ ministrare, qui absolutionem non impertitur. Sed, hoc non obstante, in præfato edicto (quod in extensum refert *Potest. t. 2. part. 1. n. 226.*) certò hic denunciandus est, etiãmsi non absolvat, cum ibi dicantur denunciandi esse, tanquam suspecti de hæresi: *Coloro che non essendo ordinati Sacerdoti, si usurpano di celebrar Messa, ancorchè non abbiano proferito le parole della Consecrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sacramento della Penitenza a' fedeli di Cristo, ancorchè (nota) non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.* Pariter autem certum est ex *Bulla Benedicti* (ut mox supra vidimus in Quær. præced.) denunciandum esse Sacerdotem sollicitantem in Confessione, etiãmsi jurisdictione careat.

689. — Quær. XI. An sit denunciandus pœnitens qui in Confessione sollicitat Sacerdotem? Affirmant aliqui pauci apud *Salm. n. 29.* Sed communiter et veriùs negant *Bonac. p. 3. n. 20. Dian. p. 1. tr. 4. R. 23. Pal. p. 9. n. 7. et Salm. l. c. cum Trull. Börd. Sousa, Acunna, Sancio, et Leand.* Ratio, quia leges pœnales non sunt extendendæ de casu ad casum. Neque currit hic eadem ratio pro pœnitente quæ pro Confessario sollicitante, ob plura momenta quæ cuicque patent, et præcisè ob suspicionem revelationis sigilli, si Confessarius pœnitentem denunciaret.

690. — Quær. XII. An sit denunciandus Sacerdos interpres, qui sollicitat pœnitentem? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Freita, Trimarch. etc. Escob. a Corro apud Escob. num. 689.* Ratio, quia interpres non solùm gerit partes pœnitentis, sed etiãmsi Confessarii, unde pariter ac Confessarius injuriam irrogat Sacramento. Secunda verò sententia communissima negat, eamque tenent *Pal. p. 9. n. 6. Potestas n. 489. Holzm. t. 1. p. 311. n. 671. Mazz. p. 437. Diana R. 9. Escob. n. 691. cum Fag. Sousa, Sancio, ac Salm. n. 26. cum Trull. Leand. et communi ut asserunt.* Ratio 1. quia interpres magis se habet ex parte pœnitentis, quàm Confessarii. Ratio 2. et potior, quia ex *Bulla Greg. XV.* tantùm Confessarii sollicitantes denunciandi sunt, utque diximus, et leges pœnales non extenduntur præter casus expressos. His tamen non obstantibus, dicunt *Conc. n. 5. Potest. loc. cit. Escob. n. 591. cum Fag. et Diana p. 9. tr. 9. R. 32. v. Nota,* cum *Leand.* quòd licèt ex *Bulla Greg. XV.* interpres

sollicitans non sit denunciandus, tamen denunciari debet ex edicto S. Inquisitionis supra citato n. 680. in fine, ubi denunciandi sunt omnes de hæresi suspecti, et inter hujusmodi suspectos enumerantur omnes illi, *che abusino il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, o Confessionario a fini disonesti, sollicitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine per lo quale è stato istituito.* Unde bene denunciandus est interpres, qui jam abutitur Confessione pœnitentis ad eum sollicitandum, vel ad tractandum cum eo de rebus inhonestis.

691. — Quær. XIII. An sit denunciandus Confessarius qui sollicitat pœnitentem, ut inducat aliquam fœminam ad secum peccandum? *Acunna, et Freita ap. Pal. p. 5. num. 2.* (præcisa Bulla Greg. XV.) probabile putant non esse denunciandum ex Dec. Pii IV et Clem. VIII. Sed, attenda saltem præfata Bulla Greg. hodie non est dubitandum quin denunciari debeat, cum ibi dicantur denunciandi esse omnes Sacerdotes, qui in Confessione « personas ad inhonestas inter se, sive cum aliis quomodo dolibet sollicitare tentaverint. »

An autem denunciandus sit Confessarius qui sollicitat pœnitentem, ut consentiat ad peccandum, non secum, sed cum alio? *Acunna apud Esc. n. 644.* et alii pauci olim probabile putarunt non debere denunciari, sed hodie certum est oppositum, cum Bened. XIV in Bulla *Sacramentum* (cit. num. 687. Qu. IX.) §. 2. definiverit hunc Confessarium omnino esse denunciandum, etiamsi « sollicitatio non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. »

692. — Quær. XIV. An sint denunciandi Confessarii sollicitantes, postquam jam è vita migraverint? Affirmant *Salm. c. 4. num. 71. infra.* Sed negat probabilius *Potest. num. 595.* quia tunc cessat totalis finis legis, scilicet tam emendatio, quam punitio rei. Idem dicit *Roncag. c. 2. quæst. 4. cum Bord.* Bene tamen advertit cum eodem *Bord. et Caren.* quòd hæretici formales, etiam post mortem, semper sint denunciandi, ad reparandum saltem danum ab eis illatum.

## §. III.

## Quinam teneantur denunciare.

695. An possit absolvi mulier sollicitata, antequam denunciât? Et an facta denunciatione, possit quisvis Confessarius absolvere ab excommunicatione contracta ob denunciationem neglectam? — 694. An semper Confessarius teneatur monere de obligatione denunciandi? — 693. Qu. I. An teneantur denunciare, qui non possunt probare denunciationem? Et qui aliunde sollicitationem sciunt? — 696. Qu. II. An sit obligatio denunciandi, si crimen sit occultum? — 697. Qu. III. An, si sollicitatio fuerit habita à longo tempore? — 698. Qu. IV. An teneatur ad denunciandum, qui scit sollicitationem sub secreto? — 699. Qu. V. An sit obligatio denun-

ciandi per Epistolam, vel internuncium? Et an Confessarius teneatur aliquando denunciationem excipere, vel deferre? — 700. Qu. VI. An teneatur denunciare mulier sollicitationi consentiens? — 701. Qu. VII. An sit obligatio denunciandi, si speretur sollicitans per correptionem emendandus?

695. — Est prænotandum I. quòd sollicitati non possunt absolvi nisi prius denuncient: et si adsit impedimentum statim faciendi, denunciationem, saltem debent esse parati quamprimum ad denunciandum; aliàs peccant graviter, et incidunt in excommunicationem. Ita *Salm. c. 4. num. 69 et 70. cum Nav. Hurt. Sanct. Acunna, Sousa, et aliis communiter.* Improbabilissimè igitur dixit *Pontas vers. Conf. 2. Cas. 17.* nolenti denunciare Confessarium sollicitantem non esse denegandam absolutionem. Bene autem potest absolvi pœnitens ante denunciationem, si adsit justa causa illam differendi, nempe si Ministri Tribunalis longè distent, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum, vel ob lucrandum Jubileum, et possit credi personæ, quòd sit denunciatum. Ita *Sanch. Dec. lib. 2. c. 13. Suar. de Cens. d. 7. sect. 5. à n. 38. et Salm. c. 4. n. 70. cum Sanctio, Trimarch. et Leand. et probabile putat Dian. p. 4. tr. 5. R. 29.* In Bulla autem Bened. XIV. *Sacramentum*, circa id sic habetur: « Caveant diligenter Confessarii, ne pœnitentibus quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant ac promittant. »

An autem, facta denunciatione, pœnitens à quocumque Confessario absolvi possit ab incurta excommunicatione? Negant *Salm. d. c. 4. n. 70. Mazz. tom. 3. p. 440. Diana dicta R. 29. cum Sancio, et Potest. n. 614. cum Bordonio*, ex edicto Sacræ Inquisit. Gener. infra citando. Affirmat verò *Lupus p. 1. l. 5. ar. 3. p. 90.* (cui adhæret *Conc. p. 119. n. V.*) quia, ut ait, reservatio hujus censuræ perseverat tantum durante contumacia, unde expirat facta denunciatione, aut mortuo denunciando; idque infert *Lupus* ex edicti verbis, quæ esse solent: *E dalla detta scomunica nessuno, se non da noi, o dal supremo Tribunale del S. Officio, potrà essere assoluto, se prima non aorà soddisfatto al S. Officio.* Et revera, attentis prædictis verbis opinio *Lupi* satis probabilis videtur. Sed contra hîc notandum, quòd si quis injuste accusaret, vel accusare suaderet aliquem Sacerdotem innocentem de sollicitatione, incurreret casum reservatum Papalem, sed sine censura, prout habetur in Bulla Bened. XIV. *Sacramentum*, data die Kalendarum Junii 1741, Bullarii Tom. I. N. XX. (quam vide in extensum relatum Tomo nono inter Decreta n. I.) ubi §. 3. sic dicitur: « Quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelerestè procurando, ut id ab aliis fiat... impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo, etc. »

Advertunt tamen Salm. in Append. de Bulla Cruc. c. 6. n. 231 et 232. id intelligi de suasionem efficaci, ita ut ipsa sit causa injustæ denunciationis secutæ. Addunt cit. num. 232. in fin. intelligi nisi suasio ante executionem denunciationis efficaciter revocetur.

Hoc tamen procederet juxta edictum particulare Inquisitionis alicujus Regni, sed in edicto edito à Sacra Inquisitione Generali die 3 Jan. an. 1623 ( relato in extensum à Diana p. 4. R. 41. et à Bon. de Denunc. t. 2. in fine p. 2. n. 12 ), absolute dicitur infra 12 dies esse denunciandos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, sub excommunicatione majori latæ sententiæ reservata Papæ, et eidem Tribunali. Tenet autem Bon. l. c. cum Suar. et Sanctarell. hoc edictum non fuisse perpetuum, sed tantum pro illo acta, cum ibi dictum fuerit: « Mandamus » quatenus infra 12 dies proximè computandos, etc. » Unde dicunt præfati AA. illud proximè computandos satis ostendere, quod noluit S. Inquisitio obligare conscios delinquentium in futurum; nam aliàs dixisset non proximè, sed à die scientiæ. Verùm Diana p. 4. tr. 5. R. 41. cum Peyrin, censet edictum fuisse perpetuum, et illud proximè intelligi revera à die scientiæ delicti. Sed advertendum, quod eadem sacra Inquisitio postea die 10 Martii an. 1677 aliud emanavit edictum ( quod refert Potest. ut diximus, Tom. 2. n. 226. ) ubi imposuit quidem excommunicationem contra non denunciantes suspectos de hæresi, sed nulla facta mentione reservationis, sic dicens: *Comandiamo sotto pena di scomunica di lata sentenza, che fra'l termine di un mese si debbano rivelare al Sant'Officio, ovvero agli Ordinari tutti coloro de' quali sappiano, o abbiano acuto, o avranno notizia che siano Eretici, o sospetti d' Eresia.* Hoc posito, satis probabile videtur mihi, et aliis doctis à me consultis, quod vel primum edictum non fuerit perpetuum, vel quod verosimilius S. Inquisitio in hoc secundo edicto, sicut moderavit obligationem primi edicti denunciandi infra 12 dies, ampliando illam ad mensem, ita etiam primum edictum moderavit, auferendo reservationem ab excommunicatione. Hoc tamen semper intelligendum, si jam fuerit impleta denunciatio.

694. — Prænot. II. cum Ronc. c. 1. Reg. in praxi 5. quod etiam Confessarius prævideat certò sollicitatam non esse denunciaturam, debet nihilominus monere illam de sua obligatione, et dimittere, si nolit denunciare. Ratio, quia ipsi Confessario expresse præcipitur à Pontifice in d. Bulla obligatio monendi; et licet generaliter loquendo, cum Confessarius prævidet monitionem non profuturam, eam omittere debeat: hoc tamen non currit, quando agitur de vitando damno communi, ut evenit in præfati casu, juxta dicta n. 615.

695. — Sed quæritur I. An teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, qui sollicitationem nequit juridicè probare? Negant Turr. et Turrell. Sed omnino affirmandum cum Bann. 2. 2. q. 76. Bord. t. 1. c. 30. n. 100. Pal. punct. 10. etc. Et opposi-

tum videtur expresse damnatum ex Prop. 5 proscripta ab Alex. VII quæ dicebat: « Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse » hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis. » An autem teneatur ad denunciandum non solum sollicitatus, sed etiam qui aliunde certò scit sollicitationem? Affirmant rectè Salm. cap. 4. num. 68. cum Trull. Dian. Pal. Suar. et Hurt. Et hoc, etiam si is sit impuber, modò sit rationis compos, et sciat crimina à personis fide dignis; secus, si sciret à fide indignis, vel fœminis levibus Salm. n. 69. cum Card. Nao. Sayr. Hoc autem dicendum, non jam ex Bulla Gregorii, sed ( ut bene advertit Mazz. p. 440. cum Potest. et Bonac. ) ex edicto Sacræ Inquisitionis, ubi dicitur teneri ad denunciandum Confessarium qui scierit, vel audierit illum sollicitasse. Vide verba relata n. 680. in fine.

696. — Quærit. II. An sit obligatio denunciandi sollicitantes, etiam si crimen sit occultum? Negant Fag. Megal. et alii apud Salm. d. c. 4. num. 80. quia Greg. XV in Bulla mentionem facit de abusu, verbo *abutantur*, quod significat actuum frequentiam et publicitatem. At omnino tenendum est oppositum cum Salm. n. 91. et Bann. Fill. Trull. etc. ib. ex D. Thoma. Et rectè Ronc. q. 8. c. 1. qu. 10, ait primam sententiam penitus esse rejiciendam; quia, licet in pœnalibus verba legis sint strictè interpretanda, attamen, si ex stricta interpretatione lex inutilis redderetur, ut in nostro casu eveniret, tunc verba non strictè, sed late sunt accipienda.

697. — Quærit. III. An teneatur sollicitatus ad denunciandam sollicitationem habitam à longo tempore? Ronc. c. 2. qu. 4. ait cum Bordone, quod nunquam detur præscriptio quoad crimen hæresis; quoad alia verò, præscribitur per quinquennium actio contra reum. Hinc dicit Roncag. excusari à denunciatione, qui illam per quinquennium omisit, etiam culpabiliter; nisi obstant edicta contraria Diœcesana. Sed hodie declaratum est ex Benedicto XIV ex citato Decreto I. *Sacramentum*, ( vide in Tomo nono ), denunciationem esse faciendam, etiam si longum tempus post sollicitationem effluerit.

698. — Quærit. IV. An teneatur ad denunciandum, qui scit sollicitationem sub secreto naturali?

Negant Fagund. et Fragosa, ap. Salm. c. 4. n. 85. quia fortior est lex naturalis quàm positiva. Sed contrarium rectè tenent Pal. p. 10. n. 5. Diana B. 32. Escob. n. 704. cum Sancio. et Gasp. Hurt. ac Salm. cum Trull. Leand. etc. quia nemo tenetur ad secretum, etiam juramento promissum, quando secretum vergit in damnum commune. Secus verò, aiunt, si sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium; nam pro palatio secreti esset tunc contra humanum commercium, et etiam contra publicum bonum quod certè in consiliis expetendis intervenit.

699. — Quærit. V. An mulier sollicitata teneatur denunciare per epistolam, vel mediam personam, si nequeat per se ipsum? Si non possit personaliter adire Episcopum ob ægritudinem,

clausuram, aliudve impedimentum physicum vel morale, non tenetur quidem per seipsam ad denunciandum. Vide *Potest. n. 643. et Mazz. p. 442. q. 2.* Dubium fit, an hæc teneatur denunciare per epistolam, aut internuncium? Videtur negandum ex prolatis *num. 563. Dub. 3.* ubi diximus, quod habens peccatum reservatum non teneatur petere licentiam à superiore per litteras vel mediam personam, si non possit illum adire. Sed in casu nostro verius affirmandum cum *Viva in Prop. 7* damn. ab Alex. VII, n. 8. *Mazz. l. c. Salm. n. 109. et Ronc. p. 118. q. 5. R. 2.* Dispar enim est ratio inter petitionem absolutionis à reservatis, et denunciationem sollicitationis; nam ibi obligatio est sistendi apud superiorem, ut pœnitens recipiat ab eo una cum absolutione etiam debita monita et pœnitentiam; unde qui non potest adire per se non tenetur per alium: obligatio autem denunciandi sollicitantem, non tam est adeundi personaliter superiorem, quam deferendi sive indicandi ei delinquentem (ut loquitur Bened. XIV in sua Bulla) quæ delatio si ab aliquo nequit fieri per se, saltem est facienda (modo absit periculum propriæ infamiae) per epistolam, vel aliam personam, vel monendo iudicem, ut mittat notarium in domum suam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Advertunt hæc *Viva. l. c. Tamb. cap. 9. §. 4. et Ronc. Reg. 6. in praxi* non expedire quod Confessarius assumat in se hoc onus deferendi denunciationem vice pœnitentis, vel eam excipiendi, quia sic non paucis detractionibus et periculis exponeretur. Et tantò minus ad id tenetur, unde non mihi videtur probabile id quod scribit *P. Mazz. p. 442. q. 2.* ubi dicit, quod si pœnitens non posset per alium facere denunciationem, teneatur Confessarius vices pœnitentis supplere, si ille per alium non posset denunciare: quia, ut ait, agitur de causa fidei. Sed hæc ratio, tam concisè producta, non convincit. Addit, quod hoc eruatur ex quadam Epistola S. C. Conc. Ad Archiep. Mediol. annuente Urban. VIII, an. 1624, apud *Dian.* ubi mandatum fuit, quod cum quædam fœmina sollicitata adduci non potuisset ad denunciandum, Episcopus facultatem tribueret Confessario denunciationem excipiendi. Ex hac autem Epistola nihil probatur; nam primò hoc Decretum fuit particulare pro illo casu; deinde minime ex illa eruitur hanc obligationem generaliter Confessariis impositam fuisse. Hinc non tenemur interim, donec constet de hoc præcepto, recedere à communi DD. sententia, et ab universali sensu ac usu omnium Confessariorum, qui hanc onerosissimam obligationem non agnoscunt. Cæterum non negamus cum *Viva loc. cit. et Tamb.* quod in aliquo casu (putà si alicubi publicum immineret damnam, nec alia pateret via ad illud vitandum) posset Confessarius obligari ex lege caritatis ad huiusmodi onus suscipiendum; sed hoc raro accidet.

Dicunt autem *Delbene de Inquisit. p. 1. dub. 9. et Auctor Instruc. par. 2. c. 14. n. 240.* quod si fœmina multum repugnet adire Inquisitores, poterit expectare Confessarium qui pro ipsa

denunciationem deferat; quia præcepta positiva non obligant ad rem nimis arduam. Item notat *Mezz. p. 443.* quod in decreto Sacræ Inquisit. mox supra enunciato insuper dictum fuit, quod si neque apud ipsum Confessarium possit pœnitens induci ad denunciandum, tunc recurratur ad S. Sedem pro opportuno remedio, et interim non absolvatur. Dicit autem *Mazz.* aliquando S. Sedem in casu magnæ verecundiae et panici timoris rescripsisse, dando facultatem Confessario absolvendi pro ea vice pœnitentem circa onus denunciandi.

700. — Quær. VI. An mulier teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, cui ipsa consentit? Negarunt *Suar. Megala*, et alii ap. *Salm. n. 65*, quia nemo obligari potest ad suum crimen manifestandum, ut dicunt *Salm. c. 3. n. 104. cum. Suar. Cajet. Trull. et Diana.* ex Regula juris in cap. *Quid aliquando de pœnit. D. 1.* ubi dicitur ( *Non dico, ut te prodas.* ) Nequit autem quis manifestare complicem, quin seipsum prodatur; et ideo aiunt *Salm. ibid.* non esse obligationem denunciandi socium hæreticum. Rectè verò dicunt mulierem hanc teneri ad denunciationem *Salm. n. 66.* cum *Bon. Trull. Peyrin* et aliis plurimis: hocque hodie definitum est à N. SS. Bened. XIV, in cit. Bulla *Sacramentum*, ubi præcipitur fieri denunciatio, *etiamsi pœnitens consenserit.* Ratio est quia mulier in hoc casu citra periculum suæ famæ potest denunciare sollicitantem, quin seipsam manifestet, dum ipsa etiam interrogata potest negare proprium consensum, et quidquid inde secutum fuerit, ut habetur ex Decr. S. Inquisit. apud *Pitton. n. 694.* edito 27 Sept. 1723, ubi dictum fuit: « Si mulier » consentit Confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum » manifestare; nec potest super hoc ab Episcopo interrogari. »

701. — Quær. VII. An teneatur pœnitens denunciare sollicitantem, si per correctionem sit moralis spes ejus emendationis? Prima sententia negat, et hanc docuit *S. Th. 2. 2. q. 33. art. 7.* ubi dicit: « Si hæreticus privatim homines à fide avertat..., oportet » statim procedere ad denunciationem... nisi fortè aliquis firmi- » ter æstimaret, quod statim per secretam admonitionem possit » huiusmodi mala impedire. » Eum secuti sunt *Soto, Canus. Led. Pal. Lugo, Sylvest. etc. ap. Salm. cap. 4. n. 96.* Et signanter de crimine sollicitationis hanc sententiam tutati sunt *Fagund. Peyrin. et alii apud Dianam R. 2.* Verùm secunda sententia affirmat, et hanc tenent *Mazz. pag. 440. Conc. n. 17. et Salm. n. 99. cum Azor. Sanch. Diana, Leand.* et aliis pluribus. Et hæc omnino hodie tenenda est post Decretum Alexandri VII editum 8 Julii 1660 (relatum per extensum apud *Salm. c. 3. n. 102.*) ubi declaratum fuit: « Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia mo- » nitio præmissa fuerit, omnino teneri... ( fideles ) ad denun- » ciandum... quos noverint esse de fide quomodolibet etiam le- » viter suspectos, » prout sunt Confessarii sollicitantes, ut communiter docent *Dian. R. 41. Bon. p. 3. num. 28. et Escob. n. 746. cum Trull. Acunna, Menoch. etc.* Dicendo ergo Pontifex, *etiamsi*, etc. supponit denunciationem semper esse faciendam.



## §. IV.

## De Sollicitationibus dubiis.

702. Qu. I. An denunciandus sit Confessarius in dubio an verè sollicitaverit? Quid, si accedant vehementia indicia de sollicitatione? — 703. Qu. II. An denunciandus Confessarius qui laudat mulierem de pulchritudine? Vel qui dat ei magnum donum? — 704. Expenduntur varii casus peculiare sollicitationis. — 705. De pœnis sollicitantium, et signanter de pœna inhabilitationis ad celebrandum et an hæc incurratur ante sententiam? Et an ab illa excusentur ignorantibus? Et an Episcopi possint in ea dispensare?

702. — QUÆRITUR I. An denunciandus sit Confessarius in dubio an sollicitaverit? Distinguendum est: si factum vel dictum sit vera sollicitatio, et tantum dubitatur an ille, vel alius Confessarius, id egerit vel dixerit, tunc rectè dicunt *Salm. c. 4. n. 93. cum Sousa et Hurt.* eum denunciandum esse, quia dum crimen est certum, ritè Judices procedere possunt ad inquirendam personam de qua dubium vertit. Hoc tamen censeo dicendum de solo casu, quo facile Judices per suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitantis; quia alias Sacerdos ille, cum possit esse innocens, remaneret aliquo modo diffamatus, et in dubio illæsa debet servari fama proximi, qui eam possidet.

Si verò persona Confessarii sit certa, et dubitatur an ejus factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc cum communiore et veriori sententia dicendum non esse obligationem denunciandi. Ita *Bonac. p. 3. n. 5. Ronc. p. 113. q. 5. Conc. num. 15. Bordon. ap. Potest. num. 576. Auctor Istruz. etc. p. 2. c. 14. n. 287. cum Boss. et Salm. num. 94. cum Valent. Hurt. et Salas. (contra Sousa et Peyr. ap. Dian. R. 25.)* Ratio, tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt, et in verbis ambiguis benignior interpretatio facienda est, ut dicunt *Bonac. Menoch. et Rinald. ap. Ronc. ex c. fin. de Transact. et Reg. Juris 49. in 6. ubi: In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Tum quia in dubio nemo est privandus fama quam possidet: tum quia Bullæ præcipiunt denunciari sollicitantes; sed nequit dici sollicitans, de quo dubitatur an verè sollicitaverit; nam crimen dubium non est crimen, ut docent *Sanch. Dec. l. 1. c. 10. n. 74. et Suarez in 3. p. t. 5. d. 40. sect. 6. n. 5.* Nec obstat dicere quòd ex Decreto Alexandr. VII. sint denunciandi etiam leviter suspecti de hæresi; nam *tò leviter*, non jam refertur ad suspicionem, sed ad hæresim, de qua potest quis vel leviter vel vehementer esse suspectus.

Excipiendum tamen est 1. cum *Conc. et Ronc. ll. cc. ex Pegna, ac auctore instructionis etc. l. c. cum Bossio*, si accedant indicia vehementia de sollicitatione; nam licet ista non sint omnino evidentia, tamen, cum tantum adsint ex una parte, satis fundant moralem certitudinem de sollicitatione. Excipiendum 2. cum *Bon. l. c.* qui citat *Acunna, et Sanctarel.* si verba de se præ se

ferant sollicitationem, et solum dubitatur an Confessarius ad malum finem ea protulerit; tunc enim præsumptio desumitur ex communiter accidentibus; præterquam quòd præsumptio ipsius finis est accipienda juxta proprietatem verborum, unde in *cap. Perniciosum. Causa 18. q. 2.* dicitur, quòd confabulatio cum fœmina in deteriorem partem accipi solet.

705. — QUÆR. II. An sit denunciandus Confessarius qui laudat mulierem de pulchritudine? Affirmant *Potest. n. 534. Bon. Tancredi, et Peyrin. item Acunna, Bard. et Sanctarel. ap. Escob. n. 638.* et consentit *Dian. p. 9. t. 9. R. 32.* si talis laudatio fiat sine aliqua occasione, quia regulariter amasii, fœminas ut alliciant ad peccandum, de pulchritudine laudant. Negant verò *Freita, Thom. Hurtad. Esc. à Corro et Sousa ap. Escob. n. 639.* quia is qui laudat mulierem de pulchritudine verbis decentibus, non dicitur cum illa habere tractatus inhonestos. Sed melius distinguit præfatus *Escob. n. 640.* dicens, quòd si ex modo loquendi, aut aliis circumstantiis, dignoscitur Confessarius laudare pulchritudinem ex pravo affectu, tunc est denunciandus; secus si laudaret ex quadam imprudentia, vel animi levitate. Assertit verò ut certum *Potest. n. 554. in fine,* denunciandum esse Confessarium qui laudat cum famula confitente pulchritudinem dominæ, rogans eam, ut dominæ referat; sed etiam in hoc casu dico perpendendas esse circumstantias, etsi facilius puto in hoc adesse indicium pravi animi alliciendi dominam illam ad turpem affectum. Et idem dicunt DD. si Confessarius det pœnitenti donum magni valoris, ut ait *Diana. p. 9. tr. 9. R. 34. cum Escob. vel insolitum, ut dicitur Salm. n. 34. cum Val. Hurt. Prado, etc.* Verumtamen *Bordonus apud Dian.* inquit donum esse quid indifferens, unde rectè subdunt Auctores citati, ejus malitiam conjiciendam esse ex adjunctis, nempe ex conditione pœnitentis, ex quantitate et qualitate doni, et ex modo quo fit, etc. Cæterum, juxta dicta in præcedenti quæstione, quando verba vel facta sunt ambigua, Confessarius non est denunciandus, nisi de ejus pravo affectu moralis habeatur certitudo.

704. — Hinc subduntur plures casus particulares, in quibus communius Doctores censent denunciandum esse Confessarium.

1. Si Confessarius dicat pœnitenti: « Tecum nuberem, si essem secularis; » negat *Bordonus ap. Dian. p. 9. tr. 9. R. 32.* esse denunciandum; quia verba hæc non important peccatum mortale, sed tantum pudicum affectum indicant. Probabilius verò affirmant *Salmant. num. 34. Potest. num. 558. et Diana l. c.* quia hujusmodi verba videntur maxime excitativa ad venerem; et cum sint ad Confessionem impertinentia, merito sapiant sollicitationem.

2. Si dicat mulieri: « Memento mei, quia te ex corde diligo; » ita *Diana apud Potest. d. n. 558. cum Ronc. in Reg. praxis. At Bordonus excusat;* hoc melius puto explorandum ex circumstantiis.

3. Si dicat: « Expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum

« loqui; » et postea domi tractet de inhonestis, quia sollicitatio illa facta in domo dicitur moraliter facta in Confessione: ita recte dicit *Potest. n. 559.*

4. Si dicat: « Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam; tantò magis, si dicat voluntariam; ita » *Potest. cum Bord. n. 560. et Ronc. ibidem.* »

5. Si dicat: « Nolo te audire in Confessione, ne aliquid mihi » contingat, quia amore tui captus sum. » Ita *Potest. n. 561.* Modò hoc dicat mulieri petenti Confessionem, quia hæc verba videntur esse provocativa inhonestæ, et proferuntur occasione Confessionis; et ita sentit etiam *Ronc. in Reg. prax.* Idem putat *Ronc.* si dicat: « Totum me commoveri sentio ex affectu, quo te » prosequor. »

6. Si Confessarius mulieri asserenti tentationem turpem repulisse, dicat: « Sed si aliquis pecuniam dedisset, an peccasses. » Affirmat *Ronc.* esse denunciandum, si mulierem postea affirmative respondentem non objurget; vel si objurget, et postea domi, oblata pecunia, eam sollicitet. Et consentit *Potest. n. 588.*

7. Si dicat: « Cur etiam mecum non es humana? » vel dicat: « Veniam in domum, et promitte mihi facere quod voluero. » Vel mulieri confitenti turpe desiderium, dicat: *De hoc agemus post Confessionem.* Ita *Potest. n. 565.* cum *Tancredi*, quia verba hæc sunt satis ostensiva intentionis inhonestæ. Sed in his dico perpendendas esse circumstantias, nam aliquando possunt non esse sollicitationes.

8. Si suam concubinam objurget, quòd cum alio se immiscuerit, dummodo, iudicio prudenti faciat dignoscere, quòd objurgatio procedat ex zelotypia; uti etiam, si excedat in reprehendendo, addendo minas, injurias, et similia; vel objurget tantùm peccata commissa cum aliis, et non illa cum seipso, quia tunc ostendit amorem suum lascivum. Ita *Potest. n. 562.*

705. — Ultimo loco hic advertendum, quòd in Bulla Sanctissimi nostri Pontificis Bened. XIV, quæ incipit, *In Generali Congregatione* (vide Decr. III. in Tomo nono), sancitum habetur quòd Confessarii sollicitantes, « in actu sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, præter pœnas à jure » inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad Sacramentum » crucificii celebrationem. » Eamdemque pœnam incurrunt ex eodem Decreto Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia. Plura autem hic dubia occurrunt. Dubitatur 1. an prædicta inhabilitas incurratur ante sententiam saltem declaratoriam criminis? In præcedenti editione hujus Operis affirmavi, eò quòd pœnæ privativæ, quæ important inhabilitationem ad aliquod jus acquirendum, vel cessationem à quodam jure jam acquisito utendo, ut communiter DD. docent ordinariè ante sententiam incurruntur, juxta dicta *l. 1. n. 149.* Attamen quidam probus Religiosus, cum hæc legisset in meo Opere, scripsit mihi è Roma quòd duo Theologi S. C. Inquisitionis Romanæ oppositum sentirent, nempe requiri sententiam ad præfatam pœnam incurren-

dam. Sub initio ratio opinionis hujus mihi non occurrebat; sed postea, re sedulius perpensa, in hoc eodem meo Opere *n. 148.* observavi, quòd *Suarez, Bon. Salm. cum Tapia, Vasquez, Montezin. etc. locis ibi cit.* (quibus recenter consentit *Eusebius Amor. l. 1. n. 148.*) dicunt sententiam declaratoriam bene requiri etiam quoad pœnas privativas, sive inhabilitantes, casu quo reus non possit exequi pœnam sine propria infamia, prout ordinariè in nostro casu eveniret, si Sacerdos sollicitans deberet per longu tempus se abstinere à celebrando. Dico *per longum tempus*; nam si de brevi super dictam inhabilitationem posset impetrare dispensationem, et interim sine sua infamia celebrationem intermittere, tenetur ab ea abstinere. Dubitatur 2. an ab hac inhabilitate excuset ignorantia invincibilis? In hoc dubio mihi videtur posse id probabiliter affirmari, juxta ea quæ dicuntur infra de irregularitate ex delicto *l. 7. n. 351.* Dicunt *Nav. Sylvest. Sanch. Castropal. Ronc.* et alii plures, quòd ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur scientia irregularitatis, quæ incurritur, quia licet irregularitas non sit censura, à qua excusat equidem ignorantia invincibilis, sed impedimentum: tamen talis irregularitas ex delicto est verè pœna, aut saltem habet rationem pœnæ, ad quam incurrendam, cum sit pœna extraordinaria, et exorbitans, ita ut secundùm rei naturam non possit provideri, illius scientia requiritur: et idem posse dici videtur in nostro casu de inhabilitate celebrandi, quæ est procul dubio imposita in pœnam sollicitationis. Dubitatur 3. an in hac inhabilitate possit Episcopus dispensare? Vide dicenda *l. 7. n. 353.* ubi dicitur, quòd Episcopi ex *Trid. sess. 24. c. 6. Liceat*, possunt dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto, non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario, et directè volito.



## TRACTATUS QUINTUS.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE.

## CAPUT I.

## Quid sit Extrema Unctio, et quæ circa eam observanda.

706. Quid est hoc Sacramentum? Et an à Christo institutum? — 707. Qu. I. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur? Qu. II. An conferatur gratia, recedente obice? — 708. De materia remota hujus Sacramenti. An præceptum quotannis renovandi Oleum obliget sub gravi? et an possit addi oleo benedicto aliud non benedictum? — 709. An oleum debeat esse olivarum, et an benedictum? Dub. 1. An benedictio requiratur de necessitate Sacramenti? Dub. 2. An debeat esse benedictum præcisè in ordine ad Extremam Unctionem? Dub. 3. An hæc benedictio possit à Papa committi simplici Sacerdoti? Dub. 4. An sufficiat ungeri una gutta olei? — 710. De materia proxima. An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti? An sit necessaria unctio gemina oculorum, etc.? Et an unctio renum, ac pedum? An ordo unctionum sit de necessitate? Et quæ spectent ad essentiam hujus Sacramenti. — 711. De forma. Dub. 1. An forma omnino debeat esse *deprecativa*? Dub. 2. An sint de essentia verba: *Per suam piissimam misericordiam*? Dub. 3. An valeat forma dicendo: *Ungo te* etc.? — 712. Quibus ministranda est Extrema Unctio? — 713. Dub. 1. An valide conferatur sano? Dub. 2. An infirmo quocumque morbo laboranti? Dub. 3. An mulieri laboranti in partu? — 714. Dub. 4. An licetè ministretur in solo periculo putato? Advert. 1. Non esse expectandam extremam partem vitæ. Advert. 2. Non licetè ministrari, nisi immineat periculum proximæ mortis. Quid in dubio an instet mortis periculum? — 715. Dub. 5. An hoc Sacramentum possit iterari in eadem infirmitate? — 716. Quæ dispositio requiratur in suscipiente? Et an Extrema Unctio sit danda post Viaticum? — 717. An sit ministranda pueris? — 718. Dub. 1. An infantes sint capaces hujus Sacramenti? — 719. Dub. 2. An danda pueris, de quorum usu rationis dubitatur? — 720. Dub. 3. An possit dari puero doli capaci, sed non adhuc Communioni apto? — 721. Dub. 4. An possit dari adulto infirmo statim post Baptismum? — 722. De ministro hujus Sacramenti. An quisvis Sacerdos possit illud dare ex consensu Parochi præsumpto? Quid sancitum sit de Regularibus? — 723. Quid, si Pastor absit, vel nolit dare? Et quid, si sit excommunicatus, aut suspensus? — 724. An liceat dare hoc Sacramentum sine ministro? Et an possit unus unam, alius aliam partem

inungere? An solus sacerdos possit illud ministrare? Quid si ministrans inter unctiones deficiat? — 725. An Sacerdos incurrat irregularitatem, si æger decedat dum eum revolvit, etc.? — 726. De administratione hujus Sacramenti. An liceat aliquando ministrare sine vestibus sacris? — 727. Quale peccatum sit omittere orationes, vel alias preces? — 728. Quale, deferre oleum sine lumine? Et quale omittere signum Crucis? Et an liceat Sacerdoti deferre oleum unam cum Viatico? — 729. An teneatur Pastor dare hoc Sacramentum petentibus; et an cum periculo vitæ? An teneatur dare alii Sacerdotes? — 730. An liceat Parocho oleum retinere domi? — 731. De effectibus hujus Sacramenti. An per Extremam Unctionem remittantur mortalia per se? Et an principalis ejus effectus sit remissio peccatorum, vel remissio reliquiarum peccati? — 732. De subjecto hujus Sacramenti. An sint capaces amentes? An ebrii? An impœnitentes, excommunicati, et vulnerati in rixa? An phrenesi laborantes? An muti, surdi, et cæci à nativitate? — 733. An peccet graviter qui negligit hoc Sacramentum suscipere!

706. — « RESP. I. Est Sacramentum à Christo institutum ad » ægroto periclitanti de vita conferendam salutem animæ, vel » etiam corporis, per unctionem olei benedicti, et orationem Sa- » cerdotis. *S. Th. in 4. d. 23. q. 1. art. 1.*

Definitum est hoc esse verum Sacramentum à *Trid. sess. 14. Cap. 1.* Institutum autem fuit à Christo post Resurrectionem, ut tenent *Suar. Laym. etc. cum Salm. tr. 7. c. 1. n. 3.* et promulgatum à *S. Jacobo c. 5. v. 14 et 15.* ubi dicitur: « infirmatur » quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super » eum, ungentes eum oleo... » et oratio fidei salvabit infirmum, et » alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittitur ei. » Certum item est hoc Sacramentum unum esse; licet enim plures sint unctiones, omnes tamen pertinent ad unam significationem interioris medellæ.

707. — Quæ. autem I. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur? Affirmant *Elbel de E. U. n. 30. Sporer n. 68. cum Scoto, Pontio, et Mastr. ac Croix l. 6. p. 2. num. 2105. cum Suar. Conc. Laym. et Sot. Palud. Med. etc.*, quia quævis unctio cum sua forma jam significat gratiam independentem ab aliis unctionibus. Sed negat cum communiori *S. Th. Suppl. q. 30. ar. 1. ad 3.* ubi: *Et ideo in ultima unctione gratia infunditur.* Et eum sequuntur *Wigandt tr. 14. n. 109. et Salm. c. 3. n. 7.* cum pluribus, qui dicunt nullam unctionem per se Sacramentum nec etiam partiale constituere, et ideo nihil conferri gratiæ habitualis, quousque cum forma compleatur ultima unctio, qua Sacramentum perficitur; in fine autem ultimæ unctionis confertur simul remissio peccatorum et pœnarum; auxilia autem specialia annexa gratiæ non conferuntur, nisi tempore opportuno. *Salm. n. 8 et 9.* Harum sententiarum utraque est probabilis.

Quæ. II. An possit dari hoc Sacramentum validum et in-forme, ita ut, recedente obice, gratia conferatur? Affirmant communiter *Suar. Val. Henr. Palud. Dicast. Pal. etc. cum Salm. c. 3. n. 10. et Croix l. 6. p. 1 n. 202. V. dicta de Sacram. l. 6.*

n. 6. v. Not. 4. Hinc inferunt *Salm. ibid.* cum aliis, quod si infirmus bona fide vel sensibus destitutus Sacramentum suscepit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat, ad gratiam recipiendam; secus si mala fide. Id autem currit, si obex tollatur, perseverante eodem morbo et periculo; saltem quoad effectum specialium auxiliorum; ut dicunt *Suar.* et *Dic.* apud *Salm.*

708. — « 1. Materia ejus remota est oleum benedictum, quod in pyxide chrysmali signatur littera I. ( in cujus defectu non licet uti chrysmate: si tamen usus sis, nihil repentendum esse docet *Laym. l. 5. tr. 8. c. 2. n. 3.* ), idque renovandum est quotannis in cœna Domini, veteri exusto; \* ( *Et hoc ex præcepto Clementis VIII ap. Salm. c. 2. n. 11. et Pal. c. 2. n. 15. et ex Rit. Rom. ubi dicitur: Oleum infirmorum... singulis annis... in Cœna Domini... veteri combusto, renovandum est. An autem hoc præceptum obliget sub gravi? Negat Escob. l. 22. n. 81. cum Sa, Led. Henr. etc., quia de gravitate hujus præcepti non constat, nisi pro solo Chrysmate, ut habetur in c. Si quis, de Consecr. d. 4. Sed probabilius affirmant Bonac. p. 2. n. 3. Pal. l. c. Croix l. 6. p. 1. n. 42. cum Dic. item Trull. Posseo. et Zamb. ap. Escob. n. 79. Ratio, quia videtur materia satis gravis, et talis est unioersalis Ecclesie consuetudo ) \*, si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo, *Laym. l. c.* \* ( *Et ita Salm. c. 2. n. 11. cum Dian. et Aversa, ex Declar. S. C. apud Gavant.* ) \* et si hoc non sufficiat, aliud consecratum, vel in necessitate non consecratum ( in minore tamen quantitate, quam vetus est ) addere. \* ( *Ita ex Rituali Rom. ubi dicitur: Id tamen ( id est oleum ) si forte infra annum... ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superinfuso, reparari potest.* ) \* *Etsi Dian. p. 6. t. 6. R. 44. ex Less. et aliis 4. dicat contrarium habere praxim Ecclesie; ut scilicet paulatim, per vices ( si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum ) longè etiam major quantitas addatur, quam ab Episcopo fuerit consecrata initio. Bon. d. 7. q. 1. n. 8. ex Possetino. \* ( Et hoc dicit Croix n. 2093. esse certè licitum ex praxi Ecclesiarum, et ex Decl. S. C. ap. Cardenas, utque colligitur ex c. Quod in dubiis, de Consecr. Eccl. juxta dicta in hoc l. 6. n. 368. Modò pars olei, quæ nunc effunditur, sit minor altera parte, cui infunditur. Id tamen rectè ait Ronc. q. 2. R. 1. non permittendum nisi in casu necessitatis. ) \***

Certum est 1. hoc oleum infirmorum debere esse olivarum, quia ex communi usu nomine olei hoc propriè intelligitur; ita communiter DD. cum *Salm. tr. 7. c. 2. num. 1. et Petroc. t. 4. de Extr. Unct. q. 2. et patet ex Decreto Florentini apud Sporer Suppl. p. 220. n. 61, ubi pro hujus Sacramenti materia assignatur Oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Certum est 2. apud omnes, quòd hoc oleum debeat esse benedictum ex necessitate præcepti, sed*

709. — Dubitatur 1. An oleum infirmorum debeat esse benedictum ex necessitate Sacramenti? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Juenin. q. 3. c. 1. Natal. de Alex. cap. 1. 2. item Cajet. Maldonat. et Samboc. ap. Tourn. t. 9. p. 303.* qui non obstando dicunt Concilium Florent. ut supra, neque Trident. sess. 14. c. 1. ubi pariter dicitur: *Intellexit enim Ecclesia materiam (Extremæ Unctionis) esse oleum ab Episcopo benedictum. Quia ( ut dicunt ), esto ibi assignetur oleum pro materia, non tamen definitur esse de essentia quòd benedicatur ab Episcopo. Secunda* verò sententia communissima affirmat, et hanc tenent *S. Th. Suppl. q. 29. art. 5. Conc. t. 10. n. 5. Petr. q. 4. Salm. c. 2. n. 2. et Scot. et alii apud Sporer l. c. Ratio, quia Concilia in hoc dogmaticè locuta sunt, unde utrumque ad valorem hujus Sacramenti requiri declararunt.*

Dubitatur 2. An oleum debeat esse necessariò benedictum in ordine ad Extremam Unctionem? *Negant Suar. t. 4. d. 39. sect. 1. n. 9. et Laym. c. 2. n. 3. et Henr. c. 8. n. 2.* quia verè est oleum ab Episcopo benedictum. *Affirmant verò Palaus p. 2. n. 5. Holzm. pag. 242. num. 7. item Bellarm. Valent. Barbosa, Aversa, etc. ap. Salm. cap. 2. n. 9.* quia, sicut benedictione Chrysmatis deputatur Chryisma pro sacramento Confirmationis, ita benedictione olei infirmorum deputatur materia ad Sacramentum Extremæ Unctionis. Utraque sententia est probabilis, unde prima non potest in praxim deduci, nisi in casu necessitatis, quo deest oleum infirmorum; tunc enim poterit ministrari Extrema Unctio Chrysmate, vel oleo Catechumenorum sub conditione, ut rectè dicunt *Vica art. 1. n. 2. Ronc. q. 2. et Croix l. 6. p. 2. n. 2093.* Et si postea haberi possit Oleum infirmorum, repetendum est Sacramentum, ut dicunt *Vica et Croix ll. cc.* utque præscripsit *S. Carolus Borrom. Act. Mediol. p. 4.*

Dubit. 3. An hujusmodi benedictio possit committi à Pontifice simplici Sacerdoti? *Negant Pal. p. 2. num. 5. Suar. d. 40. sect. 1. et Bellarm. Con. Laym. etc. ap. Salm. c. 2. n. 6.* Sed affirmandum cum *Holzm. num. 5. Petrocor. q. 4. Ronc. p. 120. q. 2. Conc. n. 6. et Bened. XIV de Synodo l. 7. c. 16. n. 4, ex Decr. Clementis VIII, qui declaravit Sacramentum Extremæ Unctionis Latinis collatum à Sacerdotibus Græcis oleo ab eisdem Sacerdotibus benedicto, esse validum, ut diximus de Confirm. n. 163.*

Dubitatur 4. An sufficiat ministrare hoc Sacramentum una gutta olei? *Negant Suarez d. 40. sect. 2. n. 4. ac Fill. Reg. Trull. Gran. etc. ap. Escob. l. 22. n. 82.* quia ( ut aiunt ) ungere propriè est oleum per partes diffundere. *Affirmant verò communis Escob. num. 84. cum Dian. Tanner. et Hurt. ac Croix. n. 2094. cum Dic. et Aversa, modò omnes partes ungantur; quia qui ungit una stilla olei, verè ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundatur. Hæc sententia mihi est probabilior; at quia prima non est improbabilis, saltem extrinsecè in praxi sequenda est. Pro valore autem Sacramenti rectè dicunt *Salm. c. 2. n. 12.**

cum *Dicast. et Aversa*, quòd sufficit intingere in oleo extremum digiti, et ungere.

710. — « 2. Materia proxima est unctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta à Sacerdote: non simpliciter necessario contactu immediato manûs; nam peste grassante potest uti virga oblonga oleo tincta, quam postea comburat. *Sylo. Chapeavill. Dian. V. Dian. p. 3. t. 4. R. 197.* (Ita etiam probabiliter *Wig. n. 107. et Escob. n. 93. qui addit; quòd si fiat sine necessitate, nec erit mortale.*) Quidam etiam DD. putant, unam tantùm unctionem esse de essentia Sacramenti; ideoque in periculo pestis, et simili necessitate, sufficere unum tantùm organum magis obvium, vel potius caput, quòd in eo sensus maximè vigeant, ungere, dicendo: *Per istam, etc. quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum, etc.* Et quidem pro hac sententia citantur varia Pastoralia. *Agendæ, et Doctor. Lovan. Sylo. in 3. part. q. 32. art. 2. Laym. lib. 5. tr. 8. cap. 3.* qui eam non omnino improbabilem; *Tann. et Marchant. in Horto Pastorum*, qui omnino probabilem, et in praxi usitatam, *Dian. p. 3. t. 4. R. 108*, qui in praxi tutam dicit, citansque pro ea *p. 8. t. 1. R. 21. Gran. Amic. Aversam*, affirmat Pontificem id posse permittere: et denique *Escob. citans Becanum, c. 25. q. 7. num. 6. et Barbosa in Trid. sess. 14. c. 1.* id permittit. Verùm cum alii Doctores communiter repugnent, tutius saltèm erit (quod suadent *Laym. et Dian. ll. cc.*) eo casu unum oculum, aurem, manam, et os velociter sine crucis forma ungere, dicendo unicam formam complectentem reliquas. Illud verò certius est, pedes, aut renes inungere, non esse essentialia; imò quoad renes, non est decens, præsertim in fæminis, et viris religiosis, ideoque omitti solet. *Henr. Sa, Tol. Suar. Bellarm. cap. 10. in fine.* »

Queritur an unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti? *Prima* sententia negat, et dicit sufficere ad valorem unicam tantùm unctionem. Ita *Merbesius t. 2. p. 265. q. 19. Natal. ab Alex. c. 5. Tourn. t. 9. p. 396.* item *Sylo. Becan. et Molf. ap. Salm. c. 2. n. 18.* Et meritò (speculativè loquendo) probabilem putant *Holzm. n. 10. Ronc. q. 2. R. 2. Elbel. n. 25. ac Laym. Con. etc. ap. Salm.* Ratio, quia ex D. Jacobo simplex unctio præcipitur, *ungentes eum oleo.* Item in Tridentino *sess. 14. c. 1.* de una tantùm unctione fit mentio, *hæc sacra unctio, etc.*; unde inferitur sufficere, quòd homo in una parte tantùm ungatur, ut dicatur unctus. *Secunda* verò sententia communior et tutior affirmat, eamque tenent *Laym. cap. 5. num. 7. Pal. p. 3. num. 6. Elbel. n. 25. Holzm. n. 10. cum Suar. Soto et Henr. ac Salm. n. 19. cum S. Bonao. Bellarm. Valent. Con. Bon. etc. ex D. Th. Suppl. q. 32. art. 6.* qui docet unctionem quinque sensuum esse, *quasi de necessitate Sacramenti.* Ratio, quia licèt ex verbis D. Jacobi, et Tridentini non fiat mentio plurium unctionum, tamen sic colligitur ex usu Ecclesiæ, et communi DD.

sensu. Quapropter rectè dicunt AA. præfati, quòd tantùm tempore pestis, vel alia urgente necessitate, poterit adhereri sub conditione una unctio in aliquo sensu (et consultius in capite), ut aiunt *Benedic. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 18. Busemb. ut supra.* Tunc autem dicit *Tourn.* sufficere quòd dicatur: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus;* ut habetur in Rituali Parisiensi. Sed alii, ut *Busemb. mox infra n. 3. Holzm. et Elbel ll. cc. item Salm. c. 2. n. 32. cum Angles, Nugno, et Leand.* requirunt, ut exprimentur quinque sensus, nempe *quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti.* Sed melius erit sic dicere: « Per istam S. unctionem, etc. indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum. » Præmittendo verbum *deliquisti*, ut bene notant *Salm. loc. cit. cum Aversa*, quia si *deliquisti* proferatur in fine, et interim æger moriatur, nullum est sacramentum. Si autem æger supervivat, meritò ait *Croix n. 2121.* repetendas esse unctiones in singulis sensibus, addendo Orationes omissas. Præscribit autem Rituale Romanum: « Si dubitet (Sacerdos) an vivat..., unctionem prosequatur sub conditione... dicens: Si visis, per istam, etc. »

Certum est autem non esse de necessitate Sacramenti geminam unctionem adhibere geminis partibus, v. g. in utroque oculo, aure, etc. ut rectè dicunt *Roncagl. q. 2. R. 2. Holzm. n. 10. et Salm. n. 16. cum Suar. Sa, Bon.* Unde urgente necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc. Unctio autem renum, ut præscribit Rituale, « in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. » Unctio verò pedum non est de necessitate Sacramenti, ut communiter dicunt *Pal. p. 3. n. 3. Ronc. quæst. 2. R. 2. et Salm. n. 17. cum Suar. Laym. Sa, et Bon. ex D. Thoma d. quæst. 32. art. 6.* unde dicunt in hac unctione pedum servandam esse consuetudinem Ecclesiarum.

Nec etiam est de necessitate Sacramenti servare ordinem inter unctiones partium, quia hujus ordinis inversio minimè impedit Sacramenti significationem. *Holzm. n. 11.* cum communi. Communiter tamen dicunt *Suar. t. 4. d. 40. sect. 2. in fine. Bonac. p. 5. n. 20. Pal. p. 3. n. 11. cum Sa, et Holzm. cum Bambest.*, id esse graviter illicitum, quia esset contra usum Ecclesiæ in re notabili.

« 3. De essentia hujus Sacramenti est. 1. Ut organa quinque sensuum, quæ inunguntur, nominentur. *Pal. p. 4. c. 26. Aversa sect. 4.* etc. communiter, licèt *Diana p. 8. t. 7. R. 56.* ex *Regin.* contrarium censeat probabile; imò ad valorem sufficere, si inter ungendum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas unctiones indulgeat tibi, etc.* 2. Verba illa: *Per hanc sanctam unctionem;* etsi *Palauis l. c.* dicat valere, si tantùm omittas *id sanctam.* 3. Verba deprecative, *Indulgeat tibi Deus.* Hinc formam imperativam, v. g. *Per hanc, etc. remittatur tibi quidquid, etc.* non valere, dicit *Palauis l. c. Diana l. c.* »

711. — Quoad formam hujus Sacramenti pertinet, Sacerdos intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungere debet infirmum, ut præscribit Rituale Romanum, in partibus infra scriptis, aptando verba formæ proprio loco in hunc modum, videlicet: « Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam » misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum » (si ungitur oculus, et sic de aliis) deliquisti. Amen. » Minister verò, si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eaque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, combat, cineresque projiciat in sacrarium. Advertit pariter Rituale, quòd cum Sacerdos ungit partes corporis quæ pares sunt, prout oculos, aures, etc. (incipiendo semper à parte dextera) non absolvat formam, antequam ambas perunxerit. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima eadem forma inungatur. Deinde aures inungendo, repetat eandem formam, dicendo, *per auditum*; ad nares *per odoratum*; ad os (compressis labiis), *per gustum, et locutionem*; ad manus (Sacerdotibus exterius, reliquis interiùs in palmis), *per tactum* ad pedes (scilicet in plantis), *per gressum*; ad renes, *per lumborum delectationem*. Hæc autem unctio omittitur in scæminis et etiam in viris qui vix aut sine periculo mortis moveri non possunt. Quando autem periculum mortis imminet, præcipit Rituale, ut infirmus citò ungitur prædictis verbis: *Per istam S. Unctionem*, etc. Et postea, si supervivat, dicantur orationes prætermisissæ. Hæc omnia habentur in Rituali.

Verbum *deliquisti* merito dicunt *Croix num. 2097. et Mazz. t. 3. p. 216.* cum *Gob. contra Bosco*, esse de essentia; nam aliàs non exprimeretur in forma unius ex principalibus effectibus hujus Sacramenti, qui est remissio peccatorum, ut dixit D. Jacobus: « Et si in peccatis sit, remittentur ei. »

Verbum autem *Sanctam* non est de essentia, cum in Florent. et Trident. hæc vox non additur: peccat tamen omittens. Ita communiter *Pal. part. 4. n. 4. Holzm. n. 14. Mazzotta pag. 216. et Salm. cap. 2. n. 30. cum Aversa et Dicast.*

Dubit. 1. An valeat forma indicativa? Prima sententia affirmat, quam tenent *Tournely t. 9. et Juenin. Diss. 7. q. 4. item Palud. Alb. Magn. Beccan. Ricch. Aureol. et Tanner*, apud *Escob. num. 103.* et probabilem putat *Concina, pag. 17. n. 12.* Eam probat ex variis præcis Ritualibus, et signanter ex Ambrosiana in quo dicebatur: « Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, » etc., ut militis uncti præparatus ad certamen aereas possis » superare potestates. » Secunda tamen sententia communis et verior docet non valere; ita *S. Th. Suppl. q. 29. art. 8. per totum, Merbes. q. 20. Natal. ab Alex. art. 3. Suar. d. 40. sect. 3. num. 6. Fill. tr. 3. num. 80. Petrocor. tom. 4. p. 184. Pal. p. 4. n. 1. Elbel. n. 28. Holzm. n. 15. cum S. Bon. et Mastr. Escob. n. 105. cum Henr. Con. Nugn. et Hurt. ac Sporer. num. 74. cum Bellar. Laym. Bon. Val. etc.* Ratio habetur

ex ipsis verbis D. Jacobi: « Et orent super eum, ungentes eum » oleo... et oratio fidei salvabit infirmum. » Ex quibus verbis patet Apostolum orationi tribuisse efficaciam hujus Sacramenti. Nec obstant Ritualia opposita: nam respondet *D. Th. loc. cit. ad 3.* quòd verba illa non erant forma hujus Sacramenti, sed potiùs dispositio ad formam. Sed fortè meliùs respondet Papa Bened. XIV. *de Synodo lib. 7. cap. 17. et Sporer n. 75. cum Mastr. et Herincæ*, quòd verba illa, ut *possis*, cum sint optativa, referri possint ad proferentis votum et orationem, nempe ac si diceret: « Ungo te orans Deum, ut possis, etc. »

Dubitatur 2. An sint de essentia verba: *Per suam piissimam misericordiam*? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Nunnus, et Hurt. apud Escob. n. 97. atque Bellarm. ap. Mazzotta t. 3. p. 216. favetque Coninck dist. 19. n. 15. et probabilem putat Roncaglia quest. 3. quoad verbum Misericordiam*; dubitat verò *Suar. dist. 40. sect. 3. num. 13.* Ratio, quia, cum forma debeat esse deprecativa, necessariò in ea est explicandus recursus ad divinam misericordiam, quæ respicit miseriam, in qua maximè est infirmus in fine vitæ constitutus. Secunda verò sententia longè communior, et longè probabilior negat, et hanc tenent *Pal. p. 4. n. 4. Bonac. p. 3. circa finem. Salm. cap. 2. n. 31. Roncag. l. c. Sporer. n. 71. Holzm. n. 14. et Escob. n. 99. Laym. Fill. Reg. Henr. Dic. et Trull.* Ratio enim opposita minimè suadet verba illa esse de essentia, quia eo ipso quòd Sacerdos dicat, *Indulgeat tibi Deus*, satis orat divinam misericordiam. Omnes tamen conveniunt quòd omittere prædicta verba esset quidem mortale, cum esset ommissio in re notabili, et contra usum Ecclesiæ.

Dubit. 3. An valeat forma, si dicatur: « Ungo te oleo sancto, » ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus, etc. » Negant *Bonac. p. 3. n. 3. ac Hurt. Nunnus, etc. ap. Salm. c. 2. n. 29.* Probabiliùs verò affirmant *Suar. Laym. Fill. Henr. Reg. et cæteri communius apud eosdem Salm.* (qui tamen dicunt rem esse incertam.) Ratio, quia his verbis jam exprimitur substantia formæ.

712. — « 4. Hoc Sacramentum tantum dandum est morti pro » pinquis, ex morbo, vulnere, partu, vel senectute, quia hi soli » sunt infirmi. Quòd si morbo liberati rursus periclitentur, » iterandum est: et quidem in diuturnis morbis, quoties erit » periculum novum; neque expectandum (sub gravi culpa, » *Quint. t. 5. sect. 9.*) donec sensibus careant, vel omnino sint » desperati. In dubio verò de vita, detur sub conditione. *Laym. l. c. ex S. Thom. Sylv. Suar. d. 40.*

« 5. Si conferatur infirmo communi morbo, sive non graviter, » vel periculose laboranti, non est validum. *Suar. Palaus, Gran. » Amic. etc. commun.* Ac licet *Less. Wiggers, et Quint. contra-* » rium putent probabile, concedunt tamen sic inunctum iterum » inungendum esse (etiam in eodem morbo), quando periculose » laborare cœperit, ob mutatum statum infirmitatis, additque » *Quint.* mortaliter peccatum fuisse. *V. Quint. tom. 5. sect. 7. » Dian. p. 9. t. 6. R. 45. »*

713. — Dubit. 1. An sit validum hoc Sacramentum Extremæ Uctionis, si conferatur sano? Affirmat *Juenin. ap. Bened. XIV. de Synodo l. 8. c. 5. num. 4. et Ronc. q. 6. R. 1.* respondet quod non auderet asserere esse invalidum, cum nullibi viderit condemnatum ritum Græcorum, qui in die Cœnæ Domini, dum consecratur oleum infirmorum ab Episcopo, totum illud insumunt in unguendis adstantibus. Sed omnino tenendum est invalidum cum communi sententia, quam tenent *Suar. t. 4. d. 42. sect. 2. Pal. p. 6. n. 10. Salm. c. 4. n. 6. Conc. p. 18. n. 4. et N. SS. P. Bened. XIV, l. c.* Ratio, quia id patet ex verbis S. Jacobi c. 6. ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis?* inducat, etc. Et communiter omnes interpretantur hunc textum de infirmitate corporali, non autem spirituali, ex *Trid. sess. 14. c. 3.* ubi dicitur: « Declaratur esse hanc unctionem infirmis » adhibendam. » Nec obstat ritus Ecclesiæ Græcæ; nam sapienter advertit præfatus Pontifex unctionem illam sanis adhiberi, non tanquam Sacramentum (quod errorem esse ait ita credere), sed ut meram cæremoniam ac sacramentalem benedictionem.

Dubit. 2. An sit validum hoc Sacramentum, si conferatur infirmo quocumque morbo laboranti etiam non gravi? *Prima* sententia affirmat, dicens esse quidem illicitum, sed non invalidum, et hanc tenent *Coninck d. 19. dub. 7. n. 25. et Wiganth n. 111.* Ratio, tum quia Apostolus agnoscit absolutè infirmum pro subjecto capaci hujus Sacramenti, cum dicat: « Infirmatur quis » in vobis? inducat etc.; » tum quia in Trident. d. c. 3. sic habetur: « Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam; iis verò præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut » in exitu vitæ constituti videantur, unde et Sacramentum » exeuntium nuncupatur. » Ubi notant verbum *præsertim*, et ex eo inferunt Sacramentum adhiberi posse etiam his, qui non periculose decumbunt. *Secunda* tamen sententia communior et sequenda, docet talem collationem non solum esse illicitam, sed etiam invalidam. Ita *Suar. d. 42. sect. 2. n. 4. et 5. Pal. p. 6. n. 17. Bonac. p. 5. n. 15. Escob. l. 23. n. 138. cum Caspens. Gran. Amico, Diana, Reg. etc. ex D. Th. in 4. d. 23. q. 2. art. 4. q. 2.* ubi docet hoc Sacramentum non esse dandum, nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur mortis appropinquare. Probatur ex Decr. Eugenii IV in Instruct. ad Armenos, ubi dictum fuit: « Hoc sacramentum dari non debet, » nisi infirmo de cujus morte timetur. » Verbum autem *debet* hîc non tantum importat præceptum, sed etiam necessitatem, quia præfatus Pontifex, cum declaraverit subjectum hujus Sacramenti, et designarit tantum infirmum de cujus morte timetur, censetur alios quidem infirmos exclusisse. Confirmatur ex fine institutionis hujus Sacramenti, qui fuit (prout ait *Trident. sess. 14. in Proœm.*), ut hoc Sacramentum *finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio muniret.* Nec obstat quod in *dicto c. 3.* dicatur *præsertim*, nam hæc particula juxta contextum

Concilli, ut patet, non denotat posse quibusvis infirmis Sacramentum ministrari, sed posse dari iis, qui periculose decumbunt; etiamsi non sint constituti in exitu vitæ, sive in articulo mortis; modo immineat periculum mortis, ut mox in fine Dubii quarti declarabitur.

Dubit. 3. An mulieri laboranti in partu sit hoc Sacramentum ministrandum? Respondetur: si scæmina laborat in partu communibus tantum doloribus, non poterit quidem ungi, etiamsi prima vice pariat, vel aliàs fuerit in periculo mortis, quia tunc non adhuc periculosa laborat infirmitate, ut communiter dicitur *DD. infra citandi cum Concilio Mediol. p. 2.* ubi dictum fuit: « Parochus unctionis Sacramentum ministrare non debet mulieribus in partu laborantibus. » Secus verò si mulier jam cæperit gravissimis cruciatibus divexari, ita ut jam actu sit in proximo periculo mortis; quia tunc revera jam periculose infirmatur; ita *Bonac. p. 5. n. 6. Fill. tr. 3. n. 68. Diana p. 10. tr. 12. R. 9. cum Franc. Lugo, et Amico, ac Escob. n. 140 et 141. cum Reg. Trull. Cand. etc.*

714. — Dubitatur 4. An hoc Sacramentum licitè conferri possit ægroto in solo putato periculo vitæ? *Prima* sententia negat et hanc tenet *Viva q. 6. art. 3. n. 2.* et probabilem vocant *Less. et Quintanad. apud Escob. n. 136.* Ratio (ut dicunt) quia non potest Sacramentum exponi periculo frustrationis; invalide enim conferretur, si revera infirmus non esset in vero periculo mortis. *Secunda* tamen sententia communis et vera affirmat, et hanc tenent *Pal. p. 6. n. 16. Suar. d. 42. sect. 2. n. 5. Holam. n. 28. Sporer n. 98. cum Scoto, et Amico, ac Escob. n. 138. cum Caspens. Gran. Reg. etc.* Hæc sententia docet, ad ministrandum hoc Sacramentum validè et licitè, sufficere quod infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter putetur esse in periculo proximæ mortis. Et probatur ex decreto Eugenii, ut supra, ubi: *De cujus morte timetur.* Et ex Rituali, ubi: « Debet hoc Sacramentum » tum infirmis præberi, qui... tam graviter laborant, ut mortis » periculum imminere videatur. » Et ratio est, quia cum Christus Dominus ministrationem hujus Sacramenti hominibus reliquerit, credendum est sic eam reliquisse ut possint concedere illud omnibus infirmis, quibus probabiliter judicatur periculum mortis imminere.

Advertendum autem hîc 1. quod ad præbendum hoc Sacramentum non sit expectandum ultimum vitæ tempus; unde communiter docent *Merbes. tom. 2. de E. U. q. 25. Mon. 5. Roncagl. Reg. in praxi n. 2. et Antoine p. 566. Obs. 1.* graviter peccare Parochos, qui differunt hoc Sacramentum; usquedum infirmus privetur usu sensuum et rationis; prout habetur etiam expressum in *Catech. Rom. §. 9.* ubi dicitur: « Gravissimè peccant, qui » illud tempus ægroto unguendi observare solent, cum jam, omni » salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. » Ratio, quia sic privatur infirmus uberiori fructu quem receperat, si suscepisset Sacramentum dum erat rationis compos, cum magis

tunc se ad illud disposuisset; item quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni, et ad perferenda morbi incommoda; item quia infirmus, si forte esset in mortali, et compos rationis Sacramentum recepisset, auxilio attritionis gratiam fortè fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute hujus Sacramenti fortè consecutus fuisset sanitatem corporis, si tempore congruo collatum fuisset; licet enim hoc Sacramentum virtute quadam supernaturali operetur etiam salutem corporalem, si animæ salutem expedierit (ut loquitur Tridentinum), non tamen per modum miraculi operatur, sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adjuvando, ut communiter aiunt DD. Quæ omnia saltem simul congesta videntur grave damnum infirmo afferre.

Advertendum 2. quòd distinguere oporteat, quando Extrema Unctio dari debeat, et quando dari possit. Adest quidem obligatio, ut mox diximus, eam ministrandi, cum urget periculum proximæ mortis, et tunc non est expectandum ultimum vitæ tempus, sed ministrandum est Sacramentum, sicut præcipit Bened. XIV in *Euchol. Græcor.* (vide Bullam 53. in *Bullar. t. 4. ibi §. 46.*) cum infirmi sibi constant, et sui compotes sunt. Cæterum communiter docent DD. validè et licitè posse dari Extremam Unctionem statim ac prudenter judicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximæ: ita *Suar. t. 4. disp. 42. sect. 2. n. 4.* ubi ait: « Ut minimum requiritur, ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remotè. » Idem docet *Coninch. dub. 7. n. 24. Castrop. tr. 26. p. 6. n. 12. Bon. disp. 7. q. un. pun. 5. n. 7. Escob. de Extr. Unct. Prob. 30. n. 138. Holzm. eod. tit. n. 28. Sporer. n. 98. Salm. c. 4. n. 6.* et alii passim, cum Bened. XIV. de Synodo l. 8. c. 8. cap. 7. n. 2. et Honorato Tournely de *Extr. Unct.* qui adducit pro hac sententia duplex Concilium, Aquisgranense et Moguntinum. Id probatur 1. ex Concilio Florentino (t. 13. *Concil. p. 538.*) in decreto, ubi dicitur: « Subjectum hujus Sacramenti esse infirmum, de cujus morte timetur. » Probatur 2. ex *Trid. sess. 14. c. 3.* ubi habetur: « Hanc Unctionem infirmis adhibendam, iis verò præsertim qui in exitu vitæ constituti videantur. » Particula illa præsertim satis indicat posse Extremam Unctionem ministrari etiam infirmis, qui nondum videntur esse in exitu vitæ. Fortius demum probatur 3. ex citata Bulla 53 Bened. XIV, cit. §. 46. ubi scribitur: « Ne Sacramentum Extremæ Unctionis ministraretur benevolentibus, sed iis duntaxat qui gravi morbo laborant. » Hinc rectè ait *Castropalaus (l. c. n. 12.)*: « Quapropter censerem quoties viaticum infirmo ministratur, statim et ministrari Unctionem posse, et expedire; quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere. »

In dubio autem an infirmitas sit periculosa mortis, rectè aiunt *Castrop. ib. n. 13. et Laym. de Extr. Unct. c. 4. circa finem*: « Non posse Extremam Unctionem ministrari, tum quia præceptum est, ne aliis quàm de vita periclitantibus ministraretur. »

Secus verò si de tali periculo vera adsit probabilitas, sive prudens timor, ut communiter docent *Suar. Caspensis, Castrop. Escobar. et Holzm. n. 28. cum Scoto et Mastrio.*

715 — Dubit. 5. Quando hoc Sacramentum possit iterum ministrari eidem infirmo? Respondetur: Quando infirmitas non est diuturna, ad iterandum hoc Sacramentum requiritur, ut infirmus à priori infirmitate convaluerit, et in aliud simile vitæ discrimen incidit, ut docet *Trident. sess. 14. c. 3.* Quando verò infirmitates sunt diuturnæ, prout sunt hectica, et hydropisis, tunc S. Carolus Borromæus l. c. sic instruit: « Si ob mortem impendentem quis unctus fuerit et evaserit; deinde ex eodem morbo in aliud simile periculum mortis rursus incidit, rursus ungi debet. » Idem docuit *D. Th. in 4. dist. 23. qu. 2. art. 4. qu. 2.* Idem præcepit *Rituale Rom.* dicens: « in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit. » Unde adverte, quòd in morbo diuturno, si infirmus post unctionem certè manserit in eodem periculo mortis, non poterit rursus ungi. Secus verò ait *N. SS. P. Ben. XIV.* (de nobis optimè meritis) de *Synodo l. 8. c. 8. n. 4.* si dubitetur an revera morbi status mutatus sit; tunc enim dicit expedire ad Sacramenti iterationem propendere, eo quòd hæc sit uniformior veteri Ecclesiæ consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obvenerit. Hoc tamen intelligendum de dubio positivo, nempe quando probabile sit infirmum jam exiisse à periculo mortis; nam alias in mero dubio negativo servandum est præscriptum Tridentini, ubi dicitur posse Sacramentum iterari, si infirmi convaluerint; quod revera non potest verificari, nisi saltem probabiliter à periculo exierint. Unde dicit *Ronc. q. 7. R. 2.* non sufficere infirmum per quatuor vel quinque dies ita se melius habuisse, ut videatur mortis periculum evasisse; secus si per notabile tempus, ut dicunt *Wigandt n. 111. et Sporer. n. 111.* cum *Suar. Con. Reg. etc.* putà per mensem, ut aiunt *Bon. p. 6. n. 4. et Viva art. 3. n. 5.* cum *Trull.*

716. — « 6. Ad Sacramentum hoc cum fructu recipiendum, in eo, qui rationis est compos, et conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata; nempe sufficit attritio. *Bonac. d. 7. q. un. p. 5. n. 2. ex Reg. l. 28. cap. ult. art. 73.* (Vide dicta n. 86. et antea n. 33.) Ordinariè autem, nisi obstat causa rationabilis (v. gr. si ob vomitum communicare non possit), præmittenda est confessio et communicatio ob Ecclesiæ consuetudinem, quæ unctionem tanquam minus necessariam ad salutem, postponit. Vid. *Bon. l. c. n. 13.* (in *Rit. Rom. sic habetur*: Ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur. *Suscipere autem Extremam Unctionem ante Viaticum, aut nullum erit peccatum, aut vix veniale, ut dicunt Suar. d. 44. sect. 1. n. 2 et Croix n. 2120. nec improbat*



» *Bened. XIV, de Syn. l. 8. cap. 8. n. 2. quia consuetudo præmit-*  
 » *tendi Viaticum non est recepta saltem sub gravi obligatione.* »  
 » Licet autem, per se loquendo, confessio non necessariò præ-  
 » mittatur, cum per contritionem se disponere possit, per acci-  
 » dens tamen requiri potest, v. g. si post viaticum peccasset  
 » mortaliter, et timeretur post unctionem defuturum tempus  
 » confessioni: tunc enim prius audiendus et absolvendus esset,  
 » quia sacramenta magis necessaria tali casu prius sumenda sunt.  
 » *Fill. Barbos. Dian. p. 5. t. 3. R. 92.*

717. — « 7. Pueris habentibus sufficientem rationis usum ad  
 » peccandum, tametsi sacram Eucharistiam non accipiant, non  
 » rectè negatur Extrema Unctio, cum inde nonnunquam salus  
 » ipsorum dependere possit. *Suar. 3. p. t. 3. d. 70. sect. 1. Graff.*  
 » *Angl. Zamb. apud Laym. l. 5. t. 8. c. 4. n. 2. qui Parochos*  
 » *quorundam locorum excusat per consuetudinem toleratam ab*  
 » *Episcopis, si non dent pueris ante an. 14 vel 15, excepto casu*  
 » *necessitatis, quo puer, quem rationis usum consecutum esse*  
 » *constet, aliud Sacramentum ante mortem suscipere non possit.*  
 » *Vide Chapeauill. c. 5. q. 17. Ac licet Parochus in Confessione*  
 » *cognoverit, puerum nunquam actualiter peccasse, debere tamen*  
 » *illum inungere, contra Nug. et Sanch. docent Suar. Reg. Fill.*  
 » *Conc. etc. cum Dian. p. 3. t. 4. R. 181. Si verò dubium sit, an*  
 » *puer usum rationis habeat, unguendus est sub conditione. Dian.*  
 » *p. 9. t. 3. R. 85. et Sanch. Zamb. et Card. de Lugo.* »

718. — Dubitatur 1. An infantes sint capaces hujus Sacra-  
 » menti? Prima sententia affirmat, quam tenent *Major, et Posseo.*  
 » *apud Escob. l. 22. n. 109. Ratio quia hoc Sacramentum non*  
 » *solum datur ad delenda peccata actualia, sed etiam ad tollendas*  
 » *reliquias peccati originalis, ad recuperandam sanitatem, ac ad*  
 » *augmentum gratiæ acquirendum. Secunda verò sententia com-*  
 » *munis et vera negat, et hanc tenent S. Th. suppl. qu. 32.*  
 » *art. 4. Bellar. de Extr. Unct. c. 9. Suar. d. 42. sect. 1. n. 3. Pal.*  
 » *p. 6. n. 3. Laym. c. 4. n. 2. Bonac. p. 5. n. 1. Spor. num. 94.*  
 » *Holem. num. 26. et Escob. cum Soto, Nav. Tol. Fill. Reg. etc. ex*  
 » *Rituale Rom. ubi: « Debet autem hoc Sacramentum infirmis*  
 » *præberi, qui ad usum rationis pervenerint. » Ratio, quia (ut*  
 » *ait D. Thomas) « pueris non compellit forma hujus Sacra-*  
 » *menti, eo quod non peccaverunt per visum et auditum, ut in*  
 » *forma exprimitur. » Ad rationem autem oppositam respondet*  
 » *idem S. Doctor, quod Extrema Unctio non datur ad reliquias*  
 » *peccati originalis, sed actualis auferendas. Quoad autem effec-*  
 » *tum sanitatis, respondetur, quod cum hic sit effectus tantum se-*  
 » *cundarius hujus Sacramenti, ipse cessat cessante primario.*  
 » *Quoad augmentum verò gratiæ, cum hoc non detur nisi ut con-*  
 » *junctum proprio effectui Sacramenti, quando subjectum non est*  
 » *capax effectus proprii, neque est capax augmenti. Neque obstat,*  
 » *quod olim (ut asserunt Maldonat. et Cornel. à Lap.) infantes*  
 » *ungebantur oleo infirmorum; nam respondet Papa Benedictus*  
 » *XIV, de Synod. l. 8. c. 6. n. 2. quod fortè, si ungebantur, tunc*

unctio illa potius erat benedictio sacramentalis, ut dictum est de  
 » unctio Græcorum n. 713.

719. — Dubitatur 2. An hoc Sacramentum conferri possit  
 » pueris, de quorum usu rationis dubium vertit? Prima sententia  
 » negat, et hanc tenent *Sotus, Aureol. et Zambran apud Escob.*  
 » *n. 112. quia si verè puer usu rationis caret, frustratur Sacramen-*  
 » *tum, et cum hoc non sit necessarium ad salutem, non debet tali*  
 » *periculo exponi. Secunda sententia affirmat, quam tenent Spor.*  
 » *n. 94. et Oroix n. 2111. cum Raynaud. Schild. etc. qui dicunt in*  
 » *dubio pueros absolutè unguendos esse, quia saltem sunt capaces*  
 » *effectus sanitatis corporis. Tertia verò sententia probabilior,*  
 » *quam (præter Dian. Sancium, et Lugo ap. Bus.) tenent Renzi*  
 » *de E. U. c. 2. q. 3. et Esc. n. 114. cum Dic. et Leand. dicit tales*  
 » *pueros unguendos esse sub conditione, quia per conditionem jam*  
 » *salvatur reverentia Sacramenti, et aliunde justa assistit causa*  
 » *illud ministrandi sub conditione, ne priverent pueri fructu*  
 » *tam salutari hujus Sacramenti, juxta dicta n. 718.*

720. — Dubit. 3. An possit dari Extrema Unctio puero qui  
 » jam sit doli capax, sed non adhuc sit capax Communionis? Prima  
 » sententia negat, quam tenent *Sotus, Aureol. Vivald. Nald. etc.*  
 » *apud Escob. n. 115. cum quadam Synodo Hispalensi et videtur*  
 » *favere D. Th. suppl. q. 32. a. 4. ubi dicit: « Sicut Eucharistia non*  
 » *debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum. » Ratio tum quia*  
 » *hoc fert communis Ecclesiæ consuetudo, tum quia indecens vide-*  
 » *tur hoc Sacramentum dari puero, qui in illo statu vix potest*  
 » *instrui de illius effectu. Secunda verò sententia communior et*  
 » *probabilior affirmat, eamque tenent Laym. c. 4. n. 2. Sporer*  
 » *n. 94. cum Nav. Suar. Aversa, etc. et Escob. n. 107. cum Sa,*  
 » *Val. Angl. Durand. Sancio, et Zambr. Et idem docet Papa*  
 » *Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 6. n. 2. qui dicit minimè appro-*  
 » *bandam esse quamdam Synodum, in qua statutum fuerat non*  
 » *dandum hoc Sacramentum pueris, qui non communicarunt; e-*  
 » *approbat quod tradit Rituale Argentinense, nempe non dene-*  
 » *gandam Extremam Unctionem pueris septennibus, ac iis, à*  
 » *quibus malitia supplet ætatem, etsi ad septennium non perve-*  
 » *nerint. Nec obstat textus allatus D. Thomæ; nam ibi (ut ait*  
 » *ad 2.) ab hoc Sacramento excludit tantum pueros impotes*  
 » *rationis, qui immunes sunt à peccatis actualibus.*

721. — Dubit. 4. An possit dari Extrema Unctio infirmo  
 » adulto statim post Baptismum? Negat *Sanctius ap. Escob.*  
 » *n. 121. quia huic per Baptismum omnes reliquæ peccatorum*  
 » *jam fuerunt abstersæ, sed communiter et rectè allirnant Laym.*  
 » *c. 8. n. 3. Suar. d. 42. sect. 3. num. 9. Renzi c. 2. q. 2. Diana*  
 » *p. 5. tr. 3. R. 82. cum Vega, Led. Sylvest. Fill. Palud.*  
 » *Hurt. etc. ac Escob. n. 123. cum Molf. Prop. et Naldo. Ratio,*  
 » *tum quia verius per Baptismum non absterguntur reliquæ cul-*  
 » *parum actualium commissarum ante Baptismum, prout sunt*  
 » *torpor ad bonum, ac pronitas ad malum; tum quia primarius*  
 » *effectus hujus Sacramenti non tam est remissio culparum, quam*

corroboratio infirmi contra Dæmonis tentationes, ut dicunt *Suar. d. 41. sect. 1. n. 1. Laym. c. 5. n. 2. Pal. p. 5. n. 5. Mazz. p. 221. et alii*; idque inferunt ex verbis Apostoli: *Alleviabit eum Dominus.*

722. — « 8. Minister est solus Sacerdos proprius sive Pastor: sine cuius venia, si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat. *Sylo. Sot. Conc. d. 9. n. 28. (Est commune, ut Suar. Pal. Bonac. etc. Salm. c. 5. n. 3. An autem quois Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ob consensum probabiliter præsumptum Parochi, vel ejus ratihibitionem? Negat Vioa de Suar. qu. 6. a. 2. n. 3. cum Laym. Dian. etc. Sed probabiliter affirmant Palaus p. 7. n. 4. cum Val. et Sa., ac Salm. c. 5. n. 4. cum Bon. et Dic. Vide dicta de Euch. n. 235.)* et Religiosus incurrit excommunicationem Papalem. *Suarez Reg. l. 18. n. 40. (Ex Clementina 1. de Privileg. §. 1.)* Posse tamen Regulares hoc Sacramentum, uti et Viaticum in articulo mortis suis familiaribus ministrare, docet *Dian. p. 5. t. 3. R. 52. ex Marchino, etc. (De hoc adest Bulla ap. Spor. n. 81. quæ incipit, Immarcescibilem, edita anno 1567 ubi S. Pius V concessit Theatinis conferre Extremam Unionem non solum Fratribus et Clericis ipsius Congregationis, sed etiam mercenariis, operariis, serois, ac famulis ejusdem Congregationis, ac quibusvis hospitibus etiam secularibus et extraneis, quos in locis vel habitationibus dictæ Congreg. tunc reperiri contigerit in mortis articulo, et quoties de illo dubitari contigerit, etiam licentia minime petita, nec obtenta parochorum. Item Sixtus IV (ap. Pitton. de Conf. n. 78.) concessit Regularibus dare Eucharistiam et Extremam Unionem suis penitentibus, si Parochus injuste ea negaverit, vel malitiose distulerit.)*

723. — « In necessitate verò, ut si Pastor absit, vel dare nolit, nec Superior possit adiri pro petenda licentia, licitè ministrat quivis non excommunicatus, aut suspensus, etiam Regularis, ut contra Gavant. docent *Præpos. Henriq. Fern. Gran. Dian. p. 4. t. 3. R. 82. censetur enim tunc Papa dare licentiam. Laym. Reg. Suar. etc. loc. cit. Dian. R. 176. (Ita etiam communitur Suar. d. 44. sect. 3. n. 3. Bon. p. 4. n. 6. Salm. c. 5. n. 5. Conc. p. 17. n. 3. Holzm. n. 20. Elbel n. 43. Fill. n. 90. Escob. n. 192. Pal. p. 7. n. 5. cum Val. Con. etc.; item Ben. XIV, de Syn. l. 8. c. 4. n. 7. cum Tourn. Juenin, Nat. ab Alex. (contra Sylo. Arm. et Vivald. ap. Escob. n. 160.) Et idem docuit S. Carolus Borrom. Act. Med. p. 4. ubi concessit cuilibet Sacerdoti dare hoc Sacramentum, deficiente Parocho. An autem Pastor excommunicatus possit Extremam Unionem ministrare? Affirmant *Posseo. Dian. Victorell. et Leand. ap. Escob. num. 163. ac probabile putant ibid. Fill. et Vill. Sed probabilius negant Suar. d. 44. sect. 3. n. 6. Bon. p. 4. n. 4. cum Henr. et Escob. n. 165. qui secus ait de Pastore suspenso: et quidem probabiliter, si alius desit.)**

724. — « 9. Sufficit Sacerdos sine ministro, in necessitate, nec

in ea scemina adhibenda est: quòd si tamen fiat, veniale esse docet *Quint. t. 5. sect. 6. (Prout etiam dicit Escob. num. 211. Ministrare autem sine Ministro, nullum esse peccatum, etiam remota necessitate, dicunt Bon. p. 6. n. 6. et Escob. n. 208. cum Host. et Poss. etc. Sed probabilius non excusat à veniali Dian. p. 9. t. 6. R. 46. Tol. l. 7. c. 2. et Graf. Dic. ap. Escob. n. 106. ex Rituali Rom. ubi dicitur: Convocatis Clericis, saltem uno, etc.)* In ea posset etiam unus unctum, alius aliam partem inungere, pronuncians tamen formam illi unctioni respondentem. *Bon. l. c. etc. commun. (Ita etiam Salm. c. 4. n. 6. cum communi, Suar. d. 43. sect. 2. n. 4. Pal. p. 7. n. 7. cum Con. et Spor. n. 82. Hoc tamen intelligendum cum AA. citatis, licere in solo casu necessitatis, scil. si timetur infirmus decessurus, aliàs esset mortale; quia contra usum Ecclesiæ, ut rectè aduertit Bon. p. 4. n. 8. cum communi. Certum est autem sufficere unum Sacerdotem ad ministrandum hoc Sacramentum, ut docet D. Th. et alii comm. ap. Croix n. 2100. et patet ex c. Quæsiot. de Verb. sign. ubi: Sacerdos uno præsentate Clerico, et etiam solus potest infirmum ungere. Græci autem adhibent septem Sacerdotes (ut ait Arc. sed Bened. XIII concessit eis an. 1724 posse ungere unum, si 7 vel 3 haberi non possint.)* Non tamen potest unus inungere aliquem sensum, et alius formam pronunciare (ut etiam *Salm. c. 5. n. 6. cum Dic. et communi*) neque unus unum oculum, et alter alterum. *Vid. Dian. p. 9. t. 7. R. 56. Quòd si Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant. Tan. Præp. Merat. qui apud Dian. p. 5. t. 3. R. 87. notat licere etiam alteri unctiones ab initio repetere perinde ac si prior nullam earum inchoasset. (Sed melius: Quando Sacerdos inter unctiones deficit, si statim unctus eas suppleat, non sunt iterandæ prius factæ, ut Bon. p. 4. n. 9. cum D. Th. Poss. Fill. Molf. et S. Carolo Borrom. Act. Med. p. 4. Secus si unctiones ab alio suppleantur post aliquam notabilem moram (putà post quadrantem); tunc enim omnes unctiones sub conditione repeti debent; ita rectè ait Croix, cum Aversa, Merat. et Nunno.)*

725. — Dubit. hinc, an Sacerdos incurrat irregularitatem, si ægròtus decedat, dum Sacerdos curat eum revolvì ad inungendum? Rectè negant *Bon. p. 4. n. 10. cum Posseo. Soto. etc.* et huic congruit id quod dicunt *Salm. de Censur. c. 8. num. 33. cum Corneio, ex cod. Bon. de Irreg. d. 7. q. 4. p. 7. num. 12. cum Suar. Ugol. et communi, nempe quòd irregularitas non incurrat nisi per delictum, à quo est immunis qui officium caritatis exercet.*

726. — « 10. Etsi in administratione hujus Sacramenti servanda sint omnia præscripta in Rituali, Agenda, vel Manuali; mortale tamen non esse administrare in necessitate sine superpelliceo, vel stola, docent *Quint. et Leand. conceditque Amic. Et Dian. p. 8. t. 1. R. 79. id excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti, et ista haberi non possint, contra Suar. Regin. etc.*

Quæritur an peccet mortaliter Sacerdos, ministrando Extremam Unctionem sine vestibus præscriptis, nempe superpelliceo, et stola? Si non urgeat necessitas, certum est graviter peccare; dubium est, quando urget necessitas. *Prima* sententia affirmat; et hanc tenent *Suar. d. 44. sect. 2. n. 7. Pal. p. 8. n. 11. Spor. n. 120. Elbel n. 46. et Bon. p. 6. n. 9. cum Naldo et aliis*; quia reverentia Sacramenti præferenda est cuilibet utilitati privatae. *Secunda* verò sententia etiam probabilis negat, et hanc tenent *Croix num. 2116. Diana p. 9. t. 6. R. 46. cum Leand. et Escob. n. 220. cum Posseo. et Quintanad. casu quo vestes deessent, et infirmus decederet sine Sacramento, quia, licet Sacramentum hoc non sit necessarium, est tamen valde utile; unde non præsumitur Christus, qui illud instituit ad subsidium infirmorum in ultimo agone pugnantium, voluisse eos, ne vestes omittantur, tanto bono privari. Vide dicta in simili casu de Euchar. n. 241. v. Ministrari.*

727. — « Imò etiam extra necessitatem non esse mortale. 1. » Omittere Psalmos pœnitentiales, Litanias, et cæteras preces, » docent *Pal. et Gran. Dico extra*, quia in necessitate gravi, v. » gr. tempore pestis, vel morte imminente, statim unguendum est » sine præmissis orationibus, quæ tamen postea supplendæ sunt » si supervivat infirmus. *Bon. d. 7. p. 6. n. 8.* »

Hic distinguendum: Omittere orationes in Rituali præscriptas, extra casum necessitatis, sine dubio est mortale, ut rectè dicunt *Tamb. de Sacr. l. 6. §. 4. n. 1. Pal. p. 8. n. 15. Elbel n. 46. ac Bonac. p. ult. n. 7. Dixi extra necessitatem*, nam si periculum mortis imminet infirmo, jam præscribit Ritualè, quòd infirmus citò ungetur, et deinde (si superotat) dicantur *Orationes prætermisæ*. Idem probabiliter dicunt *Salm. c. 5. num. 12. cum Palao. Suarez. Dicast.*, et communi, si Sacerdoti imminet periculum contagii. Omittere autem Psalmos pœnitentiales, et Litanias, dicunt *Bon. l. c. Pal. p. 8. n. 14. et Escob. n. 217.* non esse peccatum mortale, et *Elbel n. 46.* expressè dicit esse veniale. Sed probabilius puto cum *Tamb. præfatas preces esse tantum de consilio, dum nullibi habetur de ipsis præceptum. In Rituali de eis sic tantum dicitur: « Dum infirmi sacro liniuntur oleo, dicuntur flexis genibus ab adstantibus. »*

728. — « 2. Deferre ad ægrum, vel administrare sine lumine. » *Leand. citans Posseo. Quintanad. l. 5. sect. 13. Barbos. de Offic. Paroch. c. 22.* » (Ita etiam *Dian. p. 9. tr. 6. R. 46. et Escob. n. 214. probabiliter dicunt esse tantum veniale.*) » 3. Si solus sine ministro administret: imò hoc in necessitate permittunt » *Tol. Sa. etc. Vid. Dian. p. 9. tr. 6. R. 36. (vide dicta n. 724.)* » 4. Si ungetur aliter quàm in formam crucis: *Suar. Bec. Laym. Vid. Dian. p. 3. tract. 4. res. 178.* » (Commune est esse tantum » veniale omittere signum Crucis inter unguendum; ita *Laym. c. 3. in fine, Suar. de 40. sect. 2. n. 3. Pal. p. 3. n. 2. Bon. p. 2. in fine, Viva art. 1. n. 3. Holzm. n. 12. Salm. c. 2. n. 14. et Escob. n. 90. cum Con. et Zambr. Imò Escob. putat nec etiam esse veniale:*

» *sed huic non consentio, nisi necessitas urgeat. Hic etiam aduertendum id quod præscribit Ritualè, videlicet: « Si alius Presbyter, vel Diaconus haberi possit, qui oleum sanctum deferat, per ipsum deferatur: qui superpelliceo indutus cum oleo sacro occultè delato sequatur Sacerdotem viaticum portantem, et postquam infirmus viaticum sumpserit, inungatur à Sacerdote. Præterea Laym. et Tamb. ap. Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 6. n. 5. (quibus ipse adhæret) permittunt Sacerdoti interrumpere Missam ad dandam Extremam Unctionem, si infirmo nullum aliud Sacramentum conferri potest: quia si ille est sufficienter attritus, primam gratiam obtinere potest. »*

729. — « 11. Pastor ratione officii tenetur sub mortali dare iis qui petunt, nisi juxta causa excuset: etiam tempore pestis, modò possit absque periculo vitæ; cum eo enim non teneri docent *Tann. Dian. p. 5. tr. 3. res. 93.* Si peste infecti sint confessi, » posse sine peccato omitti absolutè, docet idem *Dian. p. 3. tr. 4. R. 174. et p. 5. tr. 3. res. 83 et 93. et p. 8. tr. 1. res. 21. ex Villal. Tann. Amic. Franc. Lugo. etc. Suar. Fill. Con. Bon. Laym. ll. cc.* » (Regulariter igitur non tenetur Pastor cum periculo vitæ dare hoc Sacramentum, nisi infirmus à longo tempore sit confessus, et verisimiliter censeatur esse in mortali; ita communiter *Suar. d. 44. sect. 3. n. 20. Conc. p. 17. n. 4. Pal. p. 8. n. 5. Holzm. n. 21. Spor. n. 86. et alii passim. Salm. verò dicunt, nisi Parochus certè sciat ægrotum esse in mortali: sed melius alii dicunt, nisi probabilius id sciat, juxta dicta n. 624.) »*

« 12. Sacerdos curatus peccat mortaliter, si petentem negligat inungere, vel differat cum probabili periculo ne sine unctione moriatur æger, nisi justa causa excuset, quia in re gravi non præstat id ad quod tenetur ex justitia. » (Ita comm. *Salm. c. 5. num. 7. et Viva art. 2. n. 4.*) » Alius verò Sacerdos, si, absente Parocho, licitè et facile possit, tenetur ex caritate, sed sub veniali tantum. » (Ita etiam communiter *Laym. c. 7. n. 3. Pal. p. 8. n. 6. Spor. num. 85. cum Mastr. et Salm. c. 5. n. 9. cum Diana, Aversa, qui putat teneri sub gravi.*) » Nisi tamen ægrotus valde indigeret; v. g. si aliqui sine omnibus sacramentis esset moriturus, quòd aliud nullum suscipere posset; tunc enim quidam graviolem obligationem agnoscere videntur. » *Vid. Dian. p. 3. tr. 4. R. 170. Laym. l. 5. t. 8. c. 7. n. 3.* » (Ita pariter cum communi *Salm. d. n. 9. contra Hurt. ap. Viva n. 4.*) »

730. — « 13. Parocho vesperi timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, non licet retinere domi sacrum oleum, ut vocatus possit venire expeditius, licet venialem culpam in eo tantum agnoscat *Barbos. de Par. c. 22. ex Possev.* » (Ita etiam *Escob. n. 226.* si Parochus oleum servet, ut commodius illud deferat ad infirmum. Sed probabiliter dicit *Croix n. 2114 cum Arriaga et Gob.* in hoc non peccare Parochum, si crederet noctu se vocandum; et periculum foret ne vocatus, seriò veniret.) »

» item *Quintan. tr. 5. l. 10.* ubi tamen à mortali non audeat excusare eum, qui semper domi retineret. ( *cum Escob. d. n. 226.* )

« 14. Decens est ut stупpa comburatur, quia ad singulas unctioes nova adhibenda est, nisi aliud habeatur in Agenda. *Laym. loc. cit. Sa.* ( *In Rituali sic habetur: Minister, si est in Sacris, vel ipse Sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacis vel rei similis, eaque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacratio.* )

751. — « Resp. 2. Effectus ejus principalis est, roborare animam contra tentationes dæmonis in morte. Secundarius est, 1. delere reliquias peccatorum, ( *seu partem juxta dispositionem suscipientis;* ) 2. tollere pœnas restantes ( *non verò omnes, ut D. Th. suppl. qu. 30. art. 1. Laym. c. 5. n. 3. Pal. p. 5. n. 9. et Salm. c. 3. n. 5.* ) 3. aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat. *S. Th. Sylo. Suar. d. 41. sect. 1.* ( *ut in Trid. sess. 14. c. 2. ubi: Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* )

Commune est inter DD. per hoc Sacramentum remitti peccata tam venialia quàm mortalia, si hæc infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem, qua auferatur obex peccati; ita *S. Th. suppl. q. 30. art. 1.* ubi ait: « Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut de Eucharistia, et Confirmatione supra dictum est. » Sequuntur S. Doctorem, *Bellarmin. de E. U. c. 8. Pal. p. 5. n. 4. Holzm. n. 36. Mazzotta t. 3. p. 221. Salm. c. 3. n. 2. cum Suar. Val. Laym. Coninch. Bon. etc. ac Croix n. 2119. cum Arcud. et Aversa,* contra aliquos. Idque clarè colligitur ex verbis D. Jacobi: *Et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Ac ex Trident. sess. 14. cap. 2. ubi: « Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. »

Utrum autem peccata mortalia huic infirmo remittantur per se, vel per accidens? Prima sententia, quam tenent *Gonet t. 6. p. 479. Petroc. t. 4. p. 198. Holzm. l. c. Spor. n. 104. Mazz. pag. 221. et Soto ap. Tourn. t. 9. p. 410. q. 1.* dicit remitti per accidens, quia, cum hoc sit Sacramentum vivorum, non potest nisi per accidens mortalia delere. Et huic sententiæ videtur favere *D. Th. l. c.* dicendo quòd hoc Sacramentum remittat peccata, sicut Eucharistia et Confirmatio, quæ certè per accidens remittunt. Secunda verò sententia probabilior et communior, quam tenent *Tourn. l. c. Merbes. q. 23. Habert. t. 6. p. 525. Salm. c. 3. n. 3. cum Suar. Pal. Con. Val. etc.* dicit Extremam Unctionem remittere mortalia per se, etsi consequenter. Ratio est, quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, tamen ex institutione divina peccata remittit, ut patet ex verbis Apostoli ut supra, et confirmatur ex *Trid. sess. 14. Can. 2. ubi: « Si quis dixerit sacram*

» infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos... , anathema sit. » Et improbabilius, ait *Bellarmin. cum D. Th.* et aliis communiter, aliquos nomine peccatorum intelligere sola venialia. In hoc autem differunt Baptismus et Pœnitentia ab Extrema Unctione, quia illa principaliter instituta sunt ad delendum peccatum actuale, vel originale; Extrema verò Unctio ( ut docet *D. Th.* ) principaliter est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, nempe debilitatem et ineptitudinem, quæ ex peccato actuali relinquuntur; sed quia, cum in anima reperitur peccatum, non possunt tolli reliquæ, nisi prius tollatur peccatum, ideo ex consequenti hoc Sacramentum peccatum auferit.

An autem principalis effectus hujus Sacramenti sit remissio peccatorum, saltem venialium? Affirmant *Holzm. n. 36. cum S. Bonav. Scoto,* et aliis Scotistis communiter; item *Navar. Vasq. Sa. et Major. ap. Escob. n. 170.* Sed alii communiter, et probabilius dicunt principalem effectum hujus Sacramenti esse remittere reliquias peccatorum ut supra, nam alii qui non haberet actualia peccata, non esset capax principalis effectus illius, quod est falsum. Ita *S. Th. l. c.* quem sequuntur *Gonet. p. 475. Pal. p. 5. n. 3.* cum communi, ut asserit, et *Escob. n. 170. cum Suar. Soto, Palud. Filluc. etc.*

752. — I. « Hujus Sacramenti non sunt capaces, 1. Pueri ante usum rationis, etsi sufficiat ea ætas qua possunt peccare. *Navar. Suar. l. c. 2.* Perpetuo amentes; aliis verò delirantibus, si ante petiverint, aut petitori fuissent si cogitassent, aut ostenderint signum doloris, dari potest, et debet. *Syloest. Henr. Laym.* ( *Etsi habetur in Rituali ubi dicitur: Infirmis autem, qui dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verosimiliter petissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent aut non sentiant, nihilominus præbeatur. Amentes autem bene ungi possunt, si habent lucidum intervallum, ut D. Th. q. 32. art. 9.* In dubio autem, an æger habuerit unquam usum rationis, etiam ungendus est ( *intellige sub conditione* ) ut rectè ait *Croix n. 2111. cum Rayn. Dian. Avers. etc.* Et sic dicendum de ebriis deficientibus, nisi consentent esse in mortali, ut *Croix n. 2110. cum Gob. et Lohn. ex Rituali, ubi: Impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis penitus (Sacramentum) denegatur. Possunt etiam ungi (ait Croix d. n. 2110. cum Con. Tamb. et Lohn.) vulnerati in rixa, quia præsumuntur se conteri in illo extremo statu. Tempore autem interdicti vetitum est ministrari hoc Sacramentum, ex c. Quod in te, de pœn. et remiss. ) Et si tales unctioe resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos, ait *Tamb. ap. Dian. p. 5. tr. 3. res. 84.* qui cum *Barbos. de Offic. Paroch. c. 22.* dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud Sacramentum suscipere. ( *Et huic congruit id quod addit Rit. dicens: Si infirmus dum**

» phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam  
 » facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi pe-  
 » riculum tollatur omnino. )  
 » 3. Mti, surdi, et cæci à nativitate sunt capaces, atque adeo  
 » debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: etsi exte-  
 » rius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per inte-  
 » riores potentias, quibus illa respondent. *Passer. Nald. Præ-*  
 » *pos. Dian. p. 5. t. 6. R. 11.* ( *Ita etiam S. Th. qu. 32. art. 7* )  
 » *et Salmant. cum. communi ( contra Croix n. 1875. cum Gob. etc.,*  
 » *et idem docuit S. Carolus Borromæus Act. Med. p. 4. )* ◦

753. — « 4. Non suscipere hoc Sacramentum, per se loquendo,  
 » seclusoque scandalo et contemptu, non est peccatum mortale.  
 » Ita *Suar. Laym. Tan. Escob. etc.* ( multò minùs peccant mor-  
 » taliter domestici, si id non procurant. ) Veniale tamen esse  
 » docent *Con. d. 19. dub. 20. contra Nugnum. Vid. Dian. p. 3.*  
 » *t. 4. R. 170. et p. 8. t. 1. R. 58. et p. 5. t. 3. R. 97. ubi notat*  
 » *ex Tam. non censerì contemnere, qui sciens prudens omittit*  
 » *tempore apto, et oblata commoditate. Contrarium tamen vult*  
 » *Tol. præsertim, si probabiliter deinceps non sit futura com-*  
 » *moditas. »*

Quæritur, an sit obligatio sub gravi suscipiendi hoc Sacra-  
 mentum? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Conc. p. 20.*  
*n. 7. Merbes. p. 260. q. 10. Habert. t. 6. p. 541. Ronc. p. 122.*  
*q. 7. item S. Bonav. et P. Soto apud Escob. n. 55. Diversa tamen*  
 hi AA. ratione utuntur; *Ronc.* quia videtur talis infirmus gra-  
 viter delinquere contra caritatem sui ipsius. Alii verò, quia verba  
 Apostoli, *Inducat Presbyteros*, præceptum inducunt. *Secunda*  
 verò sententia communis ( ut fatetur ipse *Merbesius* ) et satis  
 probabilis, negat, eamque tenent *Suar. dist. 42. sect. 1. n. 2.*  
*Nap. c. 22. n. 16. Bon. part. 5. n. 10. Holzm. n. 31. Viva art. 2.*  
*n. 4. Croix. n. 2113. Spor. n. 106. Elbel. n. 51. Pal. part. 8. n. 1.*  
*cum Palud. Coo. et Dom. Soto, Escob. n. 56. cum Caj. Syloest.*  
*Vict. Arm. et Gabr. ac Salm. c. 4. n. 10. cum Gon. Sa. Val. et*  
*Henr.; item Estius, Syloius, et Sambo. ap. Habert. l. c. ex D.*  
*Th. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1. ubi ait Sacramenta tam*  
 Confirmationis, quam Extremæ Uctionis, non esse de necessitate  
 salutis. Ratio, quia talis obligatio non habetur neque ex vi insti-  
 tutionis hujus Sacramenti, cum non sit necessarium ad salu-  
 tem, sed tantum utile, et ad melius esse; neque ex præcepto  
 divino, cum communiter Theologi verba Apostoli non inter-  
 prentur de præcepto, sed de consilio. Unde, cum hoc Sacra-  
 mentum sit tantum ad majorem utilitatem institutum, non  
 videtur caritas erga seipsum ad illud obligare sub gravi; caritas  
 enim non obligat sub gravi præcepto ad id quod melius est. Hoc  
 tamen non obstante, prima sententia etiam probabilis, et omnino  
 suadenda mihi apparet, non tam ratione præcepti, quia de eo  
 saltem non constat, quam ratione caritatis erga seipsum; nam  
 licet moribundus possit aliis præsidii se roborare, tamen in tali  
 statu constitutus ex una parte cum magna difficultate ad bonos

actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriæ  
 tunc sunt debiliores; et ex altera vehementiores sunt ( ut ait Tri-  
 dentinum ) Dæmonis insidiæ; unde ingenti periculo se exponere  
 videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc  
 Sacramento à Christo Domino instituto, tanquam firmissimo præ-  
 sidio in tanto conflictu.

Omnes tamen conveniunt, quòd per accidens posset infirmus  
 peccare mortaliter, omittendo suscipere hoc Sacramentum,  
 scilicet primò, si omitteret habens conscientiam peccati mortalis,  
 et non posset aliud Sacramentum recipere; ita communiter *Pa-*  
*laus p. 8. num. 3. et Salm. cap. 4. n. 13. cum Suar. Acersa, et*  
*aliis passim; sed bene aiunt Suar. et Palauis, hunc casum vix*  
*accidere posse. Secundò, si omittendo, scandalum daret, putà*  
*si ratione circumstantiarum inducerentur alii ad suspicandum*  
*quòd ipse sit hæreticus, vel ad nihili faciendum hoc Sacramen-*  
*tum; ita Salm. n. 12. Holzm. n. 31. et Pal. n. 3. cum Suar. Sa,*  
*Con. Laym. Bon. et communi. Tertiò, ratione contemptus, ut*  
*communiter DD. præfati, et patet ex Trident. Sess. 14. cap. 3.*  
*in fine, ubi: « Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque*  
*» ingenti scelere esse potest. » Utrum autem qui sciens et volens*  
*negligit hoc Sacramentum suscipere, dicatur contemnere? Affir-*  
*mant Merbesius, et alii. Sed negant communiùs et probabilius*  
*Suarez, n. 6. Salm. n. 11. Pal. n. 2. cum Sa, etc. quia is tantum*  
*dicatur contemnere, qui illud negligit, quia parvi facit: non verò*  
*qui non vult suscipere ob aliquam repugnantiam, vel quia putat*  
*non esse in præcepto. Et huic congruit id quod dixit Martinus V*  
*in Bulla Constantiæ edita ( ut refert Merbes. d. q. 10. ) ubi:*  
*« Hoc Sacramentum ( nempe Extremæ Uctionis ) neque negligi*  
*» sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali. » Unde*  
*videtur Pontifex satis expressisse, quòd contemptus hujus Sacra-*  
*menti gravem quidem importet culpam, negligentia verò non*  
*plus quam levem. Vide dicta de Sacram. Confirm. num. 182. quæ*  
*huic Sacramento etiam congruunt.*

## CAPUT II.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

## DUBIUM I.

Quid sit Ordo, quotuplex, et quæ ejus materia.

754. Quid est Sacramentum Ordinis, et quot sunt Ordines? Et an  
 prima Tonsura sit Ordo?—755. Quid sit Ordinatio, et quid Ordo?  
 Et quanam sint effectus Ordinis? Definitio cujusvis Ordinis.—756.  
 An singuli septem Ordines sint Sacramenta?—757. Sententia Auc-  
 toris.—758. An Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio?—759.  
 Quæ sit materia remota, et quæ proxima hujus Sacramenti?—740.  
 Dub. 1. An materia et forma Ordinis sint à Christo in specie deter-  
 minatæ? ( Remiss. ad n. 12. de Sacram. )—741. Dub. 2. An valide

» phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam  
 » facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi pe-  
 » riculum tollatur omnino. »  
 » 3. Muti, surdi, et cæci à nativitate sunt capaces, atque adeo  
 » debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: etsi exte-  
 » rius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per inte-  
 » riores potentias, quibus illa respondent. *Passer. Nald. Præ-*  
 » *pos. Dian. p. 5. t. 6. R. 11.* » (Ita etiam *S. Th. qu. 32. art. 7*)  
 » et *Salmant. cum. communi* (contra *Croix n. 1875. cum Gob. etc.*,  
 » et idem docuit *S. Carolus Borromæus Act. Med. p. 4.*) »

753. — « 4. Non suscipere hoc Sacramentum, per se loquendo,  
 » seclusoque scandalo et contemptu, non est peccatum mortale.  
 » Ita *Suar. Laym. Tan. Escob. etc.* (multò minùs peccant mor-  
 » taliter domestici, si id non procurant.) Veniale tamen esse  
 » docent *Con. d. 19. dub. 20. contra Nugnum. Vid. Dian. p. 3.*  
 » *t. 4. R. 170. et p. 8. t. 1. R. 58. et p. 5. t. 3. R. 97.* ubi notat  
 » ex *Tann.* non censerì contemnere, qui sciens prudens omittit  
 » tempore apto, et oblata commoditate. Contrarium tamen vult  
 » *Tol. præsertim*, si probabiliter deinceps non sit futura com-  
 » moditas. »

Quæritur, an sit obligatio sub gravi suscipiendi hoc Sacra-  
 mentum? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Conc. p. 20.*  
*n. 7. Merbes. p. 260. q. 10. Habert t. 6. p. 541. Ronc. p. 122.*  
*q. 7. item S. Bonav. et P. Soto apud Escob. n. 55.* Diversa tamen  
 hi AA. ratione utuntur; *Ronc.* quia videtur talis infirmus gra-  
 viter delinquere contra caritatem sui ipsius. Alii verò, quia verba  
 Apostoli, *Inducat Presbyteros*, præceptum inducunt. *Secunda*  
 verò sententia communis (ut fatetur ipse *Merbesius*) et satis  
 probabilis, negat, eamque tenent *Suar. dist. 42. sect. 1. n. 2.*  
*Nap. c. 22. n. 16. Bon. part. 5. n. 10. Holzm. n. 31. Viva art. 2.*  
*n. 4. Croix. n. 2113. Spor. n. 106. Elbel. n. 51. Pal. part. 8. n. 1.*  
*cum Palud. Coo. et Dom. Soto, Escob. n. 56. cum Caj. Syloest.*  
*Vict. Arm. et Gabr. ac Salm. c. 4. n. 10. cum Gon. Sa. Val. et*  
*Henr.; item Estius, Syloius, et Sambo. ap. Habert. l. c. ex D.*  
*Th. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1.* ubi ait Sacramenta tam  
 Confirmationis, quam Extremæ Uctionis, non esse de necessitate  
 salutis. Ratio, quia talis obligatio non habetur neque ex vi insti-  
 tutionis hujus Sacramenti, cum non sit necessarium ad salu-  
 tem, sed tantum utile, et ad melius esse; neque ex præcepto  
 divino, cum communiter Theologi verba Apostoli non inter-  
 prentur de præcepto, sed de consilio. Unde, cum hoc Sacra-  
 mentum sit tantum ad majorem utilitatem institutum, non  
 videtur caritas erga seipsum ad illud obligare sub gravi; caritas  
 enim non obligat sub gravi præcepto ad id quod melius est. Hoc  
 tamen non obstante, prima sententia etiam probabilis, et omnino  
 suadenda mihi apparet, non tam ratione præcepti, quia de eo  
 saltem non constat, quam ratione caritatis erga seipsum; nam  
 licet moribundus possit aliis præsidii se roborare, tamen in tali  
 statu constitutus ex una parte cum magna difficultate ad bonos

actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriæ  
 tunc sunt debiliores; et ex altera vehementiores sunt (ut ait Tri-  
 dentinum) Dæmonis insidiæ; unde ingenti periculo se exponere  
 videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc  
 Sacramento à Christo Domino instituto, tanquam firmissimo præ-  
 sidio in tanto conflictu.

Omnes tamen conveniunt, quòd per accidens posset infirmus  
 peccare mortaliter, omittendo suscipere hoc Sacramentum,  
 scilicet primò, si omitteret habens conscientiam peccati mortalis,  
 et non posset aliud Sacramentum recipere; ita communiter *Pa-*  
*laus p. 8. num. 3. et Salm. cap. 4. n. 13. cum Suar. Acersa, et*  
*aliis passim;* sed bene aiunt *Suar. et Palauis*, hunc casum vix  
 accidere posse. Secundò, si omittendo, scandalum daret, putà  
 si ratione circumstantiarum inducerentur alii ad suspicandum  
 quòd ipse sit hæreticus, vel ad nihili faciendum hoc Sacramen-  
 tum; ita *Salm. n. 12. Holzm. n. 31. et Pal. n. 3. cum Suar. Sa,*  
*Con. Laym. Bon. et communi.* Tertiò, ratione contemptus, ut  
 communiter DD. præfati, et patet ex Trident. *Sess. 14. cap. 3.*  
*in fine*, ubi: « Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque  
 » ingenti scelere esse potest. » Utrum autem qui sciens et volens  
 negligit hoc Sacramentum suscipere, dicatur contemnere? Affir-  
 mant *Merbesius*, et alii. Sed negant communius et probabilius  
*Suarez, n. 6. Salm. n. 11. Pal. n. 2. cum Sa, etc.* quia is tantum  
 dicitur contemnere, qui illud negligit, quia parvi facit; non verò  
 qui non vult suscipere ob aliquam repugnantiam, vel quia putat  
 non esse in præcepto. Et huic congruit id quod dixit Martinus V  
 in Bulla Constantiæ edita (ut refert *Merbes. d. q. 10.*) ubi:  
 « Hoc Sacramentum (nempe Extremæ Uctionis) neque negligi  
 » sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali. » Unde  
 videtur Pontifex satis expressisse, quòd contemptus hujus Sacra-  
 menti gravem quidem importet culpam, negligentia verò non  
 plus quam levem. Vide dicta de Sacram. Confirm. num. 182. quæ  
 huic Sacramento etiam congruunt.

## CAPUT II.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

## DUBIUM I.

Quid sit Ordo, quotuplex, et quæ ejus materia.

754. Quid est Sacramentum Ordinis, et quot sunt Ordines? Et an  
 prima Tonsura sit Ordo?—755. Quid sit Ordinatio, et quid Ordo?  
 Et quanam sint effectus Ordinis? Definitio cujusvis Ordinis.—756.  
 An singuli septem Ordines sint Sacramenta?—757. Sententia Auc-  
 toris.—758. An Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio?—759.  
 Quæ sit materia remota, et quæ proxima hujus Sacramenti?—740.  
 Dub. 1. An materia et forma Ordinis sint à Christo in specie deter-  
 minatæ? (Remiss. ad n. 12. de Sacram.)—741. Dub. 2. An valide

ordinetur Latinus per materiam Græcis assignatam? — 742. Dub. 3. An requiratur contactus instrumentorum? — 743. Dub. 4. An contactus physicus. — 744. An ab eodem Episcopo debeat dici forma, et tradi materia? Et an ab eodem, qui confert Ordines, debeat Missa celebrari? — 745. De materia cujusque Ordinis. An materia Acolythatus sit traditio urceolorum, vel candelabri? — 746. Qu. I. Quæ sit materia et forma Subdiaconatus? Dub. 1. An sit calix cum patena, vel liber Epistolarum? — 747. Dub. 2. An calix et patena debeant esse consecrata? Et an peccet graviter Subdiaconus ministrando in mortali? Remissive ad num. 38. — 748. Qu. II. Quæ sit materia et forma Diaconatus? — 749. Qu. III. Quæ sit materia et forma Præbyteratus? — 750. Dub. 1. An requiratur ad valorem traditio utriusque speciei, nempe vini et hostiæ? — 751. Dub. 2. An valide ordinetur qui tangit hostiam, et non patenam? — 752. Dub. 3. An qui tangit calicem et patenam, sed non hostiam? — 753. Dub. 4. An qui tangit solum calicem, sed non patenam? — 754. Clericus exercens munus Ordinis majoris, quem non habet, incurrit irregularitatem. Quid si sit Laicus? (Remiss. ad n. 116.) — 755. De Ordinatione Episcoporum. Et an ad valorem requiratur trium Episcoporum assistentia? — 756. An Episcopus possit conferre primam Tonsuram extra suam Diocesim? — 757. Quid agendum in dubio an Ordo sit collatus? — 758. Quomodo supplendi sint defectus in Ordinatione commissi? — 759. Et an supplendi tempore statuto ad Ordinationes? — 760. Quinam Episcopus possit ordinare (Vide etiam infra à n. 769.) — 761. Quis sit minister Ordinis? — 762. Quæst. 1. An possit esse minister quisvis Sacerdos ex concessione Papæ? An etiam ad conferendum Presbyteratum? Et an ad conferendum Diaconatum, et Subdiaconatum? — 763. Qu. 2. An abbates possint conferre Tonsuram et Ordines, minores, aut Litteras dimissorias concedere subditis suis non religiosis? — 764. Dub. 1. An possint Ordines conferre suis novitiis. — 765. Et an novitii debeant ordinari ab Episcopo loci novitatus, etc. — 766. Dub. 2. An Abbates ordinantes non subditos, valide ordinant? — 767. An conferens Ordines minores in mortali, graviter peccet? — 768. A quo Episcopo ordinari debeant Regulares? — 769. Ordinationo secularium fieri debet à proprio Episc., alias, etc. — 770. Plura notanda ex Bulla Speculatores. — 771. Quid, si quis in una Diocesi habeat originem, in alia domicilium, et in alia Beneficium? — 772. Quid, si quis casu alicubi nascatur? — 773. Quid, si quis habeat diversa domicilia? — 774. Quando quis possit ordinari ab Episcopo Beneficii? — 775. Dub. 1. An Episcopus Beneficii possit dispensare in interstitiis. — 776. Dub. 2. An licite Episcopus ordinet eum, cui confert Beneficium, ut possit eum ordinare? — 777. Quid, si quis in diversis Diocesibus Beneficia habeat? Et an studiosi contrahant domicilium? — 778. Quid requiratur, ut quis ordinetur ratione domicilii? — 779. An Barones eorumque filii gaudeant domicilio feudorum? An Officiales domicilio loci, ubi degunt? — 780. Quomodo possit quis ordinari ratione familiaritatis? Et an hoc titulo possint ordinari famuli famulorum?

754. — « RESP. I. Ordo est Sacramentum, quo traditur potestas circa Eucharistiam ritè administrandam. Ordines universim sunt septem. Ostiariatus Lectoratus, Exorcistatus,

» Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Sacerdotium.  
 » Quod rursus est duplex, minus et majus, sive Episcopatus. Unde  
 » quidam octo numerant. Prima verò Tonsura non est Ordo,  
 » nisi latè, sed tantum dispositio ad Ordines, per quam quis fit  
 » Clericus, et capax Beneficii Ecclesiastici, ac privilegiorum Clericalium. » (Ita S. Th. suppl. quæst. 40. art. 2. Bonac. q. unic. p. 1. Pal. p. 2. n. 2. Holz. n. 48. cum Scoto, et Theologis communiter Salm. de Ord. tr. 8. c. 1. num. 26. cum Soto, Trull. Nunno, etc. et Barb. de Pot. Ep. Alleg. 2. n. 18. cum Vasq. Fill. Reg. et aliis (contra Cov. Fag. et alios Canonistas). Ratio quia Trid. sess. 23. c. 2. loquens de Tonsura, ait: Ut qui jam Tonsura insigniti essent per minores ad majores ascenderent. Ergo Tonsuram inter Ordines non enumerat. Præterea Concilium sess. 23. c. 17. testatur hos solos Ordines ab initio fuisse in Ecclesia, nempe à Diaconatu ad Ostiariatum. » Ex iis tres posteriores dicuntur majores sive sacri, ob annexum votum solemne castitatis (etsi ordinatus per gravem metum, vel nimis blanditiis, et importunitate parentum probabiliter eo non tenetur, nisi sponte ratificaverit. Sanch. disp. 29. Az. Fill. l. 10. c. 4. q. 3. Con. n. 150. Bon. de Matr. q. 3. p. 9.) Reliqui minores, quos cum Vasquez alii Sacramentum esse negant, alii cum Bell. Coninc. Fill. etc. communius et probabilius affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine, vel unitate attributionis. Vide Fill. tr. 9. d. 1. Bonac. d. 8. q. 1. »

Quòd Ordo sit Sacramentum, definitum, habetur in Conc. Trid. sess. 23. Can. 3. ubi: « Si quis dixerit Ordinem, sive sacramentum Ordinationem, non esse verè et propriè Sacramentum à Christo Domino institutum... anathema sit. »

755. — Quær. quid sit Ordinatio, et quid Ordo? Ordinatio est actio illa, per quam sacra potestas tribuitur: Ordo autem melius definitur cum S. Th.: « Est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato (adduntque communiter DD.) in ordine ad Eucharistiam. » Ordinatio autem est Sacramentum; Ordo verò effectus Sacramenti.

Dicitur autem Ordo ab effectu quem causat; Ordo enim constituit ministros, qui duplicem peculiarem potestatem habent, unam Ordinis erga corpus Christi reale, et mysticum simul, nempe conficiendi Eucharistiam, et absolvendi peccata; alteram Jurisdictionis erga corpus Christi mysticum tantum.

Additur rectè in ordine ad Eucharistiam, quia omnia alia ministeria non ad aliud communicantur, quam ad disponendos fideles: ut Eucharistiam dignè recipiant. Salm. de Sacram. Ord. c. 1. n. 8.

Patet autem Ordinem esse verè et propriè Sacramentum, quia habentur in eo tria illa, quæ Sacramenta constituunt; nempe 1. Signum externum, ex Act. 6. Et orantes imposuerunt eis manus. 2. Promissio gratiæ ad ministerium, dum habetur 1. Tim. 4. « Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri. » 3. Habetur institutio Christi

Domini ex eodem *Apost. ad Ephes. 4.* « Ipse dedit quosdam... »  
 » Apostolos... alios autem Pastores et Doctores... in opus mi-  
 » nisterii. Et ex *Luce 22.* « Hoc facite in meam commemorationem  
 » nem. » Ubi licet tantum Sacerdotium fuerit ordinatum, in  
 ipso tamen eminenter contenta fuit Ordinatio aliorum ministro-  
 rum qui Sacerdotibus inserviunt.

Effectus huius Sacramenti sunt 1. Gratia sanctificans; 2. Gra-  
 tia sacramentalis ad ministerium ritè exercendum; 3. Impressio  
 characteris.

De fide est in Ecclesia plures Ordines esse; ex *Trid. sess. 23. can. 2.* « Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Eccle-  
 » sia Catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos  
 » velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathe-  
 » ma sit. »

Singuli autem Ordines sic definiuntur; et I. « Ostiariatus est  
 » Ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et clau-  
 » dendi januam Ecclesiæ, ac admittendi dignos, excludendique  
 » indignos. II. Lectoratus est Ordo, quo confertur alicui  
 » specialis potestas legendi Psalmos, et Lectiones ex pulpito in  
 » Ecclesia, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus  
 » fidei. III. Exorcistatus est Ordo, quo alicui confertur specia-  
 » lis potestas ejiciendi *Dæmonia*. IV. Acolythatus est Ordo,  
 » quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni Sub-  
 » diacono inserviendi, accendendo cereos, præparando et por-  
 » rigendo illi ampullas vini et aquæ. V. Subdiaconatus est ordo  
 » quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni inser-  
 » viendi Diacono, et solemniter canendi Epistolam. VI. Dia-  
 » conatus est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in  
 » Missa solemni immediatè assistendi Presbytero, et solemniter  
 » canendi Evangelium. VII. Presbyteratus, sive Sacerdotium  
 » est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi  
 » corpus et sanguinem Christi, absolvendi quoque à peccatis, et  
 » pascendi subditos opere ac doctrina. VIII. Episcopatus est  
 » Ordo, quo confertur alicui specialis potestas confirmandi fideles,  
 » et ordinandi ministros Sacramentorum ( tò ministros sumendo  
 » latiùs, id est non solum pro iis qui Sacramenta conficiunt, sed  
 » etiam pro iis, qui conficientibus ex officio ministrant), nec non  
 » consecrandi res ad divinum cultum pertinentes. Prima autem  
 » Tonsura est Ritus sollemnis ecclesiasticus, consistens in levi  
 » detensione capillorum cum certis verbis, per ministrum idoneum  
 » celebratus, ex institutione Ecclesiæ significans, masculinum hap-  
 » tizatam à statu laicali in sortem Domini, et statum Clerica-  
 » lem transferri. »

756. — Quæstio autem celebris est, an singuli septem Ordi-  
 nes sint Sacramenta? Adsunt quatuor sententiæ. I. sententia uni-  
 versè affirmat, et hanc docet *D. Th. 3. p. qu. 37. art. 2. ad 1. et*  
*art. 3.* quem sequuntur *Sanch. Cons. 1. 7. c. 1. dub. 7 et 8.*  
*Bon. p. 1. n. 2. Bellarm. de Ord. c. 8. Gonet. d. 2. art. 1. et Salm.*  
*c. 1. n. 14. cum Gabr. Gran. Lez. et aliis pluribus.* II. sententia

dicit solum Sacerdotium esse Sacramentum, et sic tenent *Du-  
 rand. Cajet.* et probabilem putant *Sotus, et Victor. ap. Salm.*  
*c. 1. num. 13. III.* verò sententia dicit, esse Sacramenta tantum  
 tres Ordines majores; ita *Nao. c. 22. num. 18. et Sotus, ac*  
*Vasq. ap. Salm. d. n. 13.* atque probabilem putat *Sanch. de*  
*Matr. l. 7. d. 31. n. 27. IV.* demum sententia dicit solum Pres-  
 byteratum, et Diaconatum esse Sacramenta, et hanc tenent  
*Tournely. tom. 10. p. 248. Cabassut. T. 1. l. 3. c. 16. n. 3. et*  
*Habert l. 7. p. 166. R. 3. cum Gratian. Mag. sent. et Estio,*  
 ac probabilem vocant *Salm. cap. 4. n. 42. cum Soto.*

757. — Circa has sententias meum proferam iudicium. Sen-  
 tentia I. est probabilis. Ratio, quia Eugenius IV. in Decreto ad  
 Armenos ( quod affert *Croix l. 9. p. 2. num. 2128.* ) dicit ma-  
 teriam Sacramenti Ordinis esse illud, per cuius traditionem  
 confertur Ordo; et deinde explicat calicem cum vino, et pate-  
 nam cum hostia esse materiam Presbyteratùs, librum Evange-  
 liorum Diaconatùs, calicem vacuum cum patena vacua Subdia-  
 conatùs, et res alias assignatas aliorum quatuor Ordinum. Quo  
 Decreto cum prædictus Pontifex declaret, omnes Ordines ultra  
 sacros habere propriam materiam pro Sacramento, consequenter  
 declarat omnes alios Ordines esse Sacramenta. Nec obstat quòd  
 minister ordinationis sit solus Episcopus, ut dicitur in *Trid.*  
*sess. 23. c. 4. et 7.* Nam respondetur, quòd hoc intelligatur de  
 ministro ordinario, non autem extraordinario, quem Papa bene  
 potest deputare ad huiusmodi Ordines conferendos, ut dicunt  
*Salm. c. 4. n. 19. cum Soto, Sanch. Pal. et aliis communiter ex*  
*D. Th. qui id expressè docet suppl. q. 38. art. 1. ad 3.* Et de facto  
 habetur ex eod. *Trid. sess. 23. c. 10.* quòd Abbates possint Or-  
 dines minores conferre; vide dicenda n. 793. Sententia II. quæ  
 dicit solum Sacerdotium esse Sacramentum, non est mihi et  
 aliis communissimè satis probabilis ex iis, quæ mox dicam, lo-  
 quendo de quarta sententia. Sententia III. pariter ac prima est  
 probabilis. Sed mihi probabilior est IV sententia, quæ docet  
 tantum Sacerdotium et Diaconatum esse Sacramentum, non  
 verò alios Ordines.

Prima pars, quòd non solum Sacerdotium, sed etiam Diaconatus sit Sacramentum, probatur, quia in ordinatione Diaconi concurrunt tria, ut diximus, sufficientia ad Sacramentum, nempe  
 1. Signum sensibile, scilicet impositio manuum. 2. Institutio divina, nam *Conc. Trid. definit:* « Si quis dixerit in Ecclesia  
 » Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam,  
 » quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, anathema  
 » sit. » Per tò ministris saltem Diaconi intelligendi sunt divina  
 ordinatione instituti. 3. Concurrit promissio gratiæ, quam signi-  
 fificant verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, etc.*  
 Quæ verba habent rationem formæ, et verè producent gratiam,  
 ut scripsit Anastasius Papa II. in *Epist. ad Anast. Imper. c. 7. ap.*  
*Cabassut. l. c.* utque clarè inferitur ex *Tridentino sess. 23. can. 4.*  
 ubi habetur: « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non



» dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra dicere Episcopos :  
» Accipe Spiritum sanctum... anathema sit. » Ergo cum in  
Ordinatione Diaconi jam dicat Episcopus, *accipe Spiritum sanctum*, etc. verè Spiritus sanctus datur, et per consequens confertur Sacramentum.

Secunda autem pars, nempe quòd alii Ordines minores, et Subdiaconatus non sint Sacramenta, probatur, quia pro his deest materia et forma Sacramenti Ordinis: deest quidem materia, quia deest impositio manuum, quæ est sola materia hujus Sacramenti, juxta probabiliorè sententiam, quam tenuimus de *Sacram. in gen. n. 12.* et fusiùs probabimus hinc *n. 749. Qu. III.* Deest etiam forma Sacramenti: in horum enim Ordinum collatione nulla adest forma quæ exprimat productionem gratiæ, sed tantum fit mentio potestatis quæ traditur. Nec obstat dicere, quòd nullus ex septem Ordinibus iterari possit; ergo in singulis imprimatur character, quòd imprimi non potest, nisi per Sacramentum. Nam respondetur, nec consecrationes Ecclesiarum iterantur, neque ideo characterem imprimunt, nec sunt Sacramenta. Nec obstat, quòd Clemens *l. 8. Constit. c. 21.* dicat in Ordinatione Subdiaconorum hanc fieri Orationem: « Tribue » eis, Domine, Spiritum sanctum, ut dignè vasa Domini attrere valeant. » Nam respondet *Tourn. p. 252.* quòd idem Clemens antea retulisset, eandem dici Orationem super Diaconissis, quæ certè Sacramentum Ordinis suscipere non poterant. Sed hodie hæc oratio neque dicitur.

738. — Queritur deinde an Episcopatus sit Ordo distinctus à Presbyteratu. Negant *S. Thom. S. Bonac.* et alii, qui dicant esse extensionem Ordinis Presbyteratus. Sed communius affirmant *Bellarmin. Tourn. Habert, Sanch. Val. Aversa,* etc. tum quia in ipso traditur distinctus character et specialis potestas ad Eucharistiam, nempe constituendi hujus Sacramenti ministros; tum quia Ordo Episcopatus confertur per manuum impositionem et per formam, *Accipe Spiritum Sanctum, etc.* Nec valet dicere, quòd si Episcopatus esset distinctus Ordo, posset Episcopus validè saltem ordinare, licet non esset Sacerdos; nam respondetur, quòd hoc ordinatione divina requiratur, sicut requiritur ut sit baptizatus qui vult confirmari aut ordinari.

739. — « Resp. 2. Materia remota Ordinum est aliquod instrumentum traditum ordinandis in signum potestatis spiritalis; proxima est ejusdem traditio, et acceptio, cujus contactum physicum, et immediatum, etsi non esse essentialè aliqui probabiliter doceant cum *Sa, Henr. Reg. Laym. Dian. t. 4. de Sacram. n. 185.* et aliis quos citat: contrarium tamen communius, ac tutius est, ut altera saltem manu tangatur; imò ex præcepto ad scrupulum vitandum, utraque etiam quidem omnia, v. gr. calix cum patena, hæc cum hostia, ut docet *Fill. idque simul cum prolatione verborum Episcopi; Vid. Laym. l. 5. t. 9. c. 5. Bonac. d. 8. p. 1. punct. 3. Vid. Dian. p. 8. t. 1. R. 40 et 42. »*

740. — Dubitatur hinc 1. An materia et forma Sacramenti Ordinis fuerint à Christo Domino in specie determinatæ? Vide dicta de *Sacram. in gen. n. 12.* ubi diximus probabilius esse omnes materias Sacramentorum, quoad substantiam et formas, fuisse à Christo in specie determinatas, cum *Juenin, Petro cor. Habert, Concina, Merbes. Contin. Tourn.* et aliis pluribus ex *D. Thoma.*

741. — Dubitatur 2. An validè ordinaretur Latinus per materiam Græcis assignatam, nempe per solam manuum impositionem, et è converso? Affirmant *Suar. Vasq. Dic. Escob. apud Croix l. 6. p. 1. n. 16. v. Inst.* quia, cum Ecclesia sit una, uniformia quoque debent esse Sacramenta. Negat verò ipse *Croix cum Arriaga,* et alii, quia ex determinatione Ecclesiæ materia Græcis assignata non habet vim significandi id quòd significat materia assignata Latinis. Utraque est probabilis, sed prima est probabilior juxta nostram sententiam allatam *eod. n. 12. de Sacram. in genere,* ubi diximus solam manuum impositionem, quæ communis est tam Græcis quàm Latinis, esse materiam essentialè Sacramenti Ordinis; traditionem autem instrumentorum esse tantum materiam integram. Si autem Latinus ordinetur forma græcè prolata, vel è converso, procul dubio valida est Ordinatio, ut rectè et communiter dicant *Lugo d. 2. n. 107. Con. q. 68. et Croix n. 30. cum Suar. Cajet. et Dicast.*

742. — Dubit. 3. An attenta probabili sententia eorum, qui dicant ad valorem Ordinationis requiri traditionem instrumentorum, omnino etiam requiratur illorum contactus ex parte suscipientis? Prima sententia negat, et hanc tenent *Laym. c. 5. n. 4. Nav. Men. c. 22. n. 17. Cajet. in summa v. Ordinantium. Dian. part. 3. tr. 4. R. 185. item Alb. Mag. Arm. Vict. Henriq. et Vasq. apud Pal. p. 4. n. 21.* Ratio, quia ad potestates et dominia rerum concedenda sufficit, ut minister, aut dominus tradat, et alter præsens ea acceptet sine contactu rei traditæ. Secunda verò sententia affirmat, et hanc tenent *D. Th. suppl. q. 34. ar. 5. ad 3. Sanch. Cons. l. 7. cap. 1. dub. 2. Bonac. p. 3. n. 11. et Pal. n. 22. cum Val. Sa, et Con.* Ratio, quia Christus sic instituit conferri Ordinem, prout suadent praxis Ecclesiæ, et formæ verba, quæ (ut ait *D. Th.*) « videntur ostendere quòd » tactus materiæ sit de essentia Sacramenti. » Et hæc sententia cum sit satis probabilis, omnino in praxi sequenda est, saltem in Ordine Presbyteratus et Diaconatus; nam quoad alios Ordines, probabile est non esse Sacramenta, ut diximus *n. 737.*

743. — Dubit. 4. An ad valorem Ordinationis requiratur contactus physicus instrumentorum? Negant alii, quorum sententiam meritò putant probabilem *Salm. c. 2. n. 12. et Ronc. pag. 125. q. 5. R. 3.* Ratio, quia humano modo loquendo, hoc ipso quòd aliquis rem alteri offerat, et alter significet aliquo sensibili signo acceptare illam, jam censetur acceptare, esto non tangat. Affirmant verò cum sententia communiore *Bonac. Ronc. ll. cc. Viva q. 7. art. n. n. Elbel n. 18. Mazzotta t. 3. pag. 228. et Salm. c. 2. n. 14. cum Soto, Aversa, et Trull. ac Escob. n. 184.*

cum *Gran. Marchin. etc.* Ratio, quia sicut in Baptismo, Confirmatione, et Extrema Unctione, requiritur ut suscipiens physicè contingat materiam, ita in Ordinatione; tum quia talis est usus Ecclesiæ, unde præsumitur sic Christus instituisse. Dices: Parvuli non possunt tangere materiam, saltem tactu voluntario, et tamen, si ordinantur, validè ordinantur, ut dicemus n. 782. Sed respondetur quòd parvuli nec etiã contactum moralem possunt adhibere, unde rectè dicunt *Salm.* quòd ipsi tantum validè ordinantur, in quantum Ordinatio ipsis est voluntaria voluntate Ecclesiæ, sicut eisdem est ablutio in Baptismo. Et cum hæc sententia sit etiã probabilis, rectè dicunt DD. præfati, omnino in praxi tenendam. Meritò autem dicit *Escob. n. 184.* sufficere quoad valorem, quòd materia una manu tangatur. Et pariter meritò cum communi censent idem *Escob. loc. cit. ac Pal. p. 4. n. 20. Croix n. 2157. cum Gob. et Salm. n. 19. cum Vasq. Con. Bon. et Aversa,* sufficere tactum mediatum, nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo, vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu verè tangere dicitur.

744. — Notandum autem hic I. Quòd in Ordinibus sacris conferendis requiratur, ut ab eodem Episcopo, qui formam profert, materia tradatur; quia, cum talis sit usus Ecclesiæ, sic censetur Christus instituisse: ita *D. Thom. suppl. q. 38. art. 1. ad 2. Sanch. Cons. l. 7. c. 5. dub. 5. et Salm. c. 2. n. 22.* Secus verò esse docet *D. Th.* cum aliis cit. in collatione Ordinum minorum. Notandum II. quòd si conferantur Ordines ab Episcopo, alio tamen celebrante Missam pro ipso, valida erit Ordinatio, sed illicita, prout declaravit S. C. Gen. habita an. 1715 coram Clemente XI, et confirmavit Innoc. XIII in Cong. habita die 5 Febr. an. 1722. Ita refert N. P. Bened. de Syn. l. 8. c. 11. n. 7.

745. — « Resp. 3. Ostiarius ordinatur traditione clavium » Ecclesiæ, Lector libri lectionum, Exorcista libri Exorcismorum, Acolythus ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et » candelabri cum cereo extincto, quia ejus est præparare lumen, » vinum, et aquam ad Missam. \* (An autem materia Acolythatus sit traditio urceolorum, vel candelabri? Resp. esse utrumque cum S. Thom. *Salm. c. 3. n. 17. etc.* contra alios. Character » verò, juxta sententiam affirmantium, omnes Ordines esse » Sacramenta, probabilis imprimitur in porrectione urceolorum, prout proximè ad sacrificium deservientium, ut *Sanch. » et Bon. cum Salm. ib. )* \* Subdiaconus traditione calicis vacui » cum vacua patena superposita, quia illius est hæc ad Missam » præparare, Diaconus impositione manûs, et traditione libri » Evangeliorum, quia ejus est \* (*ministrare ad altare, ut habetur » in Pontificali*) \* catechizare, cantare Evangelium, et cum » facultate Parochi prædicare, baptizare, Eucharistiam dare: » \* (*In necessitate tamen, juxta dicta n. 116. v. Certum, et n. 237. » Qu. I. )* \* Sacerdos traditione calicis cum vino, et patenæ cum » pane, addita forma, qua datur potestas sacrificandi, deinde impositione manûs, addita alia forma, qua datur potestas remit-

» tendi aliis peccata. *Vid. Fill. t. 9. c. 2. Reg. Bon. Dian. p. 3. » t. 4. R. 186. 187. et p. 8. l. c. »*

746. — Quær. I. Quænam autem sit materia et forma Subdiaconatus? Apud Græcos est manuum impositio; apud Latinos dubitatur 1. an sit calix cum patena, vel liber Epistolarum? Alii dicunt, materiam proximam esse solam traditionem calicis vacui cum patena, ex *Conc. Carth. 4. c. 5. et Florent. sess. ult. §. 6.* cum sua forma, « Videte cujus ministerium vobis traditur; ita vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, quòd Deo placere » possitis. » Alii verò dicunt materiam pariter essentialem esse traditionem libri Epistolarum, ut dicunt *Esc. l. 23. n. 170. et Fill. Dic. Avers. Med. Tann. etc.* apud *Croix nu. 2149.* Rationum istorum, quia adhuc speciale munus est Subdiaconi solemniter Epistolas legere. Negant hoc tamen *Habert, et Salm. ib. cum D. Th. Mag. Sent. Vasq. Gon. Val. Bon. et Pal.* qui dicit primam sententiam esse certam. Ratio, quia nullo judicio deprehenditur Ecclesiam instituisse ritum illum, ut materiam necessariam hujus Ordinis: jam enim dicunt, per traditionem calicis et patenæ sufficienter significari ministerium præcipuum Subdiaconi, nimirum ministrandi Diacono panem, et vinum oblatum, ut Sacerdoti tradat. His tamen non obstantibus, censeo cum *Croix n. 2149.* in praxi sententiam, nempe quòd tam traditio calicis, quam traditio libri Epistolarum sit materia proxima Subdiaconatus, sequendam esse utpote non improbabilem.

747. — Dabitur 2. an calix et patena in Ordinatione Subdiaconatus debeant esse consecrata? Nalli dubium ex necessitate præcepti, sed negant *Dian. Bon. Henr.* ex necessitate Sacramenti ad valorem; sed affirmandum cum *Pal. Dicast. Sylo. et Salm. c. 3. n. 22.* quia ministerium Subdiaconi totum est circa vasa; et ideo debent esse propriè Ecclesiastica, sive sacra, ad differentiam Sacerdotis initiandi, cujus ministerium, cum non sit circa vasa, non requiritur, ut vasa sint consecrata, prout tenent *Salm. ibid. cum Dicast. Et hoc Tamb. c. 3. §. 2.* dicit esse moraliter certum. Sed huic pariter contradicit *Croix n. 2150. cum Pal. Dicast. Syloest.* quorum sententia in praxi etiã sequenda videtur.

Ex dictis sequitur, munus Subdiaconi esse tradere Diacono calicem et patenam; item panem et vinum tanquam oblationes populi præsentare; deinde canere solemniter Epistolam, etiam deferre crucem in processionibus.

An autem peccent graviter Subdiaconi et Diaconi solemniter ministrantes in mortali? Probabiliter negatur cum *Val. Vill. March. Dian. et Salm. c. 3. n. 24.* contra alios, quia neque rem sacram conficiunt, neque operationes eliciunt, quæ ex opere operato conferant gratiam, cui ipsi obicem per peccatum ponant; peccabant tamen saltem venialiter. Vide de hoc puncto fasè dicta de *Sacram. in genere n. 38.*

748. — Quær. II. Quænam sit materia et forma Diaconatus? Prima sententia dicit esse solam traditionem Libri Evangeliorum, cum sua forma: *Accine Spiritum sanctum ad robur,* et hanc

tenent *Palas* p. 4. n. 10. *Bon.* p. 3. n. 4. et *Vasq. Val. Reg. Vill. Diana, et Trull. apud Escob.* l. 23. n. 165. Atque hujus sententiæ videtur expressè esse *D. Th. suppl. q. 37. art. 5. ad 5.* cum ibi dicat: « In ipsa Libri datione imprimatur character. » Ratio, quia in Concilio Florent. sola traditio Libri Evangeliorum assignatur pro materia Diaconatus. Et licet manuum impositio sit necessaria ex præcepto Ecclesiæ, tamen non est de essentia, cum sit ritus duntaxat ab ipsa Ecclesia, sive ab Apostolis introductus, ut loquitur Gregorius IX in *cap. Presbyter de Sacram. non iterand.* ubi sic dicitur: « Presbyter et Diaconus cum ordinantur, manûs impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. » *Secunda* verò sententia dicit esse solam impositionem manuum: et hanc tenent *Juenin. t. 7. p. 589. Merbes. p. 293. q. 48. Tournely t. 10. p. 247. Habert c. 7. q. 5. cum Morino, et Beccano, item Scotus, S. Bonao. Cajet. et Darand. ap. Escob. n. 167.* Probatur 1. ex *Act. 6.* ubi cum sermo habeatur de Ordinatione primorum Diaconorum, tantum impositionis manuum sit mentio: *Orantes imposuerunt eis manus.* Probatur 2. ex Concilio Carthag. IV. *Can. 5.* ubi dicitur: « Cum Diaconus ordinatur, solus Episcopus manus super caput ejus ponat. » Probatur 3. ex ritu Ecclesiæ Græcæ, in qua Diaconi per solam impositionem manuum ordinantur. Probatur 4. ratione, quia illa est materia Sacramenti, in cuius applicatione traditur Spiritus sanctus, nempe gratia Sacramenti; cum verò in impositione manuum tradatur Diaconi Spiritus sanctus, ut patet ex forma, *Accipe Spiritum sanctum ad robur,* etc.: ideo sola impositio manuum est materia essentialis Diaconatus; et quòd revera in illis verbis, *Accipe* etc. tradatur Spiritus sanctus, clarè (ut diximus) ostendit Tridentinum *sess. 23. Can. 4.* ubi: « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopus dicere: *Accipe Spiritum sanctum, anathema sit.* » Nec obstat textus oppositus in dicto *cap. Presbyter;* nam (ut respondet *Bellarm. de Ordine c. 9.*) hujusmodi impositio manuum dicitur ab Apostolis introducta, non quia ipsi illam instituerint, sed quia acceptam à Domino primi executi sunt. *Tertia* verò sententia dicit utramque (nempe traditionem Libri, et impositionem manuum) esse materiam essentialem: ita *Bellarm. d. c. 9. Lugo de Sacram. d. 2. n. 10. Petroc. t. 4. p. 228. q. 4. Laym. c. 5. n. 2. Holzm. n. 70. Salm. c. 3. n. 28. cum Dic. Gran. etc. ac Escob. n. 167. cum Con. Soto, et Led.* Ratio, quia Ecclesia ex potestate à Christo sibi tradita, quoad Græcos determinavit materiam essentialem Diaconatus esse solam impositionem manuum: quoad Latinos verò, præter impositionem, esse traditionem Libri. His positis, dico primam sententiam esse probabilem, secundam probabiliorē, tertiam adhuc probabilem, et ideo omnino in praxi sequendam, utpote spectantem ad valorem Sacramenti.

749. — Quær. III. Quænam sit materia, et forma Presbyteratus? Adsunt pariter tres sententiæ. *Prima* quam tenent *Fag-*

*nanus in cap. Presbyter, de Sacram. non iterand. Sotus in 4. d. 24. q. 1. a. 1. item Ang. et Nugnus ap. Salm. c. 3. n. 4.* dicit materiam esse solam traditionem instrumentorum, et formam, verba illa quæ profert Episcopus in traditione instrumentorum, nempe: « Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missas » que celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. » Et hac sola materia et forma dicunt tradi potestatem tam sacrificandi, quam absolvendi peccata. Probant ex Decreto Eugenii IV ad Armenos (relato à *Croix n. 2128.*) ubi dicitur: « Ordo Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. » Sed hæc sententia communiter à DD. non est recepta. Vide *Salmantic. c. 3. num. 41.* Decretum autem Eugenii quomodo intelligendum sit infra explicabitur.

*Secunda* sententia, quam tenent *Bellarm. de Ordine c. 9. Estius in 4. d. 24. §. 24. Laym. c. 1. Holzm. n. 70. Escob. n. 158. cum Scoto, Con. et Henr. ac Salm. l. c. n. 39. cum Vasq. Led. Diana, etc.* dicit, in Ordinatione Presbyteratus duplicem esse materiam essentialē, nempe traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super corpus Christi reale, scilicet sacrificandi, cum forma, *Accipe potestatem,* etc. ut supra: et impositionem manuum, qua traditur potestas super corporis Christi mysticum, id est absolvendi peccata, cum forma: « Accipe Spiritum sanctum, » quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Quòd requiratur traditio instrumentorum cum forma, *Accipe potestatem,* etc. probant ex Decreto Eugenii supra relato, et ex *D. Th. q. 37. a. 5.* ubi dicit: « In ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. » Quòd autem requiratur etiam impositio manuum, probant ex Scriptura *Actor. 13. 3.* ubi dicuntur Paulus et Barnabas ordinati fuisse Sacerdotes per impositionem manuum: « Tunc jejunantes, et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos. » Et quòd forma hujus impositionis manuum sint verba, *Accipe Spiritum sanctum* etc. probatur ex eodem Trident. *sess. 23. Can. 4.* ubi declaratur per sacram Ordinationem dari Spiritum sanctum, « nec frustra Episcopus dicere: *Accipe Spiritum sanctum.* » Unde, cum in impositione manuum dicitur ab Episcopo *Accipe Spiritum sanctum* etc. tunc perficitur Sacramentum, et ejus gratia confertur.

*Tertia* verò probabilior sententia, quam tenent *Juenin. t. 7. p. 589. Concina tom. 10. pag. 31. n. 4. et Petrocor. t. 4. p. 232. cum S. Bonao, et Arcud. ac Tourn. to. 10. p. 218. cum Martene, Becono, Menardo, etc.* dicit tradi utramque potestatem Sacerdoti sacrificandi, et absolvendi per solam secundam manuum impositionem. Dicitur *secundam*, nam in Ordinatione Presbyteratus Episcopus ter manus imponit: Primò quando manus extendit nihil dicens: Secundò quando unà cum Presbyteris extendit manus super initiandos, et fundit preces: Tertio quoad post Communionem dicit: *Accipe Spiritum sanctum,* etc. Dicunt igitur utramque potestatem tradi, non in prima (ut certum est apud omnes), neque in tertia: nam tertia jam supponit consecratos

Sacerdotes, dum ipsi cum Episcopo jam consecrant Eucharistiam; sed in secunda, quando Episcopus extendit manus cum Presbyteris, ut patet ex Tridentino *sess. 14. c. 3.* ubi: « Ministri » Extrem. Unction. sunt aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis » ritè ordinati per impositionem (nota) manuum Presbyterii, » hoc est, quæ fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus. Probatur 1. hæc sententiâ ex Scriptura, ut supra, ubi de sola impositione manuum fit mentio. Dicit autem Tridentinum *sess. 23. c. 2.* quod sacræ Litteræ gravissimis verbis docent ea quæ maximè in Diaconorum, et Sacerdotum Ordinatione attendenda sunt; ergo si sacræ Litteræ tantum de impositione manuum verbum faciunt, dicere debemus præter manuum impositionem nihil aliud esse in Ordinatione essentialiter necessarium: et hoc denotat verbum illud *maximè*: alia verò solum requiri tanquam partes integrales, nempe ad clariorem acceptæ potestatis declarationem. Probatur 2. Quia Græci per solam impositionem manuum ordinantur: ergo si valida est Ordinatio Græcorum per solam manuum impositionem; ita etiam valida est habenda est Ordinatio Latinorum, cum totus valor Sacramentorum pendeat ab ipsorum materia et forma institutis à Christo Domino, qui (ut patet ex Scriptura) pro materia Ordinationis impositionem manuum instituit. Accedit id quod advertit Benedict. XIV. *de Synod. l. 8. c. 10. num. 5.* ex doctissimo Martene, quòd instrumentorum traditio non prius invecata sit quam à seculo VIII vel IX: unde, si prius Sacerdotes per solam impositionem manuum validè ordinabantur, cur non hodie?

Respondent AA. secundæ sententiæ, Christum instituisse materias et formas Sacramentorum in genere, et reliquisse Ecclesiæ potestatem eas determinandi in specie ac justis de causis mutandi; modò adhibeat res et verba exprimentia cuiusque Sacramenti effectum. Sed hanc sententiam in *tract. de Sacram. in gen. num. 12.* asseruimus esse minùs probabilem, et diximus Christum in specie determinasse materias et formas (quoad substantiam) omnium Sacramentorum; non enim habetur (ut dicit præfatus Papa Bened. XIV. *l. c. n. 10*) unde sufficienter probetur quòd Christus hanc potestatem ab adversariis suppositam tradiderit Ecclesiæ; imò oppositum potius eruitur ex *Trid. sess. 21 c. 2* ubi dicitur, Ecclesiam nullam habere potestatem circa Sacramentorum substantiam (ad quam certe pertinent materiæ et formæ), sed tantum circa eorum dispensationem. Nec obstat, quòd Eugenius IV ut supra assignaverit pro materia Presbyteratûs traditionem instrumentorum cum forma, *Accipe potestatem, etc.* Nam sapienter respondet idem Papa Benedict. XIV. *l. c. num. 8. cum Morino, Becano, et Menardo*, Eugenium tantum ibi locutum fuisse de materia et forma integrali, quam intendit tradere Armenis qui optabant aggregari Ecclesiæ Latinæ, et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi juxta ritum Græcorum, quo prius ordinabantur, jam eam adhibebant. Unde dicemus Eugenium

non quidem mutasse materiam et formam hujus Sacramenti, sed tantum impositioni manuum superaddidisse traditionem instrumentorum, tanquam partem integram, ut diximus.

Juxta autem hanc tertiam sententiam, quæ ex intrinsecis fundamentis (speculativè tamen loquendo) probabilior mihi videtur, discrepant præfati hujus sententiæ auctores in assignanda forma Presbyteratûs; alii enim, ut *Petrocorensis* (cui in parte consentit *Lugo de Sacrament. Dub. 2. n. 99.*), dicit esse verba quæ proteruntur in traditione calicis et patenæ: *Accipe potestatem, etc.* quia (ut ait) manet moralis connexio inter impositionem, et prædictam formam in traditione instrumentorum. Verum *Morinus et Tournely* fortè probabilius dicunt formam esse orationem, quæ in ipsa impositione dicitur ab Episcopo; verba autem, *Accipe Spiritum sanctum, etc.* quæ dicuntur in tertia impositione, inquit esse tantum declarativa, et confirmativa rei peractæ, nempe Spiritûs sancti jam collati in secunda impositione. Dixi autem *speculativè loquendo* hanc sententiam esse probabiliorè; nam cum secunda sententiâ sit etiam probabilis, hæc in praxi omnino sequenda est. Quapropter bene advertit *Croix n. 245.* quòd Ordinatio facta sine secunda manuum impositione tota repetenda sit, ut etiam declaravit S. C. apud Bened. XIV. *l. c. n. 13.* Ratio, quia qui non accipit potestatem supra Corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem super corpus Christi mysticum. Si verò Ordinatio facta fuerit sine tertia manuum impositione, hæc tantum supplenda est.

730. — Sed hîc, posita sententiâ in praxi tenenda, quòd traditio instrumentorum sit etiam materia essentialis hujus Sacramenti, dubitatur 1. An sit de necessitate Sacramenti, ut una cum calice et patena tradatur etiam utraque species, id est panis et vini? Negant probabiliter *Bon. p. 3. nu. 3. Sanch. lib. 7. c. 3. d. 12. nu. 17.* item *Fill. Henr. Diana, Dic. etc. apud Salm. c. 3. n. 45.* et dicunt, quòd, licèt ex præcepto utraque species tradenda sit, tamen sufficiat ad valorem Sacramenti, ut una sola conferatur. Probabilius verò affirmant *Holzm. cum Tann. Gob. ac Sporer, et Salm. l. c. cum Gran. Philib. Led. Vill. Aversa, Diana* (seipsam retractante), *etc.* Ratio, quia per traditionem unius speciei non datur potestas directa ad totum Sacramentum; et cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis (prout diximus de *Eucharistia n. 306.*), et propterea non possit tradi nisi ad integrum Sacrificium offerendum, sequitur, quòd si ad utramque speciem consecrandam non detur, ad nullam detur. Et cum hæc sententiâ sit probabilis, imò probabilior, omnino sequenda est in praxi, ut rectè ait *Croix n. 2151.*

731. — Dubit. 2. An validè ordinaretur qui tangeret hostiam, et non patenam? Affirmant communiter *Sporer n. 23. Tamb. l. 7. c. 5. §. 2. n. 5. Holzm. n. 80.* cum aliis; utque fere certum habent *Vasq. Conc. Pal. et Schilder apud Croix n. 2153.* Ratio, quia hostia et vinum sunt materia substantialis Sacerdotii, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter

solum decentiam ex præcepto Ecclesiæ usurpatur calix, et patena. Et idem consequenter dicunt *Sporer, et Tamb. ll. cc.* si tradatur calix cum vino, et hostia ibi immixta vel imposita sine patena: Hæc sententia revera videtur probabilissima. Sed *La-Croix l. c.* refert duos DD. à se consultos talem Ordinationem judicasse dubiam; et idem videntur sensisse *Bussæus tom. 1. v. Ordo n. 2. et Bon. p. 3. n. 11.* ubi dixerunt tutius esse « attingere immediatè ipsam patenam et hostiam, juxta ritum » Ecclesiæ ne Ordinandus periculo se exponat non recipiendi » Ordines. » Etenim in Decreto Eugenii assignatur pro materia Presbyteratus calix cum vino, et patena cum hostia. Et in Pontificali dicitur: *Et cuppam calicis, et patenam simul tangunt.* Quapropter *Croix ibid.* (cui adhæret *Mazzotta tom. 3. p. 229.*) *Quær. 2.* non immeritò dicit consultum esse, ut talis Ordinatio repetatur sub conditione; quamvis enim prima sententia fere certa videatur, tamen *Lugo Resp. mor. lib. 1. dub. 1.* loquendo de Sacramento Baptismi, sic ait: « Licet sententia negans » valorem Sacramenti, non æstimetur probabilis, nihilominus » foret sufficiens motivum reiterandi, quia prudenter formidare » possumus, ne fortè sit probabile quòd sit invalidum, aut saltem » ne accedente judicio plurium DD. id successu temporis fiat » probabile. Atque *ib. dub. 33.* tractans de Sacramento Ordinis, idem asserit, dicendo, quòd esto quis quiescere posset in prima Ordinatione propter aliquam sententiam æstimatam moraliter certam, tamen non peccabit, si stante sententia opposita aliorum pro nullitate Sacramenti, « ad majorem animi quietem iterum » sub conditione ordinetur, quòd etiam Episcopus licitè in gratiam ejus poterit facere. » Et ratio videtur esse, quia ipsa anxietas de dubio, modò sit vehemens, justa est causa Ordinationem sub conditione iterandi. Et idem sentit *Croix n. 2145. cum Gobato*, qui ait posse Sacramentum Baptismi iterari propter dubium non aperte vanum.

732. Dubit 3. An validè ordinetur Sacerdos qui tantum calicem et patenam tangit, non autem hostiam? Prima sententia negat, et hanc tenent *Habert. t. 7. p. 172. q. 4.* item *Baucius, atque Villal. ap. Escob. n. 188 et 190.* item *Bernal. Faber, et Ferdinand. ap. Croix n. 2152.* Hi dicunt hunc debere iterum sub conditione ordinari, ut à dubiis liberetur: et ab hac sententia non dissentiunt *Bon. et Bass.* allati in *Dub. præced.* dicendo tutius esse attingere patenam et hostiam, ne Ordinandus periculo se exponat. Secunda verò sententia communis et verior affirmat, et hanc tenent *Sanch. Cons. l. 7. c. 1. dub. 2. n. 9. Wigandt tr. 15. n. 11 et 43. Gonet et Isamb. apud Habert l. c. Mazzotta t. 3. p. 229. Dian. part. 10. tr. 56. Resol. 88. et Salm. c. 2. n. 21. cum Vasq. Aversa, Trull. etc. ac Escob. cum Led. Vega, Marchino, Vict. Num. Dicast. etc. item Scotus, Val. Con. Sporer, Rodr. et Gob. ap. Croix dict. num. 2152.* Ratio, tum quia non præscribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiæ, sed tantum patenæ, ut patet ex Pontificali, ubi sic habetur: « Pontifex

» tradit cuilibet calicem cum vino, et patenam suppositam cum » hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos; » et cuppam calicis, et patenam simul tangunt. » Tum quia vinum in calice contentum certè non tangitur immediatè; ergo nec requiritur, ut hostia immediatè tangatur; unde tum ob has rationes, tum ob communem Doctorum consensum bene dici potest hæc sententia moraliter certa. Cæterum rectè advertunt *Salm. l. c.* curandum esse Ordinando, tam calicem quam patenam et hostiam (quò melius) contingere, ut ab omni scrupulo se eximat.

733. — Dubit. 4. An validè ordinetur qui solum calicem immediatè tangit, sed non patenam. Prima sententia quam tenent *Roncaglia p. 125. q. 5. R. 3. Croix n. 2154. cum Pal. Dicast. de Ord. num. 205. et Mazz. t. 3. p. 229.* dicit hunc reordinandum sub conditione, tum quia in Pontificali, ut supra, præscribitur tactus tam calicis quam patenæ, tum quia tactus patenæ alias tunc esset potius moralis quam physicus. Secunda verò sententia quam tenent *Palas part. 4. n. 20. Esc. n. 184. Diana part. 6. tr. 8. R. 19. cum Bauny, et Joan. Petit. Tamb. lib. 7. c. 5. §. 2. num. 6. cum Vasq. Val. Hurt. etc. item Conc. Aversa, et Trull. ap. Salm. c. 2. n. 21.* dicit hunc esse validè ordinatum, quia calix et patena tunc moraliter faciunt unum. Et hanc sententiam *Præpos. et Bosco ap. Croix l. c.* vocant moraliter certam: ego tamen censeo eam tantum probabiliorè, sed primam non improbabilem, et ideo in praxi tenendam: quapropter dico, sub conditione talem Clericum esse reordinandum.

734. — Notandum, quòd carens Ordine Sacerdotii, vel Episcopatus, invalidè exerceat eorum munera. Carentes autem aliis Ordinibus, licitè eos exercent, si Ordines sint minores: illicitè, si majores. Hinc graviter peccat Clericus, qui sine Ordine officium Diaconi, vel Subdiaconi solemniter exercet, et incurrit ipso facto irregularitatem, et excommunicationem, sed hanc ferendæ sententiæ, ex c. 1. et 2. de Cleric. non Ordin. Min. Vide de hoc puncto dicenda l. 7. de Irregul. n. 360. Utrum autem eandem pœnam incurrant laici taliter ministrantes (Vide dicta de Sacram. Bapt. n. 116. v. Sed dub. 1. ubi negativam sententiam tutati sumus.)

735. — Hic aliqua libet adnotare de Ordinatione Episcopi, et I. Episcopus non potest validè ordinari, nisi ab alio Episcopo, ex Apostol. ad Hebr. 7. Major à minori non benedicitur. Ita *Pal. Sanch. Vasq. etc.* communiter cum *Salm. c. 4. n. 2.* Ad talem autem Ordinationem plura concurrunt, nempe impositio Libri Evangeliorum super scapulas ordinandi, unctio coronæ ordinati, et impositio manuum trium Episcoporum; item traditio baculi et annuli, ut *Croix n. 2148.*

Utrum verò ad valorem exigatur trium Episcoporum assistentia, extra casum necessitatis, certum est 1. quòd hæc requiratur ex necessitate præcepti, ex *Nicæn. 1. c. 4. et Carthag. 2. cap. 7;* certum 2. videtur, ex commissione Pontificis in casu neces-

# THEOLOGIA

## MORALIS.

### LIBRI SEXTI

### TRACTATUS QUARTI

#### CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

#### DUBIUM I.

Quis sit Minister.

539. Confessarii indigent approbatione, et jurisdictione. — 540. An in casu necessitatis sit obligatio confitendi laico vel Clerico? An verò Clericus vel laicus in articulo mortis, deficiente Sacerdote, possit absolvere à censuris? — 541. Nullus autem Sacerdos validè absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus.

539. — « RESP. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, ( saltem » respectu secularium ) et habens jurisdictionem. Est certum. » Ratio primæ partis sumitur ex Joan. 1. *Accipite Spiritum S.:* » *quorum remisistis*, etc. Ratio secundæ sumitur ex *Trid.* » *sess. 23. c. 15. de reformat.* ubi decernit, nullum posse audire » confessiones secularium, nisi habeat Beneficium Parochiale, » vel approbationem ab Episcopo\* (*Hanc ad rem facit dam-* » *natio inflicta ab Alex. VII. duabus proposit. scilicet 13* » *et 16.*)\* Addidi, respectu secularium, quia circa Confessiones » Regularium Concilium nihil videtur notasse; unde ii cuius, » etiam non approbato, quem Prælati præfecerit, possunt con- » fiteri; intellige, quantum est ex vi Concilii: quia Gregorius » XV statuit, ut Monialium Confessarius ab ordinario appro- » betur. Ratio tertiæ partis ex Florentino, et Tridentino, *l. c.* » quia absolutio est actus judicialis, qui requirit subditos.

Unde resolves:

540. — « 1. Nullo casu, vel dispensatione, hoc Sacramentum » validè administratur à non Sacerdote.

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

Dixit Magister sentent. in 4. dist. 17. quòd in casu necessitatis debet fidelis confiteri laico: et huic adhæsit D. Th. Suppl. quæst. 8. art. 2. ad 1. dicens: « Quandò necessitas imminet, » debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, » et confiteri cui potest; qui quamvis Sacramentum perficere » non possit., tamen Sacerdotis defectum summus Sacerdos » supplet. » Hoc tamen intelligendum est non esse de præcepto, sed de consilio, ad excitandam contritionem, vel ad solatium sive consilium capiendum, ut dicunt Wigandt tr. 13. n. 62. Laym. c. 10. Salm. c. 11. nu. 3. Croix. nu. 1482, et alii passim. Tenent autem S. Antonin. Ang. Henr. Candidus, Panorm. Led. etc. ap. Salm. de Censur. c. 2. n. 47, et probabile putant Sanch. lib. 2. Dec. c. 13. n. 13. Croix n. 1483. et Diana p. 3. tr. 4. R. 133. cum Led. Valer. Lacruæ, etc. quòd Clericus absente Sacerdote, et laicus absente Clerico, in articulo mortis ex præsumpta concessione Ecclesiæ possit absolvere à censuris, ne infirmus privetur sepultura et suffragiis. Sed probabilius hoc negant communiter tam de laico, quam de Clerico; ita Conc. p. 452. n. 10. Lugo dist. 18. num. 7. Croix l. c. Salm. de Censur. c. 2. n. 48. cum Avila, Pal. Sayr. Corn. et Villal.; item Laym. Con. Suar. Soto, etc. apud Dian. Ratio, quia id nullo jure nisi Sacerdotibus conceditur, et nunquam contrarium in Ecclesia fuit consuetudine introductum. Tantò magis quòd eo casu ( ut in Rituali habetur ), si excommunicatus decesserit cum signo pœnitentiæ, poterit ejus cadaver absolvi ab habente facultatem super illa excommunicatione.

341. — « Ubi Trident. est receptum ( secus alibi ) nullus Sacerdos, etiam regularis, valide absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus; cui non solùm intra, sed etiam extra diœcesim suam, valide delegatur jurisdictio, potestque eligi in Confessarium ab omni habente potestatem eligendi; quamdiu tamen retinet Parochiam. Ita Fill. t. 1. c. 7. Fagund. Suar. Dian. p. 3. t. 4. R. 146. \* ( Sed de hoc vide dicenda n. 544. et n. 565. ) \* »

## DUBIUM II.

## Quid sit approbatio, et à quo petenda.

342. Quid est approbatio? — 343. An liceat Sacerdoti simplici excipere Confessionem venialium? — 344. Dub. 1. An Parochus possit ad disciscere cooperatorem aliùm Parochum alterius Diœcesis? Dub. 2. An ejusdem? — 345. Debet eligi approbatus, aut Parochus? An sufficiat approbatio sine examine, et sine judicio interno? — 346. An sufficiat approbatio petita, et negata? — 347. A quo Episcopo habenda sit approbatio? — 348. Resolvitur quæstio ex Bulla Innoc. XII. — 349. An Religiosi approbati in una Diœcesi possint audire Confessiones in alia? — 350. Alia notanda apud Busemb. — 351. An injusta revocatio approbationis sit invalida? — 352. An Episcopus ex justa causa possit approbatos iterum examinare, aut

approbationem revocare, vel restringere? — 353. Sancta à Bened. XIV. circa Confessionem complicit de peccato turpi? — 354. Quid veniat nomine peccati turpis? An peccata interna? an dubia? 355. An absolutio complicit sit invalida quoad omnia peccata? — 356. Qu. 1. An incurrat censuram Papalem, qui Confessionem complicit tantùm audit, et eum non absolvit? Qu. 2. An Episcopus, vel ejus delegatus, facultate Tridentini in cap. *Liteat*, possit absolvere Confessarium, qui compliciti in peccato turpi absolutionem impertierit?

342. — « RESP. 1. Approbatio non est collatio jurisdictionis, » sed tantùm publicum judicium de aptitudine personæ ad audiendas Confessiones, essentialiter prærequisitum (supposito jure Tridentini) ad jurisdictionem recipiendam. Ita Sanch. lib. 6. de Matr. d. 28. et alii. »

Unde resolves :

« 1. Etsi Doctores et Licentiati, hoc ipso quòd promoventur, » censeantur, secundùm quosdam, approbati à Papa, ut notat » Sa, verbo Confessor; probabilius tamen est, quòd ipsi etiam » egeant approbatione \* ( Et hoc hodie certum est ex Bulla » S. Pii V, apud Salm. cap. 11. n. 94. etiam quoad Prælatos » regulares. ), \* licet non deceat, ut ipsi, vel Lectores in Theologia examinentur. \* ( Modò legerint Moralem. ) \* »

« 2. Etiam Parochus, qui reliquit beneficium Parochiale, » debet approbari, si velit audire Confessiones.

343. — « 3. Non requiri hanc approbationem ad auditionem » venialium docet Dian. p. 2. t. 2. misc. res. 44. ex Valer. Et » ratio esse videtur, quòd approbatio tantùm requiritur in » ordine ad jurisdictionem; hanc autem quivis Sacerdos pro » venialibus, uti et mortalibus, à quibus ritè quis est absolutus, » habeat collatum ab Ecclesia in ipsa ordinatione, ideoque ab iis » absolvere possit, ut habet Bonac. d. 5. quæst. 7. p. 2. numer. 8. » Vasq. Suar. Card. de Lugo d. 18. sect. 3. d. 21. n. 1. ubi docet, » ab Ecclesia in Trident. non approbatum reddi incapacem » jurisdictionis, tantùm in ordine ad mortalia non priùs confessa. »

Quæritur, an Confessio venialium facta simplici Sacerdoti sit illicita, et invalida? Quòd sit illicita, hodie certum est ex Decreto Innoc. XI de Communionem quotidiana ( hoc Decretum affertur per extensum apud Bonac. tom. 1. sub initio ), edito anno 1679. 12 Febr. quo non solùm vetitum fuit Episcopis, « Ne permittant ut venialium Confessio fiat Sacerdoti non approbato ab Episcopo; » sed etiam fuit interdictum ipsis Sacerdotibus, his verbis quæ immediatè sequuntur: « Si quicumque » Sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem esse reddituros. » Utrùm autem talis Confessio sit invalida? Prima sententia communissima negat, et hanc tenent Salm. c. 11. n. 8. cum communi ut asserunt Holzm. n. 681. Viva q. 8. art. 1. n. 6. Pal. d. n. 9. 13. n. 5. Croix n. 1489. Lugo d. 18. n. 41.

4  
*Suar. d. 26. sect. 5. et Elbel p. 298. n. 329. cum Mastr. Herincx, etc.* Sed unde habeant Sacerdotes simplices hanc jurisdictionem, Auctores discrepant; nam *Pal. Capreol. Canus, Led. et Vasq. ap. Lugo* dicunt habere à Christo Domino, eò quòd peccata venialia non sunt materia necessaria; ergo creditur Christus non subdidisse eorum absolutionem potestati Ecclesiæ. Alii verò dicunt jurisdictionem accipere ab Ecclesia, ut *Viva l. c. Ronc. t. 1. qu. 3. R. 2. et Lugo l. c. cum Suar. Bon. Con. et Henr. Secunda* verò sententia, quam tenent *Conc. p. 341. et Platel. cum aliis apud Croix l. c.* affirmat, et hanc satis probabilem puto, quia, posito quòd simplices Sacerdotes non habeant jurisdictionem à Christo, sed ab Ecclesia, ut supra, hodie post Decretum Innocentii non præsumitur Ecclesia velle eis conferre jurisdictionem, cum ipsis expressè prohibeat uti tali jurisdictione.

344. — « 4. Parochi non possunt asciscere cooperatores, nisi » Parochos, vel approbatos, ut habent *Fag. p. 2. l. 7. n. 42. Sanch. etc.* ex declaratione *Card. contra Ledesm. et alios. Vide Dian. p. 3. t. 4. res. 146. et Bon. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1.* »

Hic dubitatur 1. An Parochus possit advocare Parochum alienæ Diœcesis ad excipiendas Confessiones suorum subditorum? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Pal. p. 17. §. 2. n. 7. Lugo d. 21. n. 21. Conc. p. 540. n. 3. Viva in prop. 16. damn. ab Alexand. VII. num. 11. Wigandt tract. 13. num. 68. R. 12. item Suar. Vasq. Aversa, etc. apud Croix n. 1537.* Ratio, quia Parochus censetur approbatus pro tota Ecclesia, ut supponunt inferri ex *Trid. sess. 23. de reform. c. 15.* ubi dicitur: « Nullum posse Confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, etc. » Hinc colligitur Parochiale Beneficium poni à Tridentino pro approbatione universali. *Secunda* verò sententia, cui mihi libet adherere, negat, eamque tenent *Barbosa in Trid. l. c. n. 19. N. SS. P. Bened. XIV. Notif. 86. n. 7. et Croix l. c. cum Laym. Garzia, Homob. et Piasec.* Ratio, quia Parochus minimè approbatur ab Ecclesia universali, sed tantùm ex dispositione Tridentini à suo Episcopo, pro sola ejus Diœcesi, et juxta ejus voluntatem. Et hæc sententia magis firmata fuit ex Declaratione S. C. Concilii apud *Pitton. de Paroch. n. 814.* die 19 Januarii 1641, ubi dictum fuit: « Parochus unius Diœcesis non potest Confessiones audire sine licentia Episcopi Diœcesani. » Et ex alia *Declar. apud Monacell. tom. 4. p. 16. n. 172.* die 3 Decembr. 1707, ubi ad quæsitum: « An Curati unius Diœcesis vocati à Parochis alienæ Diœcesis possint in ista audire Confessiones absque licentia Episcopi? » S. C. respondit: « Affirmative quoad subditos, negative quoad alios. »

Dubitatur 2. An Parochus vocatus ab aliò Parocho ejusdem Diœcesis possit in ejus Parochia Confessiones audire? Præter AA. citatos, id affirmant *Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. num. 23. et Croix n. 1536.* cum communiori; imò *Palau, et Mazzotta ll.*

cc. communem sententiam vocant. Sed oppositam sententiam tenent *Barbosa in Trid. d. sess. 23. cap. 15. num. 19. cum Homob. et Piasec. in praxi Episcop. 2. cap. 1. num. 10.* ex alia Declaratione ejusdem S. C. Concilii, quam referunt *Barb. et Piasec. ll. cc.* ubi ad quæsitum: « An provisorius de parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas Confessiones, in illa Diœcesi, in qua illam parochialem obtinet? » S. C. respondit: Censeri ad audiendas Confessiones dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam Diœcesim. » Et ratio hujus sententiæ est, quia (sicut diximus) Parochus non approbatur ab Ecclesia pro Ecclesia universali, sed tantùm ab Episcopo juxta Episcopi voluntatem; unde nisi constet aliunde de diversa voluntate Episcopi, Parochus censetur approbatus tantùm pro Parochia ad quam eligitur; potest enim Episcopus aliquem judicare idoneum pro uno loco, et non pro alio. Rectè verò dicunt *Bon. l. c. num. 12. Clericat. de Pœnit. Decis. 37. num. 12.* idque admittit *Bened. XIV. in cit. Notif. 86. n. 13.* quòd sententia opposita locum habere potest in iis locis, ubi talis adsit consuetudo, quæ jurisdictionem bene conferre valet. Imò *Wigandt tract. 13. n. 80.* primam opinionem approbat, *ex praxi* (ut asserit) *variarum Diœcesium.*

345. — « 5. Qui habet potestatem eligendi Confessarium, non potest eligere, nisi approbatum, vel Parochum. »

« 6. Ad approbationem non necessariò requiritur examen, modò adsit judicium prudens de sufficientia. *Con. Laym.* » (Et quamvis Episcopus internè reprobet, valet externa approbatio ad jurisdictionem conferendam. *Salm. cap. 11. de Pœnit. n. 90 et 91.*) »

346. — « 7. Non sufficit approbatio petita, et negata, ut docetur communiter contra *Nao. Henrig. et Diana p. 1. t. 2. res. 24.* Etsi probabiliter cum prædictis docuerint *Coninch, et Laym.* Regulares mendicantes, si ab Episcopo repellantur, cum manifestè idonei sint, et à Prælati suis præsententur, posse nihilominus pro Confessionibus secularium exponi, ut habetur *Clementina Dudum, §. statumus.* Istis tamen privilegiis *Trid. et Urbanum VIII anno 1628 derogasse, notat Lugo de Pœnit. d. 21. num. 29 et 51.* » (Ideoque opinio *Laym. et Conc. hodie improbabilis est; maxime post prop. 13 damn. ab Alexand. VII. quæ dicebat:* Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato. Privilegium autem loquitur, quando in justè negatur jurisdictione, non autem si injustè negetur approbatio, quæ de jure novo Tridentini hodie necessariò requiritur, ut rectè dicunt *Salm. de Pœn. c. 11. n. 95. cum Lugo.*) »

347. — « Resp. 2. Approbatio petenda est ab Episcopo, et quidem proprio, scilicet Sacerdotis, ut intelligunt *Suarez, Conin. Regin. Filiuc.* et alii; vel, ut probabiliter vult *Vasq.* pœnitentis. Ratio est, quia est actus jurisdictionis, vel saltem auctoritativa declaratio; ergo debet fieri à superiore. Porro nomine



» Episcopi etiam intelliguntur Prælati habentes jurisdictionem  
 » episcopalem, ut quidam Abbates, et Capitulum Sede vacante,  
 » non autem Provinciales, aut Generales Ordinum. \* (Epis-  
 » copus confirmatus, etsi nondum consecratus, recte potest  
 » approbare, quia jam habet jurisdictionem. Secus, si sit tan-  
 » tum electus, et non confirmatus; vel qui Episcopatum renun-  
 » ciavit, quia tunc jurisdictione caret. *Salm. de Pœnit. c. 11.*  
 » n. 96. cum *Lugo*, et *Croix l. 6. p. 2. n. 1495.* \*)

548. — Queritur, à quonam Ordinario habenda sit approba-  
 tio? Tres sunt sententiæ. *Prima* docet habendam esse ab Ordinario pœnitentis; quia ad illum spectat, cui vult suas oves committere, et erga ipsas jurisdictionem concedere. Ita *Vasq.* apud *Busemb. hic*, qui probabile vocat: et ita plurimi DD. apud *Suar.* ut testantur *Salm. de Pœnit. c. 11. n. 99* Hinc *Salm. d. l. n. 100. circa fin.* tenent, Confessarium approbatum ab Episcopo pœnitentis posse excipere ejus Confessionem in alia Diœcesi, si ibi peregrinetur, sine loci Ordinarii approbatione. Hanc *Croix l. 6. p. 2. n. 1516.* vocat non improbabilem, saltem (ut ait) pro Parocho, vel Confessario magnatum, qui respectu illorum habetur pro Parocho. Sed quoad Parochum respectu subditorum, recte affirmant *Salm. d. l. c. 11. n. 55.* ex communi, et ex Decreto S. C. relato n. 544. dub. 1. Quoad delegatum verò etiam dicunt ex *Lugo, Suar. etc.* posse istum absolvere subditos delegantis, ubicumque eos reperit. Et ita etiam tenent *Busemb. dub. 3. seq. n. 2.* cum *Suar. Henr. Sanch. et aliis.*

*Secunda* sententia docet, requiri approbationem ab Ordinario Sacerdotis. Ita *Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 7. punct. 4. § 1. n. 15* et *16. Viva de Pœnit. q. 8. art. 3. n. 3. cum Con. et Lugo, etc.* et ita *Suar. et Pal.* apud *Croix d. l. n. 1516.* Ratio, quia approbatio, cum sit actus jurisdictionis, nequit exerceri nisi in subditum. Sed *Bon. et Viva l. c.* recte explicant hanc sententiam cum *Pal.* apud *Salm. d. l. n. 99.* et dicunt ad hoc satis esse, si Sacerdos approbandus, quamvis exterus, subditus fiat Episcopi approbantis ratione domicilii, vel saltem habitationis pro illo tempore; ita etiam *Busemb. hic n. 2.* Et talis revera est praxis universalis.

*Tertia* sententia, quam probabiliorē putant *Croix d. n. 1416. Carden.* cum *Nao. Barbos.* et pluribus aliis apud *Salm. a. n. 96.* docet ex communi praxi fidelium approbationem petendam esse ab Ordinario loci, ubi Confessiones excipiuntur. Nec obstat dicere, quòd jurisdictione erga pœnitentes non concedatur nisi ab ipsorum Episcopis. Nam hoc ipso, quòd quis vult confiteri in aliquo loco, quoad hoc subditus fit Ordinarii illius; vel saltem hoc valet ex consensu generali, sive conniventia Episcoporum, à quibus data præsumitur jurisdictio erga proprias oves ob bonum ipsarum cuiusque Sacerdoti approbato ab Episcopo loci, ubi confessio fit. Ita *Viva de Pœnit. q. 90. art. 3. n. 6. in fn. Salm. c. 11. n. 99.* Et hæc ultima sententia hodie est omnino tenenda cum *Roncag. de Sacram. Pœnit. c. 1. q. 6.* ex Bulla,

Cum sicut Innocent XII, edita ann 1700. die 10 Aprilis, (relata per extensum apud *Salm. tr. 8. de Privileg. c. 4. n. 80.*) ubi sic sancitum fuit: « Confessarios tam seculares, quam regulares quicumque illi sint, in vim... Bullæ Cruciatæ... nullatenus confessiones audire valeant sine approbatione.... Episcopi... loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, et Confessarios eligunt... Neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Diœcesium obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint. » Deinde Pontifex declarat alias Confessiones fore invalidas, et Confessarios suspensos etc. « reprobata tanquam falsa, et temeraria quacumque contraria opinione. » Et constat ex eadem Bulla Pontificem locutum fuisse ex cathedra, ut ostendunt *Salm. l. c. n. 81.* Bullam Innocentii nuper confirmavit Summus Pontifex Bened. XIV per aliam Bullam, quæ incipit, *Apostolica* etc. Scribit. *Mazzotta de Pœnit. disp. 2. q. 1. c. 3. §. 1.* has præfatas Bullas minimè elidere probabilitatem primæ sententiæ *Suarii etc.* ut supra; ait enim Bullam Innocentii emanatam fuisse ob querelas Episcoporum Portugalliæ, quæ sui subditi sine ipsorum licentia Confessarios eligebant per alios Ordinarios approbatos, etiamsi iidem alii Ordinarii repugnassent vel approbationem revocassent. Hinc dicit minimè reprobatam fuisse sententiam, quòd Confessarius secularis approbatus in aliquo loco possit absolvere subditos illius in alia Diœcesi peregrinantes. Sed huic opinioni non acquiesco; nam in primis invenio titulum illius Bullæ Innocentianæ fuisse sic descriptum (apud *Salm. l. c. num. 88.*): « Sanctissimi Domini Nostri Innoc. Papæ XII Decretio... cum damnatione opinionis asserentium facultatem hujusmodi habere locum, etiamsi Confessarius non fuerit approbatus ab Ordinario loci, in quo Confessiones excipi contingunt. » Nota *Loci in quo etc.* Deinde in ipsa Bulla legitur, ut supra, Papam nullas declarasse Confessiones, quæ fiunt « sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt. » Quid clarius? Si autem adhuc cum privilegio Bullæ Cruciatæ requiritur approbatio ab Episcopo loci, quanto magis sine privilegio? Verùm *Salm. n. 111.* contra *Roncaglia cap. 1. qu. 6.* dicunt oppositam sententiam non esse hac Bulla damnatam, si quis privilegium haberet generis diversi, quam Cruciatæ, puta Jubilæi, vel simile. Sed huic obstat Bulla Benedicti XIV quæ incipit, *Benedictus Deus* (in *Bull. t. 3. n. XXVII. §. 4.*) ubi dicitur, quòd detur facultas in Jubilæo tam secularibus, quam Regularibus eligendi sibi Confessarium, modò sit ex approbato ab Ordinario loci, Moniales verò ex eadem possunt sibi eligere Confessarium, sed non nisi ex approbato ab Confessione Monialium in illo loco, quamvis pro aliis Monasteriis.

349. — « 1. Religiosi, etiam exempti, debent approbari ab Episcopo loci, in quo degunt: quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi.

Et hoc certum est ex Brevi Innocentii X apud *Salm. de Pœn.*

c. 11. n. 97. ubi Pontifex sic statuit: «Regulares in una Diœcesi approbati non posse in alia Confessiones audire sine approbatione Episcopi illius.» Et idem statuit Innoc. XIII in Bulla Apostolici Ministerii, (confirmata à Benedicto XIII per aliam Bullam appositam in calce Concilii Romani) ubi dicitur: «Declaramus Sacerdotes tam seculares, quam regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones limitatam vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Pœnitentiæ Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus præscriptum, quocumque privilegio etiam in vim Bullæ Cruciatæ nullatenus suffraganturo.»

530. — «2. Episcopus in sua Diœcesi non potest approbare Sacerdotem alienum, nisi subdatur illi, saltem ad tempus.

«3. Episcopus potest approbare per se, vel Vicarium generalem, vel alios quoscumque deputatos; quia non est actus Ordinis, sed jurisdictionis.» (Vide n. 588.)

«4. Approbatio potest fieri cum restrictione ad certum genus personarum, locum, tempus; etc. *Nuo. Suar. Vasq. contra Vegam.*

«5. Episcopus peccat, si Sacerdoti (præsertim regulari) idoneo, sine causa sufficienti neget approbationem. *Bonac. Vasq. art. 3. d. 3. Card. de Lugo d. 21. sect. 3. n. 54. Sanch. etc.*

531. — «6. Approbatio semel absolutè concessa, non tantùm non extinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest sine justa causa: ex causa tamen, v. g. mutatione morum, iudicii, etc. potest, ut docent *Suar. Fill.* et alii. Quòd si fiat absque causa rationabili, *Conin. Suar.* et quidam alii censent revocationem esse nullam» (Et hanc vocant satis probabilem *Lugo de Pœnit. d. 21. n. 64. Pal. de Pœnit. p. 18. §. 4. n. 6. Salm. c. 11. n. 107. cum Dic. Ratio*, quia, ut dicunt, Episcopus non videtur posse auferre sine justa causa jus jam acquisitum

à Confessario. Excipit *Fag. apud Palaum*, si Episcopus approbet pro suo beneplacito: sed *Palaus* hoc non admittit, quia intelligendum semper est de beneplacito justo. At hanc opinionem vix in praxi probabilem censeo, quia iniustitia revocationis deberet esse luce clarior, et abesse quodcumque hallucinationis periculum; sed hoc vix accidere potest, cum innumeræ possint esse causæ justæ apud Episcopum revocandi approbationem, quæ ignorentur à Confessario; ) alii illicitam tantùm, *Fill. t. 7. cap. 9. quæst. 12.* In dubio autem, an ex justa causa revocatio sit facta, præsumendum esse pro Prælato, docet *Card. de Lugo. n. 67.*

532. — «7. Ex justa causa possunt, præsertim à successore Episcopo, ad examen revocari, non tantùm seculares, sed etiam regulares. Docent tamen quidam, Mendicantes habere privilegium, ut non possint revocari ab eodem, à quo ante sunt approbati; sed contrarium docent *Suarez et Lugo d. 21. n. 61*

» et 62.» (Et hæc sententia hodie omnino tenenda, cum *Alexander VII* (ut refert *Cabassut. T. J. lib. 1. cap. 10. n. 13.*) in causa *Aniægaensis Episcopi, et Regularium Societatis Jesu et aliorum Ordinum, sequentem propositionem die 30 Januarii 1659* tanquam temerariam et erroneam damnarit, quæ dicebat: Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare. Nec tenetur de tali revocatione Episcopus ulli rationem reddere, ut statutum refert *Cabassut. T. J. l. 1. c. 1. num. 14 à Rege Christianissimo cum Consilio status Regni die 4 Martii an. 1669.* Et cum ab Episcopo approbatio limitatur quoad locum, tempus, aut personas, Confessarius, sive secularis, sive regularis, nequit alio modo uti illa ob quodcumque Privilegium, etiam Bullæ Cruciatæ; ita declaratum fuit in Bulla Apostolici ministerii, edita à *Clemente XII, per Hispanias, et confirmata postea à Benedicto XIII per totum Orbem, ut refert Bened. XIV in Bulla, Apostolica indulta §. 3. in Bullar. Tom. I. n. 100.*)

«8. An approbatus ab uno Episcopo possit in alia Diœcesi, sine nova approbatione, recipere jurisdictionem, controvertunt Doctores: ac licet utraque sententia olim videri poterit probabilis, post decretum tamen *Urbani VIII 1628, apud Lugo d. 21. sect. 2. n. 29.* negativa omnino tenenda est.» (Item hoc certum ex *Brevi Innoc. X, et ex Bulla Innoc. XII, juxta dicta num. 549.*) Vide *Aversam, quæst. 16. sect. 8.* (Item advertendum, quòd *S. Pius V in Constit. Romani dixit, quòd Regulares approbati ab Episcopo antecessore poterunt iterum examinari à Successore, et si minus idonei reperti fuerint reprobati. Hinc inferunt Syloester, Miranda, Fagund et alii apud F. Ferraris, quòd Vicarius Capitularis nequeat Regulares revocare ad examen, nec eos privare facultate excipiendi Confessiones, nisi facultas data sit ab Episcopo, ad nostrum beneplacitum, tunc enim morte Episcopi illa expirat. )*

533. — Notanda hic ultimò sunt duo Decreta SS. Pontificis nostri *Benedicti XIV. Sacramentum, et Apostolici muneris*, (Vid. in *Tom. IX* inter Decreta N. I et II.), quibus declaratum fuit, Confessarium omnino carere jurisdictione ad absolvendum peccatum compliciturpe contra sextum Præceptum, atque excommunicat. papalem incurrere, si Confessionem compliciturpe excipere audeat. Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, nimirum articuli mortis, in quo permittitur ei absolvere complicem, modo deficiat quicumque alius, etiam simplex Sacerdos, qui absolutionem impertiri possit; nisi nequeat alius ille Sacerdos vocari, vel accedere sine gravi infamia, aut scandalo; tenetur tamen Confessarius complex talia pericula infamiæ, aut scandali evitare, si potest, sub eadem pœna excommunicationis, licet tunc validè absolveret, si non adverteret. (V. *Not. I, pag. 363.*)

534. — Circa tale Decretum adverte I. quòd nomine peccati turpis venit omne peccatum externum grave contra sextum Præ-

ceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium, ut certè dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc iudicio, ab aliis immeritò in dubium revocato. Et idem sentiunt *Salm. Append. de Bulla Cruciatæ cap. 6. p. 169. n. 282.* contra aliquos, qui dicebant Bullam intelligendam tantum de copula consummata. Ratio nostra est 1. quia verba generalia generaliter accipienda sunt. 2. Quia leges etiam pœnales sunt in sensu proprio et naturali interpretandæ, et in sensu naturali verba Bullæ: «In peccato turpi atque inhonesto contra sextum præceptum,» quæcumque peccata turpia sine dubio comprehendunt. 3. Quia finis legis hujus est quidem removere occasiones, non tantum copulæ, sed omnis turpitudinis à sanctitate tribunalis Pœnitentiæ. Contra verò non comprehenduntur peccata venialia inhonestatis, sive sint ex parvitate materiæ, sive ex defectu advertentiæ, aut consensûs; quia venialia non sunt de obligatione in Confessione manifestanda; ita *Salm. ib. n. 277.* Idem rectè dicunt etiam *n. 278.* de mortalibus merè internis, vel non plenè exterius significatis: quapropter peccatum non erit reservatum, quamvis interius fuerit grave, si etiam exterius grave non fuerit, ut aiunt *n. 279.* Addunt *n. 280.* ex *Suarez, Dicast. et Anæcl.* nec reservata esse mortalia dubia, ex dubio facti, vel juris, quia non videntur Superiores velle reservare dubia, nisi expressè declarent; et hoc est juxta communem sententiam, quam proferemus infra *n. 600. vers. Quar. I.* Idem censent *Salm. cit. n. 280.* si adsit dubium, an pœnitens graviter peccaverit, licet Confessarius certum mortale commiserit; quia Bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi, ut ipsi antecederent dixerunt *n. 241.*

355. — Adverte II. quòd absolutio à Confessario complici impertita irrita est, ut sentio, etiam quoad mortalia, quæ complex, qui nondum ab alio de peccato turpi fuerit absolutus, ipsi confiteatur. Hoc infero ex verbis ejusdem Bullæ ubi dicitur: «Atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino sit.» Secus verò censeo, si de peccato turpi ille jam fuerit absolutus, quia tunc cessat dispositionis suspicio, ob quam Pontifex jurisdictionem Confessario abstulisse videtur. Addunt *Salmant. Append. cit. n. 277.* idem dicendum de peccato mortali commisso et legitime confesso ante expeditionem Bullæ, quia lex non respicit retro, ut docet *P. Suarez.*

356. — Quæstio autem fit 1. an incurrat hanc excommunicationem Sacerdos, qui complicem non absolvit, sed tantum in Confessione audit? Super hoc dubio consului sacram Pœnitentiariam quæ die 9 Julii 1751 respondit absolutè: «Non vitari excommunicationem à prædicto Confessario per fictionem absolutio- nis.» Et huic sententiæ ego jamdudum adhæsi; sed postea, cum percurrissem Constitutionem ejusdem Pontif. Bened. XIV *Inter Præteritos*, pluries citatam in §. 59. oppositum satis declaratum reperi, ut patet ex sequentibus verbis: «Non minùs Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum Confessio- nem excipit pœnitentis, EUMQUE ABSOLVIT, vel qui in

articulo mortis ABSOLVIT, cum alius Sacerdos non desit... » excommunicationis majoris pœna à nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit. »

Quæritur hinc 2. an Episcopus ex concessione Tridentini in *cap. Licet 6. sess. 24.* possit absolvere Confessarium, qui complici in peccato turpi absolutionem impertierit? Videtur ex una parte negandum: nam si Episcopus vel alius ab eo delegatus possent hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et elusoria; casus enim hic non potest nisi occultè accidere; cum autem aliqua lex posterius (ut rectè ait *Fagnan. in cap. Nonnulli de Rescript. n. 46. tom. 1. pag. 171. cum Oltrad.*) non potest habere effectum, nisi derogetur privilegio ab eodem Superiore priùs concessio, per ipsam necessariò intelligi debet facta generalis privilegii derogatio, ne lex frustratoria reddatur. Et idem sentit *Diana p. 7. tract. 2. res. 21.* cum aliis, sic dicens: «Quòd si clausula (vel aliqua lex) generalis nequeat vera reddi, nisi in eo solo casu, contra Concilium, debet hæc generica derogatio reputari pro specifica, alias nullius esset momenti.» Attamen probabiliter videtur posse dici, quòd, etiam salva facultate Episcopis à Concilio impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur inutilis, et elusoria, tum quia, licet ordinariè hic casus occultus sit, tamen aliquando potest accidere quòd sit publicus; tum quia lex reservationis saltem Romæ locum haberet, et in omnibus aliis locis, ubi Tridentinum non est receptum, et ubi nequeunt quidem Episcopi præfata facultate uti; ut docent communiter *Suarez de Censur. d. 14. sect. 2. n. 6. Sanch. Dec. lib. 2. c. 11. n. 2. Salmant. de Pœnit. cap. 13. n. 3. cum Alter. et Castrop. tom. 1. tract. 4. d. p. 3. §. 1. n. 2. cum Barbosa et Garcia;* quia Concilii facultas media receptione eis conceditur non enim fas est, ut fruantur privilegiis, qui onera repellunt. Et idem nobiscum sentiunt *Salmant. Append. tract. VI. de Bulla Cruciatæ cap. 6. pag. 171. n. 300.* Ibi quoque pro hac sententia plures citant Auctores, qui super Constitutionem *Sacramentum*, supra citatam recenter scripserunt.

## DUBIUM III.

Quid, et quotuplex sit jurisdictio Confessarii, et unde eam habeat.

357. Quid est Jurisdictio, et quis habeat ordinariam? — 358. An habeat Vicarius Generalis contradicente Episcopo? Et qui possint eam delegare? — 359. An delegatio expiret morte delegantis? — 360. An hæretici, et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis? — 361. An omnes Sacerdotes possint absolvere tam in articulo, quàm in periculo mortis? Et quale censeatur hujusmodi periculum? — 362. An simplex Sacerdos possit absolvere præsentè approbato? — 363. In quibus autem casibus possit licite absolvere? Dub. I. An quivis Confessarius possit absolvere moribundum

ceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium, ut certè dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc iudicio, ab aliis immeritò in dubium revocato. Et idem sentiunt *Salm. Append. de Bulla Cruciatæ cap. 6. p. 169. n. 282.* contra aliquos, qui dicebant Bullam intelligendam tantum de copula consummata. Ratio nostra est 1. quia verba generalia generaliter accipienda sunt. 2. Quia leges etiam pœnales sunt in sensu proprio et naturali interpretandæ, et in sensu naturali verba Bullæ: «In peccato turpi atque inhonesto contra sextum præceptum,» quæcumque peccata turpia sine dubio comprehendunt. 3. Quia finis legis hujus est quidem removere occasiones, non tantum copulæ, sed omnis turpitudinis à sanctitate tribunalis Pœnitentiæ. Contra verò non comprehenduntur peccata venialia inhonestatis, sive sint ex parvitate materiæ, sive ex defectu advertentiæ, aut consensûs; quia venialia non sunt de obligatione in Confessione manifestanda; ita *Salm. ib. n. 277.* Idem rectè dicunt etiam *n. 278.* de mortalibus merè internis, vel non plenè exterius significatis: quapropter peccatum non erit reservatum, quamvis interius fuerit grave, si etiam exterius grave non fuerit, ut aiunt *n. 279.* Addunt *n. 280.* ex *Suarez, Dicast. et Anac.* nec reservata esse mortalia dubia, ex dubio facti, vel juris, quia non videntur Superiores velle reservare dubia, nisi expressè declarent; et hoc est juxta communem sententiam, quam proferemus infra *n. 600. vers. Quar. I.* Idem censent *Salm. cit. n. 280.* si adsit dubium, an pœnitens graviter peccaverit, licet Confessarius certum mortale commiserit; quia Bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi, ut ipsi antecederent dixerunt *n. 241.*

355. — Adverte II. quòd absolutio à Confessario complici impertita irrita est, ut sentio, etiam quoad mortalia, quæ complex, qui nondum ab alio de peccato turpi fuerit absolutus, ipsi confiteatur. Hoc infero ex verbis ejusdem Bullæ ubi dicitur: «Atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino sit.» Secus verò censeo, si de peccato turpi ille jam fuerit absolutus, quia tunc cessat dispositionis suspicio, ob quam Pontifex jurisdictionem Confessario abstulisse videtur. Addunt *Salmant. Append. cit. n. 277.* idem dicendum de peccato mortali commisso et legitime confesso ante expeditionem Bullæ, quia lex non respicit retro, ut docet *P. Suarez.*

356. — Quæstio autem fit 1. an incurrat hanc excommunicationem Sacerdos, qui complicem non absolvit, sed tantum in Confessione audit? Super hoc dubio consului sacram Pœnitentiariam quæ die 9 Julii 1751 respondit absolutè: «Non vitari excommunicationem à prædicto Confessario per fictionem absolutio- nis.» Et huic sententiæ ego jamdudum adhæsi; sed postea, cum percurrissem Constitutionem ejusdem Pontif. Bened. XIV *Inter Præteritos*, pluries citatam in §. 59. oppositum satis declaratum reperi, ut patet ex sequentibus verbis: «Non minùs Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum Confessio- nem excipit pœnitentis, EUMQUE ABSOLVIT, vel qui in

articulo mortis ABSOLVIT, cum alius Sacerdos non desit... » excommunicationis majoris pœna à nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit. »

Quæritur hinc 2. an Episcopus ex concessione Tridentini in *cap. Licet 6. sess. 24.* possit absolvere Confessarium, qui complici in peccato turpi absolutionem impertierit? Videtur ex una parte negandum: nam si Episcopus vel alius ab eo delegatus possent hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et elusoria; casus enim hic non potest nisi occultè accidere; cum autem aliqua lex posterius (ut rectè ait *Fagnan. in cap. Nonnulli de Rescript. n. 46. tom. 1. pag. 171. cum Oltrad.*) non potest habere effectum, nisi derogetur privilegio ab eodem Superiore priùs concessio, per ipsam necessariò intelligi debet facta generalis privilegii derogatio, ne lex frustratoria reddatur. Et idem sentit *Diana p. 7. tract. 2. res. 21.* cum aliis, sic dicens: «Quòd si clausula (vel aliqua lex) generalis nequeat vera reddi, nisi in eo solo casu, contra Concilium, debet hæc generica derogatio reputari pro specifica, alias nullius esset momenti.» Attamen probabiliter videtur posse dici, quòd, etiam salva facultate Episcopis à Concilio impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur inutilis, et elusoria, tum quia, licet ordinariè hic casus occultus sit, tamen aliquando potest accidere quòd sit publicus; tum quia lex reservationis saltem Romæ locum haberet, et in omnibus aliis locis, ubi Tridentinum non est receptum, et ubi nequeunt quidem Episcopi præfata facultate uti; ut docent communiter *Suarez de Censur. d. 14. sect. 2. n. 6. Sanch. Dec. lib. 2. c. 11. n. 2. Salmant. de Pœnit. cap. 13. n. 3. cum Alter. et Castrop. tom. 1. tract. 4. d. p. 3. §. 1. n. 2. cum Barbosa et Garcia;* quia Concilii facultas media receptione eis conceditur non enim fas est, ut fruantur privilegiis, qui onera repellunt. Et idem nobiscum sentiunt *Salmant. Append. tract. VI. de Bulla Cruciatæ cap. 6. pag. 171. n. 300.* Ibi quoque pro hac sententia plures citant Auctores, qui super Constitutionem *Sacramentum*, supra citatam recenter scripserunt.

## DUBIUM III.

Quid, et quotuplex sit jurisdictio Confessarii, et unde eam habeat.

357. Quid est Jurisdictio, et quis habeat ordinariam? — 358. An habeat Vicarius Generalis contradicente Episcopo? Et qui possint eam delegare? — 359. An delegatio expiret morte delegantis? — 360. An hæretici, et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis? — 361. An omnes Sacerdotes possint absolvere tam in articulo, quàm in periculo mortis? Et quale censeatur hujusmodi periculum? — 362. An simplex Sacerdos possit absolvere præsentè approbato? — 363. In quibus autem casibus possit licite absolvere? Dub. I. An quivis Confessarius possit absolvere moribundum

dum à reservatis, etiam præsente Superiore? Dub. II. An in morte, ad absolvenda reservata Papæ, adeundus sit Episcopus? Dub. III. An teneatur moribundus petere absolutionem à superiore, saltem per litteras, aut nuncium? — 364. An excommunicatus toleratus possit absolvere à venialibus? An Regulares possint absolvere sine approbatione Episcoporum? Et an omnes Sacerdotes ab Episcopo approbati possint Confessiones audire sine licentia Parochi? — 365. Qui et quomodo possint eligere sibi Confessarium? Dub. 1. Quomodo Episcopi, et alii Prælati? Dub. 2. Quomodo Cardinales? Et an Parochi? — 366. Quando habens potestatem delegatam possit eam subdelegare? Et quid de delegato ad universitatem causarum? — 367. An absolutus in morte à reservatis, teneatur postea se sistere superiori? — 368. Vide alia? — 369. A quo possint absolvi scholares, milites, peregrini, etc.? Capellani exercitus nequeunt absolvere milites degentes in Præsidii? — 370. An sufficiat facultas præsumpta excipiendi Confessiones? — 371. Quando liceat absolvere cum jurisdictione dubia, vel probabili? — 372. Qu. I. An error communis det jurisdictionem? — 373. Qu. II. An liceat ministrare Sacramentum cum jurisdictione tantum probabili? — 374. An sit obligatio confitendi Parocho? — 375. An Regulares itinerantes possint confiteri cuicumque Sacerdoti? — 376. An Moniales petentes extraordinarium, et non obtinentes, possint cuique confiteri? — 377. Plura notanda de Confessariis Monialium, et Militum in Præsidii.

357. — « RESP. Est auctoritas aliqua in alium, ut subditum, » in quem, in foro interno, accipit potestatem distinctam à potestate Ordinis; hæc enim datur per Sacramentum Ordinis, » et omni Sacerdoti, nec tolli potest illa per externam concessionem Ecclesiæ; nec omnibus Sacerdotibus, potestque ab iis tolli, » ac nisi adsit, invalida est absolutio, ex *Trid. sess. 14. can. 7.* » Est autem duplex: ordinaria, et delegata. Ordinaria est, quam » habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, » ut Papa, Episcopus, Parochus (huc revocantur Archiepiscopi erga subditos suorum Episcoporum, tunc tantum quando » actu visitant, Archipresbyteri, Archidiaconi, Prælati Religionum, Vicarius perpetuus Episcopi, vel etiam Parochi. »

358. — Queritur, an Vicarius Generalis Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam etiam in foro sacramentali, ita ut possit Confessiones audire, et aliis audiendi potestatem concedere? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Soto, Led. v. Archidiacon. et alii pauci ap. Salm. c. 11. n. 42.* Hi dicunt vicarium in solis causis civilibus jurisdictionem habere ordinariam, in spiritualibus verò delegatam ab Episcopo. Hocque probant 1. ex eo quòd mortuo Episcopo, cessat jurisdictio Vicarii. Probant 2. ex *Trid. Sess. 23. cap. 25.* ubi statuitur nullum posse audire Confessiones nisi approbatum ab Episcopo. *Secunda* tamen sententia communior et verior affirmat, eamque tenent *Azor. t. 2. l. 3. c. 43. Sylo. v. Confessio 1. q. 1. Fagn. in. c. Quod nobis. De clandest. desponsat. n. 45. Salm. c. 11. n. 43. cum Gran. Aversa, Fill. Dic. Boss. et Sanch. de Matr. lib. 3. d. 29. n. 15. cum Host.*

*Nao. Ang. Henr. Palac. Lop. etc.* Ratio, quia Vicarius Generalis, supposita nominatione Episcopi, jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus, quam in spiritualibus, non jam ab Episcopo, sed à Canone, cum faciat ipse unum tribunal cum Episcopo; ut habetur ex *c. 2. de Consuetud. in 6. et cap. Romana de Appellat. in 6.* Et confirmatur ex *Trid. Sess. 24. cap. 6. de Ref.* ubi, cum voluit Concilium excludere Vicarium à facultate absolvendi ab hæresi, id expressit dicens: *Eis tantum* (id est Episcopis,) non eorum Vicariis, sit permissum. Ergo supponit Tridentinum facultates Episcopi, nisi expressè à jure restringantur, intelligi communicatas etiam Vicariis. Ad 1. autem respondetur, quòd mortuo Episcopo cessat jurisdictio Vicarii, non quia ejus jurisdictio non sit ordinaria, sed quia deficiente Episcopo, desinit ipse esse Vicarius. Ad 2. respondetur, quòd ibi nomine Episcopi comprehenditur etiam Vicarius, qui (ut diximus) unum facit tribunal cum Episcopo.

« Delegata jurisdictio dicitur, quæ legitime datur ab habente » ordinariam, idque vel tacite, vel expressè, ut à Papa pro tota » Ecclesia, ab Episcopo pro Diocesi, à Parocho pro Parochia; et » hoc discrimine, quòd Papa possit dare invitis Episcopis, et » Parochis, non contra. Ac, licet exterior jurisdictio expiret » morte delegantis, non tamen hæc interior, nisi successor revoce- » vet, ut docent *Sanchez, Suarez, Navar. Conink. contra Sylo. et Vasq. Vide Laym. l. 5. c. 10. n. 22.* »

359. — An delegatio expiret morte delegantis? Distingue delegationem generalem à particulari. Delegatio generalis à Papa, communis est sententia et praxis, quòd non extinguitur per ipsius mortem, ex *c. 9. de Offic. Deleg. in 6.* Ita *Salm. de Pœnit. c. 11. n. 78. Conc. p. 545. n. 25.* et alii passim; nisi concessio facta fuerit hoc modo: *Usque ad beneplacitum nostrum*: vel, *Ad arbitrium nostræ voluntatis*, et simili; *Salm. n. 85.* Delegatio generalis autem ab Episcopo, alii sentiunt, quòd ejus morte extinguitur, si nondum Confessio cœpta sit, ut *Vasq. Sylo. etc.* Alii censent non extingui; donec revocetur à successore, vel præfixum tempus labatur; ita communius et probabilius *Sanch. de Matr. l. 8. d. 28. n. 72. Pal. tr. 3. d. 4. p. 16. §. 4. n. 3. Conc. pag. 545. n. 26. et Salm. d. c. 11. num. 80. cum Conc. Suar. Lug. Dic. et aliis.* Et hoc firmatur ex praxi, et regula generali, quòd gratiæ factæ non expirant finita jurisdictione concedentis.

Si verò delegatio fuit in particulari, scil. de audienda alicujus tantum Confessione, rectè *Sal. d. c. 11. nu. 69.* cum *Sanch. Lugo. etc.* tenent, quòd expirat morte concedentis, nisi Confessio jam fuerit incepta.

360. — « Porro hujusmodi potestatem delegatam absolvendi » quemcumque à quibuscumque peccatis, in articulo, seu pe- » riculo mortis (hæc enim pro eodem sumuntur in jure, ut vid. » *Dian. p. 3. tr. 4. res. 57. 71 et 72.*) habet ex jure communi » quivis Sacerdos, etiam excommunicatus, et degradatus, si

» alius desit. \* (ut etiam ait Sanch. Dec. l. 2. c. 13. num. 5. cum  
 » Zambr. et pluribus. Sed vide mox dicendum.) \* »  
 Quær. I. An hæretici, schismatici, et excommunicati vitandi  
 possint absolvere in articulo mortis, si alius desit? Prima sen-  
 tentia affirmat, et hanc tenent Nav. Man. c. 27. n. 272. Sanch.  
 Dec. l. 2. c. 13. n. 5. et Salm. c. 11. n. 20. cum Suar. Vasq.  
 Palud. Lugo, Soto, Sylo. etc. Et probant ex Trid. Sess. 14. c. 7.  
 ubi dicitur: « In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla  
 » sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes  
 » quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere  
 » possunt. » Secunda verò sententia sequenda negat, et hanc  
 tenet S. Th. 2. p. 2. q. 82. a. 7. ad 2. ubi loquens de prædictis  
 abscessis à communione Ecclesiæ, dicit: « Possunt licitè bap-  
 » tizare in articulo necessitatis, in nullo autem casu licitè pos-  
 » sunt Eucharistiam consecrare, vel alia Sacramenta conferre. »  
 Nec obstat quòd S. Doctor dicat, in nullo, licitè, non autem  
 invalidè; nam illicitè in nostro casu idem est, ac invalidè; si  
 enim posset excommunicatus vitandus infirmo in articulo mortis  
 validè ministrare Sacramenta, teneretur utique ea ministrare  
 (præsertim Sacramentum Pœnitentiæ) ex præcepto divino, et  
 naturali, cui non posset obstare præceptum humanum Ecclesiæ.  
 Idem dicunt Fagnan. in c. Non est vobis, de Sponsal. etc. per  
 totum. Petroc. t. 4. p. 158. qu. 8. Auctor. ap. Croix de Offic.  
 Confess. l. 1. c. 1. v. Dico. 2. Conc. p. 576. n. 21. (qui hanc  
 probabiliorum vocat, licet contrariam putet non improbabilem),  
 et alii plures ut infra, qui scripserunt ante Concilium, quo  
 tempore ipse Navarrus l. c. fatetur nostram sententiam fuisse  
 communem. Ratio quia (ut dicimus n. 562. v. Id clarius) Con-  
 ciliium in cit. c. 7. minimè loquitur de simplicibus Sacerdotibus,  
 sed de carentibus jurisdictione in casus reseratos, qua non  
 carere declarat in articulo mortis; tum quia Tridentinum (ut  
 ibid. probamus) ibi non condidit jus novum, sed tantum jus  
 antiquum Ecclesiæ approbavit: ante autem Concilium, ut probat  
 Fagn., et ipse Nav. fatetur, communis erat sententia, quòd  
 præcisi ab unitate Ecclesiæ absolvere non possent. Et ita decla-  
 ravit S. C. Gener. Concilii apud Fagn. n. 2. ubi sic habetur:  
 « Quæsitum fuit ab Episcopo Valentiniensi an pœnitentes in  
 » articulo mortis possit à casibus reservatis absolvere quilibet  
 » Sacerdos excommunicatus et denunciatus? S. C. Generalis  
 » censuit non posse, quia communis videtur illa sententia quòd  
 » tales excommunicati non possint absolvere etiam in hoc casu  
 » necessitatis; ita Mag. Sent. S. Thom. Ricch. S. Ant. Scotus,  
 » Durand. Turr. etc. contra Pal. Sylvest. et Soto. Nec obstat  
 » cap. 7. de Casuum reservatione, quia debet intelligi de omnibus  
 » Sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus: referendumque  
 » (notu) ad eos Sacerdotes, de quibus eod. c. 7. in prima et  
 » secunda parte agitur, qui habent vel ordinariam vel delega-  
 » tam potestatem. » Hucusque verba Declarationis. Unde ait  
 Fagnanus, quòd DD. post Concilium ideo oppositam senten-

tiam tenuerunt, quia ignorarunt præfatam Declarationem  
 S. Congregationis Concilii. His tamen non obstantibus, rectè  
 dicit Continuator Tournely, quòd in hoc casu bene poterit Sa-  
 cerdos hæreticus, vel excommunicatus vitandus (absente alio)  
 absolvere moribundum sub conditione, quia in extrema, vel  
 urgente necessitate ex communi sententia Doctorum, ut diximus  
 n. 482. vers. Sed dices, cum Juenino, Sanch. Carden. Soto. Na-  
 varr. Croix, et aliis, licitum est uti opinione adhuc tenuis proba-  
 bilitatis. Imò dicit præfatus Cont. Tournely t. 6. de Pœnit.  
 n. 663. quòd sicut olim communis erat secunda sententia, hodie  
 communis est inter DD. prima affirmativa: quamvis enim Con-  
 ciliium loco citato novam legem non condidisset, tamen ex aliis  
 verbis, quæ ibi leguntur, Ne hac occasione aliquis pereat, satis  
 eruitur intentio Ecclesiæ, quòd in casu necessitatis bene possit  
 vitandus moribundum absolvere, aliàs jam aliquis perire posset.  
 Idem sentit Syloius qu. 8. a. 6. cum Cano, Sylvestro, et Angelo;  
 respondetque ad doctrinam S. Thomæ, sic eam intelligi, nempe  
 quòd Sacerdos excommunicatus in casu mortis solum Baptis-  
 mum licitè ministrat, tunc enim non operatur ut minister Ec-  
 clesiæ ad id deputatus, sed ut quilibet homo, qui in necessitate  
 baptizat; sed in aliis Sacramentis, eò quòd debet illa ut minister  
 conferre, ideo debet ea ministrare in gratia manens. Præterea  
 citatus Auctor (Cont. Tourn.) addit id quòd refert Cardinalis  
 Albitius p. 1. de Inconst. etc. c. 18 et 19, nempe quòd Decla-  
 ratio supra relata non reperitur in Registro S. Congregationis,  
 signum quòd illa vel foras non exierit, vel quòd in desuetudinem  
 abierit, tanquam communi sententiæ opposita. Item refert, quòd  
 cum hujusmodi dubium ad Innocentium XI delatum fuisset,  
 Pontifex præcepit non ampliùs dubitandum de veritate primæ  
 sententiæ affirmativæ. Et hanc sequitur etiam P. Ferraris t. 5.  
 Bibl. v. Moribundus nu. 33. ad 39. innixus auctoritati prædicti  
 Card. Albitii.

561. — Quæritur II. An quilibet Sacerdos possit absolvere à  
 quibuscumque peccatis, et censuris non solum in articulo, sed  
 etiam in periculo mortis? Negant Canus Relect. p. 5. pag. 145.  
 et Soto, Coe. Graff. et Ledesm. ap. Salm. c. 11. n. 23. Sed verius  
 et communiùs affirmant Suar. D. 26. R. 4. n. 43. Sanch. Dec. l. 2.  
 c. 13. n. 1. Pal. p. 13. n. 7. et Salm. n. 24. cum Nav. Sylo. Lugo,  
 Bon. Palud. Vasq. Vill. Trull. et aliis. Ratio, quia in hac materia  
 pro eodem accipitur articulus, et periculum, ut patet ex c. Si  
 quis suadente 29. caus. 17. q. 4. ubi: « Nullus Episcoporum  
 » illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo. » In  
 tali enim periculo quisque existens in mortali eodem modo tenetur  
 confiteri, ac si esset in articulo. Consentit Conc. p. 542. nu. 15.  
 modò tale periculum sit adeo grave, ut vix distingui certò possit  
 ab articulo: sed verius sufficere videtur, quòd adsit prudens  
 timor mortis ex illo periculo eventuræ.

Tale autem periculum censetur adesse in prælio, in longa  
 navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso, et similibus,

ut *Sanch. l. c. n. 9. Salm. d. 1. n. 28.* Idem de eo, qui est in periculo probabili incidendi in amentiam, n. 27. Idem de captivis apud Infideles cum exigua spe libertatis, si credantur nullos alios Sacerdotes habituri. V. *ib.*

362. — Queritur III. An Sacerdos simplex possit pœnitentem absolvere moribundum, etiam præsente Confessario approbato? Prima sententia communissima negat, et hanc tenent *Sanch. Dec. l. 2. c. 13. n. 7. Suar. d. 26. s. 4. n. 4. Molina de Just. t. 4. D. 63. Az. t. 1. l. 8. c. 19. q. 5. Bon. q. 7. p. 1. n. 16. Carden. in 2. Crisi D. 2. n. 424. Antoine p. 528. q. 3. Pal. p. 13. n. 8. Lugo D. 18. n. 24. cum Sylo. Soto, Arm. Coe. Rosell. Graff. etc. Mazz. t. 3. p. 393. dub. 1. cum Vasq. Con. et Laym. ac Salm. c. 11. n. 30.* cum pluribus aliis. Probatum ex Trident. Sess. 14. c. 7. ubi dicitur: « Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant. » Ex quibus verbis duplex colligitur ratio pro hac sententia. Prima quia, cum ibi dicatur, in *Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, inferitur, Concilium non constituisse jus novum, sed tantum antiquam Ecclesie consuetudinem declarasse et approbasse, nempe quod Sacerdotes simplices tunc solum absolverent, quando deest copia Confessarii approbati, hancque antiquam consuetudinem probant AA. citati ex cap. *Presbyteris 25. q. 6. c. Inter cunctos, §. Incendiarii de Priore.* et aliis textibus. Secunda ratio, quia ideo Ecclesia in articulo mortis omnibus Sacerdotibus facultatem præbet absolvendi à quibusvis peccatis, quia tunc extrema urget necessitas, et Ecclesia eis jurisdictionem confert, *ne aliquis pereat*; at hæc ratio cessat, quando adest Sacerdos approbatus. Et *Mol. l. c.* testatur ita declaratum fuisse à Gregor. XIII. Secunda verò sententia affirmat, et hanc tenent *Sa v. Absolutio n. 3. Sayr. Dec. 21. Nav. Cons. 15 aut 23 de Pœnit. Barbosa in Trid. l. c. n. 12. cum Vega, Led. Reg. Valer. Homob. Boss. etc.*; item *Comit. Henr. Vill. Angles, Conrad. Diana, Marchin. etc. apud Lugo Dist. 18. n. 23.* Atque probabilem putant *Viva q. 8. a. 2. n. 5. Sporer, n. 725. Elbel n. 628. et Lugo l. c.* ubi improperat *Turrianum*, qui vocat eam improbabilem, et damnatam à Gregor. XIII; nam, ait *Lugo*, quod de enunciata Declaratione non constat authenticè, et proinde sic loquitur: « Certè sententia quam tot et tam graves DD. tenent, negari non potest quin probabilis sit; præsertim cum fundetur in verbis Tridentini, quæ non facile explicari possunt ab adversariis. » Ratio igitur hujus sententiæ est, quia à Concilio videtur indistinctè concessa omnibus Sacerdotibus potestas absolvendi tempore mortis ad salutem animarum faciliorem reddendam,

dam, verbis illis: « Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » Ubi autem lex non distinguit ( commune axioma est ), nec nos distinguere debemus. Neque ex ullo textu dicuntur compertum haberi, quod ex antiqua consuetudine prohiberentur simplices Sacerdotes absolvere moribundos præsente approbato; textus enim oppositi ( ut aiunt ) non loquuntur de absolutione Sacramentali, sed de reconciliatione publicorum pœnitentium cum Ecclesia; aut sanè id asserunt de absolutione censurarum reservationarum, quæ ( ut infra dicetur ) nequeunt utique absolvi ab inferiore, præsente Superiore.

His tamen non obstantibus puto non recedendum à prima sententia, ob auctoritatem Ritualis Romani ( *de Sacram. Pœnit. sub initio* ), ubi sic dicitur: « Sed si periculum mortis immineat, approbatusque ( nota ) desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris et peccatis absolvere. » Possunt igitur simplices Sacerdotes absolvere, si desit approbatus Confessarius; ergo non possunt, si adsit approbatus. Quo insuper Rituale clarè videtur astruere hanc fuisse priscam Ecclesie consuetudinem, dum Paulus V in sua Bulla, per quam hoc Rituale approbat, dicit: « Restabat, ut uno volumine comprehensi sacri et sinceri Catholice Ecclesie Ritus, qui in Sacramentorum administratione servari debent, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent. » Deinde asserit se « receptos et approbatos Catholice Ecclesie Ritus suo ordine digestos conspexisse. » Tandem sic concludit: « Hortamur in Domino Patriarchas, Episcopos, Parochos, etc. ut in posterum Ecclesie Romanæ constituto Rituali in sacris functionibus utantur; et in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis ( nota ) statuit, inviolatè observent. » Ergo hoc quod præscribitur in Rituali de absolutione moribundi, satis declarat Pontifex à probato usu antiquitatis statutum fuisse. Accedit Catechismus Rom. de Pœnit. §. 55. ubi ait, Concilium docere, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omni peccato et censura, « si mortis periculum imminet, et proprii Sacerdotis ( nota ) facultas non datur. »

Id clariùs et fortius probatur ex eo quod præfata verba Tridentini, « Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt » ( ut rectè dicunt *Fagnan. in c. Non est vobis, de Sponsal. etc. n. 4. Petrócor. t. 4. p. 158. q. 8. et Auctor ap. Croix in princ. de Offic. Confess. l. 1. c. 1. in fine, v. Dico 2.* ) non jam referuntur ad quoscumque Sacerdotes, sed ad eos tantum, de quibus antecesserit loquitur Concilium, nempe de illis qui *ordinariam, aut subdelegatam habent jurisdictionem.* Et hoc declaravit S. C. Generalis Concilii apud *Fag. l. c. n. 2*, ubi dixit: *Caput 7. Trid.* « de casuum reservatione referendum ad eos Sacerdotes, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem. » Ergo omnino dicendum est, Concilium in hoc puncto non condidisse jus no-

vum, sed tantum antiquam Ecclesie consuetudinem declarasse, nempe quod *nulla sit reservatio in articulo mortis*, respectu ad solos Sacerdotes qui ordinariam vel delegatam potestatem absolventi habent. Quod autem simplices Sacerdotes, exceptis excommunicatis vitandis, hæreticis et schismaticis, (ut diximus a. 560.) possint valide et licite absolvere in articulo mortis ab omnibus peccatis, et censuris, id non habetur ex Tridentino, sed aliunde nempe ex *c. Presbyter*, 26. qu. 6, item ex Rituali Rom. et ex Declaratione ejusdem S. C. Concilii apud *Fagnan. loc. cit. num. 6.* et ex communi Ecclesie consuetudine.

365. — Probabiliter tamen simplices Sacerdotes possunt absolvere tempore mortis, etiam præsentem Confessario approbato, in sequentibus casibus: I. Si approbatus nollet, vel non posset audire Confessionem, quia tunc idem accideret ac si deesset; ita communiter *Sanchez Dec. l. 2. c. 13. n. 8. Lugo D. 18. n. 32. Renzi c. 4. qu. 11. et Salm. c. 11. n. 33. cum Aversa*. II. Si approbatus sit nominatim excommunicatus vel suspensus, quia tunc præferendus est simplex Sacerdos; *Sanch. l. c. n. 10. Suar. D. 26. sect. 4. num. 4. Renzi l. c. cum Hurt. et Mazzot. t. 3. p. 397. d. 1. cum Bonac.* Et hoc est certum juxta dicta n. 560. III. Si approbatus esset alienæ Diocesis, quia iste respectu ad infirmum minimè dicitur approbatus; ita probabiliter *Lugo D. 18. n. 37. Salm. c. 11. n. 40. cum Trull. item Henr. Aversa, et Diana apud Croix n. 1563, contra Suar. l. c. et Sanch. d. n. 10. cum Zambrano*. IV. Si moribundus ita horreret manifestare sua crimina Confessario approbato, ut esset in periculo confitendi sacrilegè; tunc enim Sacerdos simplex bene posset eum absolvere adhuc præsentem approbato; quia hoc valde consonum videtur benignitati Matris Ecclesie, *ne hac occasione aliquis pereat*, ut dicitur in Tridentino; fortè enim poterit accidere quod approbatus sit inimicus, consanguineus, aut objectum peccati, et tunc non censetur Ecclesia in tanta necessitate velle infirmum obligare ad ei tantum confitendum; ita probabiliter *Mazzotta l. c. cum Croix, ex D. Thoma, et Spor. pag. 260. n. 725.* Qui idem censet procedere, si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut incommodo, vel si ille simplex Sacerdos esset ei manifestè magis idoneus ac utilis futurus quam Parochus rusticus. V. Si Confessarius approbatus superveniat jam incepta Confessione cum Sacerdote simplici, quia tunc compleri debet iudicium jam inceptum; ita communiter *Sanch. d. c. 15. num. 13. Lugo d. 18. n. 33. Mazz. l. c. Renzi c. 4. q. 12. Croix l. 6. p. 2. n. 1562. cum Sylo. et Salm. cap. 11. num. 34. cum Gran. Henr. Dian. Aversa, Præpos. Trull. etc.* Hinc probabiliter dicunt *Sanch. num. 16. Renzi qu. 13. et Salm. num. 35. cum Lugo, Diana et Aversa*, quod si Confessio facta Sacerdoti simplici fuerit invalida, etiam superveniente approbato, bene poterit infirmus primo Sacerdoti confiteri, quia revera ille habuit jurisdictionem ad priorem Confessionem, quæ non censetur finita, cum invalida fuerit absolutio imperita.

VI. Et ultimò, casu quo Sacerdos approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi, tunc omnino debet præferri Sacerdos simplex, juxta dicta n. 553.

Rectè tamen *Lugo et Renzi ll. cc. ac Salm. n. 36. cum Aversa* excipiunt casum, quo moribundus esset innodatus excommunicatione reservata, tunc enim deberet, quamvis Confessionem incepterit, prius obtinere absolutionem à censura, si superior sit præsens, et postea Confessionem perficere. Item hic advertendum, quod si pœnitens jam receperit absolutionem à simplici Sacerdote, et postea recordetur alicujus peccati, superveniente approbato, tenetur huic confiteri, cum illa sit nova Confessio; ita communiter *Sanch. n. 15. in fine cum Zambr. Suarez. d. 23. sect. 1. n. 2. Salmant. n. 37. Renzi q. 13. cum Trull. Diana et aliis.*

Dubitatur I. An, præsentem superiore, possit quis Confessarius moribundum absolvere à peccatis, et censuris reservatis? Sic distinguendum: Quoad peccata reservata veriùs puto cum *Antoine pag. 528. v. Porro, et Auctore de Offic. Confess. apud Croix. l. 1. cap. 1. q. 25. etc.* (contra *Roncag. c. 1. qu. 3. R. 1.*) bene posse inferiorem ab eis absolvere, quia in articulo mortis omnis cessat reservatio, *ne hac occasione aliquis pereat*, ut declarat Tridentinum. Ex quo rectè inferunt *Lugo. d. 18. n. 38. Suar. de 26. sect. 4. num. 4. Sanch. Dec. lib. 2. d. 13. n. 10. cum Zambr. et Salm. c. 11. n. 39. cum Aversa*, quod si infirmus habeat peccata reservata, et adsit Confessarius approbatus, non poterit eum absolvere Sacerdos simplex; nam licet Confessarius ille non habeat facultatem super reservatis extra articulum mortis in articulo tamen mortis bene habet, quia tunc (ut diximus) omnis reservatio cessat.

Secus verò dicendum censeo quoad censuras reservatas, quia pœnitenti ipsi innodato tenetur Confessarius carens facultate imponere, ut elapso periculo mortis, se præsentet superiori; juxta dicenda n. 567. Ergo si infirmus potest illi tunc ante absolutionem se sistere superiori, utique tenetur prius absolutionem à censuris obtinere, ut deinde possit à peccatis absolvi. Utrum autem teneatur eo casu adire superiorem per litteras vel Confessarium? vide in Dubio sequenti III.

Dubitatur II. An occurrente periculo mortis, in casibus Pontifici reservatis, si non possit adiri Pontifex, adeundus sit Episcopus? *Prima sententia*, quam tenent *Suar. d. 30. sect. 3. nu. 4. Mol. t. 4. de Just. d. 63. nu. 2. et Sanch. Dec. lib. 2. c. 13. n. 9. cum Henr. distinguit et dicit*, quod si casus sit occultus, tunc omnino adiri debeat Episcopus, quia Episcopi jure ordinario (ut rectè probat *Sanchez c. 11.*) possunt absolvere à reservatis occultis ex concessione Tridentini in *c. Liceat. 6. sess. 24. de Refor.* Secus verò si casus esset publicus, quia tunc, excepta percussione Clerici ex *c. Ea noscitur, etc. De cætero. De Senten. excom. 1.* ubi expressè præcipitur adeundum esse Episcopum, si nequeat adiri Pontifex; in aliis verò casibus non est obligatio



adeundi Episcopum, eò quòd in reservatis Pontifici, Episcopi nihil possunt; è converso, cùm in morte omnis cesset reservatio, tunc æquales sunt Episcopus et quisvis alius Confessarius. Sed contradicunt communis *Navar. cap. 27. n. 81. Pal. de Censur. d. 2. p. 11. §. 5. n. 6. cum Sayr. Ugol. Hurt. et communi* ut asserit, ac *Salm. eodem tit. c. 2. num. 63. cum Con. Avila, Corneio, etc.* etiam communiter, quia ( ut aiunt ) præfatus, textus in c. *Ea noscitur*, extenditur ad absolutionem cujuslibet censure Papæ reservatæ, eum eadem ratio urgeat. Unde præsentè Episcopo nequit Confessarius absolvere a casibus Papæ reservatis, quia omnes casus a Papa reservantur propter censuram, et censure reservatæ nequeunt ab inferiore absolvi præsentè superiore, ut mox supra probavimus in Dub. præcedenti. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam. Dixi, præsentè Episcopo: nam si absit, vide dicenda in Dub. sequenti.

Dubitat III. An quilibet Confessarius possit absolvere moribundum à censuris reservatis, si possit peti facultas à superiore per litteras, vel internuncium? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Bonac. de Censur. tom. 1. d. 1. q. 3. p. 3. n. 5. cum Zambr. et Croix l. 6. p. 2. nu. 1697. cum Suar. Lugo et Aversa.* Ratio, quia cùm hujusmodi infirmus bene satisfacere posset suæ obligationi, impetrando absolutionem per procuratorem, aut litteras ( quod enim quis per alium facit, censetur per seipsum facere ), ad id tenetur. *Secunda* verò sententia communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Azor. l. 8. cap. 19. q. 5. Sporer n. 750. Viva in Prop. 7. Alex. VII. n. 8. Sanch. Dec. l. 3. c. 13. num. 14. cum Henr. Val et Cord. Con. d. 14. n. 241. Dian. p. 5. tr. 9. R. 6. Pal. de Censur. d. 1. p. 2. §. 5. n. 6. Salm. eodem tit. c. 2. n. 65. cum Corneio et Avila, item Carden. Tamb. Dicast. et Stoz apud Croix l. c. Ratio, tum quia in hoc adest manifestationis periculum, quod non videtur tam remotum, ut supponunt adversarii, cùm plures possint accidere casus, quibus notitia peccati patefieri potest; tum quia in cap. *Quomois de Sentent. excomm.* dicitur impeditus, quicumque quolibet impedimento canonico retrahitur, quominus Romanum Pontificem possit adire. Hinc *Nav. Man. c. 27. n. 90. ad 5. item Henr. Ugol. et Sayr. ap. Sanch. dicunt* reputari legitime impeditum qui personaliter superiorem nequit adire, etiamsi per procuratorem valeat. Et Auctor apud *Croix de Offic. Confess. cap. 1. qu. 25.* eodem modo excusat infirmum eo casu ab accersendo superiore, si in hoc sua fama periclitaretur.*

364. — « Ex consuetudine quisvis toleratus absolvere potest à venialibus, et mortalibus aliis confessis. » ( *Sed hoc hodie reprobatur, ut vidimus n. 560.* ) \* Ex privilegio, Religiosi Mendicantes quosvis fideles absolvere possunt, juxta tenorem suorum privilegiorum. \* ( *Modò tamen non sint revocata per Concilium Tridentinum in sess. 23. c. 15. ubi sancitum fuit nullum Regularem posse Confessionem secularium etiam Sacerdotum audire, nisi ab Episcopis approbationem obtineat, pri-*

» vilegiis et consuetudine non obstantibus. Hinc damnata fuit  
» *Proposit. 36 ab Alex. VII. quæ dicebat: Regulares possunt*  
» *in foro conscientiaæ uti privilegiis suis, quæ expressè sunt revo-*  
» *cata per Concilium Tridentinum.* ) \*  
» Ex concessione Ordinarii directa, quicumque Sacerdos appro-  
» batus, cui id ille committit. \* ( *Unde fideles liberè se possunt*  
» *confiteri cuicumque Confessario approbato. Ita communiter*  
» *Pitton. de Confess. n. 370. Mazz. t. 3. p. 293. et Bon. de Sacr.*  
» *d. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 35. cum Sa. Conc. Val. et communi,*  
» *idque fusè probat Benedict. XIV. Notif. 18. n. 9. Et hoc etiam*  
» *tempore Paschali, et inuito Parocho, ut Mazz. et Papz Bened.*  
» *Illud enim quod dicitur in c. Omnis, de Pœnit. et Rem. quòd*  
» *fideles debeant confiteri semel in anno proprio Sacerdoti, in-*  
» *telligendum ( ut ait ibi Glossa, et Fagn. in c. Ne pro de Pœ-*  
» *nit. ac Cabass. lib. 3. cap. 8. nu. 9. ) omni Sacerdoti, qui ab*  
» *Ordinario est approbatus. Et hoc saltem ex præsentè universali*  
» *consuetudine hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixerint.*  
» *Hinc S. C. Episc. die 3 Apr. 1584. ( apud Pitton. de Confess.*  
» *nu. 361. ) sic resoluit: Decretum Episcopi in quo habetur,*  
» *quòd nullus Confessarius etiam ab Ordinario approbatus, possit*  
» *tempore Paschali Confessiones alicujus audire sine licentia pro-*  
» *prii Curati, nullo modo est observandum, eum satis validè*  
» *faciat pœnitens, deferendo Parocho fidem Confessionis auditæ*  
» *à persona approbata. )* \*

365. — « Denique ex indirecta is, qui audit eum, qui habet potestatem eligendi Confessarium, quales sunt. I. Ex jure, Episcopi omnes, etiam si sint tantum titulares, item superiores Episcopis, ut Archiepiscopi, etc.; item Prælati iis inferiores exempti, ut Abbas exemptus ( non tamen Abbatissa ), Generalis, Provincialis, Prior, salvis tamen Privilegiis Ordinum. Vide *Dian. p. 4. tr. 4. R. 1 et 2. II. Ex consuetudine, Cardinales, qui etiam domesticis de Confessore providere possunt: item Pastores, imò multis locis etiam cæteri Sacerdotes seculares, ut docent Valentia, Sa, Suarez dist. 27. sect. 3. Religiosi tamen tenentur eligere tales, quales illis permittunt statuta: item Reges, et Principes, quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur; denique domestici Pontificis. III. Ab homine eam habent, quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Parocho concessit. » ( *Sed Vide dicta n. 544.* ) \**

Dubitatur hic I. An Episcopi possint eligere sibi in Confessarium quemcumque Sacerdotem? Videbatur olim affirmandum ex cap. *fin. Ne pro dilatione, de Pœn. et Rem.* ubi dicitur: « Permittimus Episcopis, et aliis superioribus, necnon minoribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere Confessorem. » Sed declaravit S. C. ap. *Fagn. in d. c. num. 62.* id tantum intelligi, quòd Episcopi ( intellige quoad Episcopos, si sint extra Diœcesim, nam intra possunt quidem cuicumque Sacerdoti facultatem imperire ) et alii ut supra, possint sibi eligere Sacerdotem subditum,

aut Parochum, aut alium approbatum à proprio Ordinario ( nota proprio, id est ab Ordinario domicilii Sacerdotis, ut explicat *Lugo d. 21. n. 39 et 42.* ) Et idem postea confirmavit Gregorius XIII, 1. Decemb. an. 1582 ut referunt *Fagn. l. c. et Pitton. de Confess. num. 350.* Nomine autem *Praelatorum exemptorum*, veniunt Referendarii, Auditores Rotæ, Protonotarii Apostolici et alii Prælati Curiae Romanæ, necnon Prælati regulares, et Abbates, et alii Superiores locales immediati; ita *Suar. d. 27. sect. 2. ex n. 8. Lugo d. 19. n. 4. Diana p. 2. tr. 2. de dub. Reg. et Renzi t. p. 537. qu. 10.*

Dubatur 2. An Cardinales possint eligere Confessarium sibi et familiæ. Affirmant generaliter *Alphonsus de Leon, et Diana ex Lugo ap. Renzi t. 1. p. 537. qu. 10.* Sed hoc admittendum est tantum in Urbe, nam extra non possunt, cum non alio gaudeant quam privilegio Episcoporum mox supra declarato, ut recte probat *Fagn. in d. c. fin. n. 53 et 65.* Nec censendum tenere oppositum *Lugo d. 19. n. 5. et Suar. d. 27. sect. 2. n. 6.* ubi enim nihil aliud asserunt, nisi quod Cardinales comprehendantur in citato *cap. fin.* Concedit autem *Fagnan. num. 66.* quod Cardinales possint secum conducere Confessarium approbatum in Urbe; et idem dicit de Episcopis *n. 30. cum Hostiensi.*

An autem Parochi possint sibi eligere Confessarium? Omnino negandum ex Prop. 16 damn. ab Alex. VII, quæ dicebat: « Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » Dicunt tamen *Wigandt. tr. 13. n. 89. Spor. p. 257. n. 705. et Ell. p. 289. n. 299.* quod Parochi ex consuetudine possint confiteri Sacerdoti curato, vel approbato etiam alienæ Diocesis. Et hoc quidem non videtur reprobandum, ubi revera adest talis consuetudo, quia tunc adest tacitus consensus Episcoporum.

306. — « 1. Qui habet potestatem delegatam non potest eam subdelegare alteri, cum diversa sit potestas utendi jurisdictione, et eam delegandi. Excipitur 1. nisi hoc ipsum concessum sit; 2. nisi sit delegatus ad universitatem causarum, ut v. g. si cui committeretur officium Parochi absentis, vel nondum sacerdotis: talis enim aliqua exercitia jurisdictionis, alteri ex præsumpta voluntate Ordinarii subdelegare posset, non tamen integrum officium. *Laym. hîc. l. 5. t. 6.* »

Generaliter igitur loquendo, nequit delegatus subdelegare, nisi id expressè sibi sit concessum. Excipitur 1. si quis esset delegatus à Principe. Sed hoc intelligitur ( ut explicant *Laym. de Pœnit. c. 10. n. 14. et Castrop. eod. tit. D. unica p. 13. n. 15.* ) cum delegatio facta est tanquam per officium; non verò si eligitur persona propter suam peritiam, aut si ei committitur aliquus causæ executio. Excipitur 2. si quis est delegatus ad universitatem causarum, quamvis non à Principe. Sed in hoc etiam oportet distinguere cum *Laym. l. c. n. 12. v. Duobus*, duplici modo posse alicui delegari jurisdictionem ad universitatem causarum: primo modo, cum ei committitur aliquod officium,

cui annexa est jurisdictio; idque currit etiamsi officium non sit proprium, sed Vicarii, v. gr. Viceparochi, seu Vicereactoris pro Parocho absente, aut non adhuc Sacerdote: huiusmodi Vicarius bene potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una vel altera causa, ut communiter DD. docent; quia tunc non tantum huic commissum est exercitium Parochi, sed etiam Parochi officium, cui competit non solus usus, sed adhuc delegatio jurisdictionis. *Itu Sanch. de Matr. l. 3. d. 31. num. 1. et 15. cum Sylo. Coc. Lop. Abb. etc. Laym. l. c. num. 10. Pal. l. c. n. 16. cum Henr. et aliis ex D. Th. quod l. 12. art. 31.* ubi ait: « Vicarius non potest totam suam potestatem communi- » care, sed potest partem. » Secundo modo, cum alicui delegatur non officium, sed jurisdictio, velut privilegium perpetuo annexum suo officio, aut dignitati; tunc enim talis jurisdictio reputatur tanquam ordinaria, prout est facultas impertita Episcopis à Tridentino in *c. Liceat 6. sess. 24.* Dicunt autem *Rodrig. et Viva q. 8. art. 1. n. 13. cum Nav. Peyrin. Naldo, Bord. etc.* quod si Episcopus concederet alicui Confessario facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis, posset hic Confessarius subdelegare illam facultatem alteri in aliquo particulari casu; sed melius *Laym. et Castrop. locis sup. cit. cum Coninc.* id in eo solo casu admittunt, quò talis facultas conceditur ratione officii, v. g. Parochi, aut Viceparochi, ut supra dictum est; sed non cum facultas datur alicui ratione suæ peritiæ, aut probitatis: facultas enim subdelegandi tantum competit illi, cui officium committitur, sed non ei cui committitur solus usus, sive exercitium jurisdictionis.

« 2. Cum jurisdictio respiciat subditos, exerceri in eos potest, » tam à delegato quam ordinario, quocumque loco fuerit, ut » docent *Sanch. Henr. Suarez in 3. p. t. 4. d. 28. sect. 1. et 7. et » alii\* ( Sed hodie hoc reprobatum est, vide dicta. n. 547. ) » 307. — « 3. Probabile est, quod absolutus in articulo mortis » non teneatur se postea sistere superiori, vel alteri pro reser- » vatis, nisi hæc habeant annexam censuram, ut docent *Nav. » Suar. March. Fill. t. 7. c. 10. q. 6. n. 288. Bon. d. 5. q. 7. p. 1. » n. 13.* quia directè absolutus fuit. \* ( Ita verius tenent *Salm. c. 11. » n. 21. cum Sanch. Hurt. Præp. Nav. etc. Vide de hoc dicenda » de Cens. l. 7. num. 91. ) \* Contra *Hurt. Diana. p. 4. t. 4. » R. 199. ( V. Not. II, pag. 363. )***

308. — « 4. Improbis, aut inscitia proprii Sacerdotis non » dat jurisdictionem alteri: ideoque in tali casu expectandum est, » aut ad superiorem recurrendum. Si tamen ignorantia esset » tanta, ut confessio illi facta foret invalida, aut illicita, neque » esset alius privilegiatus, aut habens jurisdictionem, licere alteri » confiteri docent *Nav. Vasq. in 3. p. t. 4. q. 92. art. 2. d. 3. » Hurt. d. 10. dif. 10. Vide *Dian. p. 4. tr. 4. res. 201. et p. 8. » t. 1. R. 86. ex c. Placuit. de Pœnit. d. 6.* Idem licere, quando » quis proprio non potest confiteri sine gravi periculo, docent » *Tol. Sylo. et Med.* qui idem concedit, quando proprius non vult*

» aut non potest audire, vel injustè negat facultatem confitendi  
 » alteri, v. g. Parochus concubinæ. *Diana p. 3. t. 4. R. 79. ex*  
 » *Henr. et aliis quatuor. Verùm ista communiter refutantur ab*  
 » aliis. \* (*Sed vide n. 564.*) \*

» 5. Etsi graviter peccare possit proprius, si neget suis facul-  
 » tatem adeundi alterum, modò præsumere possit eos justè  
 » petere; si tamen injustè neget, probabilius videtur eos invalidè  
 » ab alieno absolvi, ut docent *Sotus, Suarez, Laym, et*  
 » improbabiliter *Sylo. Henr. Maj. Palud. Richar. Tolet. et*  
 » *Dian. p. 3. t. 4. R. 79.* putent, quòd validè, præsertim si sine  
 » periculo salutis, famæ, vel simili, non liceat suo proprio.  
 » \* (*Sed vide n. 564. v. Ex concessione.*) \*

» 369. — « 6. Cùm jurisdictio acquiratur ratione domicilii,  
 » vel quasi domicilii, vel etiam actualis habitationis: hinc ii,  
 » qui duobus locis habent domicilium, vel quasi, possunt utro-  
 » bique absolvi, ut scholares, milites, mercatores: item vagi,  
 » et peregrini possunt absolvi à Parocho loci, in quo versantur.  
 » *V. Laym. hfc. Vasq. etc.* »

» Communiter docent DD. peregrinos, spectata consuetudine, et  
 » tacito consensu Episcoporum, posse confiteri cuilibet approbato  
 » in loco ubi reperiuntur. Ita *Palasus de Pœnit. punc. 13. n. 12. Lugo*  
 » *eodem tit. d. 19. n. 7. Conc. p. 544. n. 20. Salm. c. 11. n. 21. Bon.*  
 » *de Pœn. d. 5. p. 2. n. 5. cum Suar. Vasq. etc.* Limitant tamen  
 » præfati auctores, dummodo ipsi peregrini ex industria non disce-  
 » dant è proprio domicilio, ut extra confiteantur. Sed *Tamb. de*  
 » *Pœnit. c. 4. §. 3. n. 11. Renzi de Pœnit. c. 4. qu. 14. et Mazz.*  
 » *t. 3. p. 403. n. 11. de Pœnit. d. 2. §. 2. n. 2. cum Pont. Fill. et*  
 » *aliis,* verius dicunt, quòd prædicta limitatio non est necessariò  
 » servanda, ex illa regula generali juris, quòd nullus videtur frau-  
 » dulenter agere qui utitur jure suo; nec autem aliunde habetur,  
 » quòd Ordinarii in prædicto casu signum aliquod unquam dede-  
 » rint sui dissensus. Hasque sententias rectè dicunt præfati AA. va-  
 » lere etiam pro implenda Confessione præcepti Paschalis. Vide  
 » dicta n. 564. v. *Ex concessione.* Et de hoc hodie non est ampliùs  
 » dubitandum ex præsentì consuetudine universali. Per Bullam  
 » tamen Clementis X vetitum est pœnitentibus accedere ad alienam  
 » Diœcesim pro Confessione in fraudem reservationis suarum  
 » culparum; de hoc vide dicenda infra n. 589.

» 370. — « 7. Validè absolvit is qui audit Confessiones, præ-  
 » sente, vel sciente, et non contradicente Ordinario, v. g. Epis-  
 » copo, vel Parocho, cui constet eum aliunde non habere Juris-  
 » dictionem: quia tunc præsumitur tacitè eam dare: sufficit  
 » enim, ut rectè docent *Fill. et Fugund. præc. 2. lib. 7. cap. 2.*  
 » facultas interpretativa, et præsumpta, modò præsumptio fun-  
 » detur in signis, quæ indicent consensum præsentem, ut fit in  
 » casuposito \* (*Quare consensus merè internus non sufficit. Salm.*  
 » *ex communi cap. 11. num. 65.*) \* (uti etiam v. gr. si Parochus,  
 » qui jam absens est, aliàs significaverit id sibi gratum esse);  
 » nam existimatio de futuro consensu, vel rathabitione, quod

» scilicet quando resciverit, futurus sit contentus, non sufficit,  
 » quia consensus futurus non dat jurisdictionem pro tempore  
 » præsentì, quo datur absolutio. *V. Dian. p. 3. t. 4. R. 68. Sanch.*  
 » *de Matr. l. 3. d. 35. Bec. Conc.* qui addit peccare, si de con-  
 » sensu dubitans incipiat audire.

» 371. — « 8. Peccat, qui absolvit cum jurisdictione dubia, nisi  
 » necessitas urgeat: qualis est v. g. quia pœnitens diu non est  
 » confessus, vel debet communicare, nec alius adest: tunc enim  
 » licitè absolvit cum conditione hac, *si possum,* et cum onere  
 » (*etsi Salas t. 2. tract. 8. art. 1. hoc onus non agnoscat*) aliàs  
 » iterum confitendi habenti jurisdictionem certam. Expedi-  
 » t autem tunc veniale aliquod adicere, à quo directè, et à cæteris  
 » indirectè saltem absolvatur. Ita *Regin. Suar. Coninc. d. 8.*  
 » *dub. 5. n. 45.* \* (*Dicunt probabilius Holz. pag. 178. n. 682 et*  
 » *Elbel p. 297. n. 326. cum Bambest. sufficere ad absolvendum*  
 » cum jurisdictione dubia sequentes causas. 1. Si urgeat pericu-  
 » lum mortis. 2. Si urgeat præceptum annuæ confessionis.  
 » 3. Si pœnitens deberet celebrare, vel communicare, et aliàs in-  
 » famiæ notam incurreret. 4. *Addunt Salm. ant. c. 11. n. 72. si*  
 » Sacerdos teneretur celebrare ex obligatione. *Vide dicta n. 28.*  
 » *Probabiliter autem censent Suar. d. 26. s. 6. et Salm. ibid. cum*  
 » *Aversa (contra Salas et Corneio)* in iis casibus pœnitentem  
 » non teneri ad Confessionem, sed tantùm ad contritionem,  
 » qua semper eget, etiamsi confiteatur. \*) Quòd si tamen ex  
 » probabili ratione dubium resolvat, nimirum habere se juris-  
 » dictionem, etsi cum formidine oppositi, absolutè absolvit licitè:  
 » ut docent *Suar. et Præp. Lugo d. 10. n. 49,* tum quia tunc  
 » practicè et moraliter est certus; tum quia Papa eo casu dat  
 » facultatem, uti et in sequentibus casibus: I. Quando communi  
 » errore, v. g. ob titulum coloratum, putatur aliquis esse Pastor,  
 » seu habere jurisdictionem, qui non est, ob censuram, vel alium  
 » defectum. *Bon. d. 5. q. 5. s. 2. p. 3. n. 11. Dian. p. 3. tr. 4.*  
 » *res. 22.* Quod etiam, si desit titulus coloratus, probabile esse  
 » docet *Dian. p. 3. tr. 4. res. 122. ex Pontio, Molfes. et Sanch.;*  
 » item *part. 2. t. 2. misc. R. 43.* si quis bona fide tali confi-  
 » teatur: verùm id communiter ab aliis negatur. II. Cùm quis  
 » ex consuetudine, præscriptione, aut bona fide absolvit, aut  
 » nescit potestatem suam revocatam, ut habent *Sylo. Nav. Henr.*  
 » *Mald. in 2. p. q. 9. art. 5. Sanch. mor. l. 1. c. 9. nu. 35. Salm.*  
 » *Vasq. Vide Dian. p. 1. t. 13. res. 1. III. Quando secundùm*  
 » probabilem sententiam judicatur quis habere jurisdictionem,  
 » et Sacerdos sequitur favorabilem, *Bon. l. c.;* quia quando com-  
 » munis est error, Ecclesia dat jurisdictionem propter publi-  
 » cam utilitatem. *V. Suar. Dian. II. cc. Card. de Lugo d. 10.*  
 » *num. 28.* »

» 372. — Hic quæritur I. Utrùm, stante errore communi, sup-  
 » plet Ecclesia jurisdictionem in Sacramento Pœnitentiæ? Si  
 » error communis est eum titulo colorato sive putativo, certum est  
 » apud omnes ab Ecclesia conferri jurisdictionem; ita *Sanch. de*  
 » 6.  
 » 2

*Matr. l. 3. d. 22. num. 5. Conc. p. 546. n. 29. Antoine p. 524. q. 2. et Cardenas in Prop. 1. damnata ab Innoc. XI, d. 2. c. 6. n. 149. cum Caj. Palud. Soto, Arm. Aug. Sylvest. Navarr. et communi.* Et probatur ex lib. Barbarius, ff. de Offic. Prætor. qui textus, etsi civilis, tamen, cum non sit reprobatus à jure canonico, vim habet etiam in illo, ut habetur in c. 1. de Nooi oper. nunciat. utque fusè diximus Tom. 3. in fine v. Dub. 3. Probatur etiam e. c. Infamis 3. q. 7. ubi dicitur: « Si servus ( qui est incapax jurisdictionis ), dum putaretur liber, ex delegatione sententiam » daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab » eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet. » Ratio, quia ex benigna interpretatione præsumitur eo casu pia mater Ecclesia ad bonum animarum supplere jurisdictionem. Bene tamen advertit Sanchez l. c. quòd ut Ecclesia suppleat, non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet sit tantum putativus ( quia fortè est ex aliqua causa invalidus ) tamen sit revera collatus à legitimo Superiore, etsi huic vetitum sit aliunde titulum illum conferre, ut sancitur in Novella 44. c. 1. Authent. de Tabell.

Majus dubium fit, an ex solo errore communi, sine titulo, Ecclesia suppleat jurisdictionem? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lugo d. 19. n. 30. Sanch. Dec. l. 1. c. 9. n. 35. Pont. l. 5. c. 20. n. 2. Pal. t. 1. tr. 1. d. 2. punct. 1. n. 9. Suar. 2. p. d. 26. sect. 6. n. 6. Less. c. 29. n. 68. Bon. d. 2. de peccat. q. 4. part. 9. n. 19. Dian. p. 2. tr. 13. R. 2. cum Molf. et aliis, item apud Carden. l. c. n. 143. Vill. Malder. Gran. Turr. Henr. et Martin. item Host. Felin. etc. apud Sanch. de Matr. l. 3. d. 22. n. 48. Ratio, quia, cum adest error communis, recurrit eadem ratio legum, quas supra retulimus, nempe quòd Ecclesia pro bono fidelium præsumitur jurisdictionem supplere: cum eadem adæquata ratio communis boni valeat pro solo errore communi, et pro titulo colorato, propter quem nulla est ratio specialis, cur magis provideatur bono publico, quam per solum errorem communem.

Secunda verò sententia communior negat sufficere solum errorem sine titulo, et hanc tenent Busemb. ut supra ( qui asserit primam communiter rejici ) et Sylvest. v. Confessio, n. 1. qu. 15. Ang. eod. verb. Conc. p. 547. n. 31. Ronc. c. 1. q. 3. R. 3. Holzm. p. 179. n. 684. Sporer n. 714. Elbel p. 393. n. 313. et Sanch. ( sibi contrarius ) de Matr. lib. 3. d. 22. n. 49. cum Navar. Arm. Tab. Coe. Cajet. Lop. Gabr. Ugol. Henr. Palac. Arag. etc. Ratio, quia, cum deest titulus coloratus, minimè præsumitur Ecclesia velle supplere jurisdictionem: eo quòd si Ecclesia cum solo errore communi jurisdictionem conferret, majus proveniret damnum fidelibus quam utilitas; plures enim Sacerdotes impii ex hoc occasionem sumerent simulandi se Confessarios, et sic plurimos errores et hæreses possent disseminare, fideles seducendo. Sed hæc ratio non omnino convincit: nam dato quòd Ecclesia jurisdictionem hujusmodi impiis Sacerdotibus denegaret, neque impediretur, quominus ipsi, qui damnationem suam jam nihil faciunt, suos

errores disseminarent; et versa vice fideles ob invaliditatem suarum Confessionum evidenti periculo perditionis exponerentur. Unde meritò primam sententiam probabilem putant Carden. l. c. p. 75. n. 151. Viva. q. 8. art. 1. n. 16. Tamb. l. 5. de Pœnit. c. 4. §. 7. n. 17. et Ronc. Spor. Holzm. ac Elbel cum Henno, Gabr. Henr. et Stoz. Et ideo probabiliter dicunt non esse obligandos fideles ad repetendas Confessiones bona fide factas apud Sacerdotem, qui ex communi errore Confessarius reputabatur.

575. — Quæritur II. An liceat administrare Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione tantum probabili? Adsunt tres sententiæ. Prima negat, et hanc tenent Concina p. 548. n. 2. Antoine p. 526. q. 25. et Eliz. p. 2. l. 5. q. 15. §. 2. Ratio, quia ex propos. 1. damnata ab Innoc. XI in administratione Sacramentorum non licet uti opinione probabili, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis. Secunda verò sententia communis docet licitum esse absolvere cum probabili jurisdictione, modo opinio sit verè probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate; ita Sanch. de Matr. l. 3. d. 22. n. 65. et Dec. l. 1. c. 9. n. 35. Lugo d. 19. ex n. 50. ( qui putat tutissimam ) Bon. q. 7. p. 5. §. 4. n. 4. Pal. t. 1. tr. 1. d. 2. p. 5. n. 9. Less. l. 2. c. 29. n. 68. Conc. d. 8. n. 22. Fill. tr. 7. c. 9. n. 227. Croix. n. 1516. Tamb... l. 3. c. 3. n. 1. Viva. in dicta Prop. 1. et de Jubil. qu. 3. art. 2. Carden. in eamd. Prop. à n. 160. item Hozes, Filguera, Corella et Lumbier, in dicta Prop. et Salm. tr. 6. c. 11. n. 74. cum Turr. Vill. Reg. Avers. Salas, Dic. Herincæ, Bonasp. et Salm. scholast. tr. 24. d. 12. dub. 7. §. 1. num. 80 et 85. cum Maldero, Gran. Henr. et Gabr. Et eam vocant moraliter certam Sanch. Tamb. et Carden. l. c. ac Dicast. Ills. Gorm. Stoz. etc. ap. Croix Ratio 1. quia error communis, etiamsi non adsit titulus coloratus, præbet jurisdictionem, modo opinio ab omnibus teneatur ut probabilis; nam si alii sapientes dubitarent de probabilitate, et coram Deo falsa esset, error esset, sed non communis. Verum hæc ratio non convincit; nam licet præfata opinio ( quòd existente errore communi Ecclesia supplet jurisdictionem ) non sit improbabilis, ut diximus in quæstione præcedenti, tamen non est certa, ut requiritur ad licitè ministrandum Sacramentum. Ratio 2. quia cum quilibet Sacerdos habeat potestatem directam super venialia, pœnitentes qui bona fide continentur Sacerdoti habenti jurisdictionem tantum probabilem, jam validè absolvuntur eo casu, directè à venialibus, et indirectè à mortalibus. Sed opinio illa, quòd Confessio venialium apud simplicem Sacerdotem sit valida, nec etiam est certa, ut diximus n. 543, undè nec etiam hæc ratio convincit. Ratio 3. quia Ecclesia supplet jurisdictionem ex rati habitatione de præsentibus, cum videat sic communiter practicari, et ob bonum animarum annuit. Ratio 4. et potior est, quia in Ecclesia adest universalis consuetudo fere omnium Confessariorum absolvendi cum jurisdictione probabili, ut testantur communiter Suar. 27. sect. 4. n. 7. Lugo d. 19. n. 31. Carden. n. 166. Arriaga

d. 39. sect. 5. Diana p. 3. tr. 2. R. 3. Croix l. c. et omnes alii AA. citati pro hac secunda sententia. Communis autem sententia Doctorum fundat moralem certitudinem de præfata consuetudine; et licet contrarii illicitum putent absolvere cum jurisdictione probabili, præscindunt tamen, nec possunt negare hanc consuetudinem adesse, saltem apud partem longè majorem Confessariorum. Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse Sacramentum ministrare cum jurisdictione probabili cum ipsa consuetudo jurisdictionem præbeat; prout docent *Suar.*, t. 4. de Rel. t. 8. l. 2. c. 9. n. 3. *Nasar. Comment. 2 de Regul. n. 65.* ubi ait: « Hanc jurisdictionem magna ex parte » introductam vel auctam esse consuetudine, quæ vim habet » dandi jurisdictionem; *Barb. de potest. Ep. p. 1. tit. 4. n. 36. Carden. n. 161. Quaranta in summ. Bull. verb. Archiep. Auctoritas v. 25. Pelliz t. 2. tr. 10. c. 10. n. 42.* Idque probant ex *cap. Contingat, de Foro Compet.* ubi dicitur: « Nisi fortè hi, quibus » delinquentes ipsi deserviant, ex indulgentia, vel consuetudine » speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vindicare. » Ubi *Glossa* ait: *Quòd consuetudo dat jurisdictionem.* Nec obstat Prop. 1 damnata, etenim respondent *Viva q. 8. ar. 2. n. 2. et Wigandt tr. 13. n. 19. cum Gonct.* Propositio loquitur de opinionibus circa ea quibus nihil potest Ecclesia, id est circa materiam et formam, non verò circa jurisdictionem, quæ bene ab Ecclesia suppleri potest, et moraliter certè præsumitur suppleri in hoc casu ob bonum animarum: unde Confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, non directa, sed reflexa.

Tertia sententia, quam amplector, et tenent *Suar. d. 26. sect. 6. n. 6. Holm. pag. 178. num. 683. March. tit. 3. q. 4. et Gob. tr. 7. n. 115. Wigandt tr. 13. n. 91. Spor. n. 717. et Elbel p. 292. n. 311. cum Bardi, Sancio et Babenst.* dicit licitum quidem esse ministrare hoc Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, sed non nisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis, ut aiunt *Elbel et Wig.* vel causa rationabilis, ut inquit *Suar. et Sporer.* Ratio hujus limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censi possit jurisdictionem supplere, tamen non præsumitur nulla justa causa accedente, velle connivere meræ libertati Sacerdotum. Hujusmodi autem causa (ut censent *Sporer, Holzmann ll. cc.*) accedit. 1. Quando pœnitens indigeat auxilio sive consilio illius Confessarii. 2. Si complex peccati pœnitentis sit notus apud Confessarium, qui certa pollet jurisdictione, et ignotus apud Confessarium habentem solam probabilem. 3. Si Confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem, prudenter timeat pœnitentem non facturum Confessionem integram apud eum qui certam habet. 4. Addit *Sporer*, ne pœnitens incidat in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem Confessarii certi. 5. Si urgeat Præceptum Confessionis, aut singularis Indulgentia lucranda, vel quia diu quis non poterit confiteri.

574. — « q. Nemo tenetur unquam Parocho confiteri, ne » quidem in Paschate. *Lugo. d. 19. sect. 2. n. 28. etc. cum Diana p. 3. t. 1. res. 88.* Quare Parochi frustra nolunt, ut Parochiani » confiteantur mendicantibus, etiam in Paschate, cum habeant » privilegium pro omnibus Christi fidelibus. *Suarez, Conin. Henriq. Regin. Zerola. c. 15. q. 3. et commun. apud Bon. d. 4. q. 1. sect. 2. part. ult. \** (Et ita pariter nequit prohibere Paro- » chus, ne sui subditi confiteantur Confessario approbato ab » Ordinario loci; vide dicta n. 564. ) \* Adeo ut qui docent, con- » fessos Regularibus, etiam in Paschate, teneri iterum eadem » confiteri suo Parocho, fiant suspecti de hæresi. *Diana p. 4. t. 8. R. 102. et alii \** ( *Joan. XII* damnavit opinionem Joannis » Poliaci dicentis, Confessiones factas Regularibus repetendas » apud Curatum. *Deinde Clem. VIII an. 1592, et Clem. X in Const. Suprema, decreverunt bene satisfacere Confessioni an- » nuæ qui confitentur Religiosis simpliciter approbatis. Vide Be- ned. XIV Notif. 18. ex n. 5. ) \* Vi tamen hujus privilegii non » possunt absolvere eos Religiosos, aut Religiosas, quæ non » habent facultatem extra suum Ordinem confitendi, ut ex com- » muni notat *Rodr. et Comp. privil. Societ. v. Absol., §. 1. et ex his Laym. hïc.* Quia privilegio generali non censetur dero- » gari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimat. » \* ( *Clarius id explicat Pal. p. 14. n. 11. cum Suar. Laym. etc.* » quia omnes Religiones privilegium habent ab Innoc. IV et » aliis Pontificibus, ne Religiosi extra Ordinem aliis confiteantur » sine consensu suorum Prælatorum. ) \* Usus tamen fert, ut » Regulares peregrinantes, ex præsumpta voluntate superiorum, » si Ordinis socium non habeant, à quovis alio, etiam seculari » absolvantur, exceptis reservatis: in quæ si Religiosi Societa- » tis extra domicilium incidant, videant ordinationes Præp. Ge- » ner. c. 6. n. 6. et *Laym. hïc.* » ( V. Not. III, pag. 363. )*

575. — Religiosi peregrinantes, si habent socium sui Ordinis, debent ipsi confiteri, ut dicunt communiter *Laym. tr. 6. c. 10. n. 20. Ronc. p. 89. qu. 8. R. 1. Tambur. de Sacram. pœnit. cap. 5. §. 2. n. 16. Croix n. 1524. Salm. tr. 18. c. 4. n. 125.* ( qui bene addunt, modò socius ille sit idoneus, et sic etiam *Laym.* sentire videtur ). Et patet ex verbis Innoc. VIII ut infra. Si verò desit socius, vel alius Confessarius idoneus sui Ordinis, bene possunt ex præsumpta licentia Prælati confiteri alteri Sacerdoti idoneo regulari, vel seculari; et in hoc omnes conveniunt. Sed dubium est, utrum hic Sacerdos debeat esse ad Confessiones approbatus? Affirmant *Wigandt tr. 13. n. 83. et Antoine p. 525. v. Porro, et Conc. p. 539. n. 14. cum Vasq. etc.* Alii verò communissimè et veriùs negant, ut *Suar. de Rel. tr. 8. l. 2. c. 17. Spor. p. 255. num. 685. Escob. l. 16. num. 20. Pal. p. 14. n. 12. Elbel pag. 296. n. 319. Mazzotta t. 3. p. 474. Roncaglia l. c. Tamb. de Pœn. l. c. n. 17. et Salm. d. n. 125. cum Rodr. Bordon. Anton. à Spir. S. Portel. etc.* Et probatur ex concessionibus Sixti IV, et præsertim Innocentii VIII (ut ferunt *Palauus, Escob. et Salm. ll. cc.*)

qui dixit: « Nos igitur Fratribus hujusmodi, quos itinerari et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem Presbyterorum idoneum ex professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium Presbyterum idoneum et discretum religiosum vel secularem eligere valeant, qui Confessiones eorum audire licite possit. » Ubi appositè notant *Salmant. cum S. Antonin. Syloest. et Soto*, quòd per *idoneum Sacerdotem*, reputatur quilibet simplex Sacerdos aptus ad excipiendas Confessiones, etiamsi à nullo Prælato sit approbatus, quia olim ante Tridentinum jam quilibet poterat confiteri cuique simplici Sacerdoti. Præterea dicunt præfati AA. quòd Prælati regulares, præbendo licentiam peregrinandi, aut alibi morandi, tacite concedunt suis Religiosis licentiam confitendi cuicumque Sacerdoti idoneo; et hanc esse testatur consuetudinem Religionum, videntibus et non contradicentibus Superioribus. Nec obstat Trid. in *sess. 23. c. 15.* ibi enim Concilium requirit Confessarium approbatum ab Episcopo tantum ad Confessionem secularium, non verò Regularium: Neque obstat Breve Benedicti XIV. *Quòd communi* etc. sub die 30 Mart. 1742 (in *Bullar. tom. 1. n. 49.*); ubi concessum fuit Fratribus Capuccinis, ut in itinere confiteri possint cuicumque Confessario, modò ab Episcopo loci esset approbatus; tale enim Breve loquitur tantum de Capuccinis, qui particularem habebant Constitutionem non confitendi nisi propriis Confessariis. Unde perperam *Cont. Tourn. t. 6. p. 2. p. 143. n. 619.* assert præfatum Breve tanquam commune respectu omnium Regularium. Advertendum cum *Busemb.* quòd facultas prædicta, quam habent Religiosi itinerantes se confitendi cuicumque Sacerdoti idoneo non habet locum respectu casuum reservatorum.

876. — « 10. Quòd si Superiores Regularium Monialibus sibi subjectis ( idem est de Monialibus subjectis Episcopo ) non concedant aliquoties in anno alium Confessarium, potest, et tenetur illis eum dare Episcopus; quòd si nec is faciat, ipsæ eligere possunt. *Quintan. t. 3. sect. 26. ex Declaratione Cardin. apud Barbos.* »

Idem dicunt *Palud. et sex alii apud Dian. p. 1. tr. 3. res. 37. n. 2.* Quia licentia, ut aiunt, jure petita, et injustè negata, videtur à jure concessa, aut saltem à Pontifice ex ejus præsumpta voluntate. Sed hæc sententia, ut rectè dicit *de Alex. Confess. Mon. c. 6. §. 7. Q. 9.* minime est admittenda: primò, quia videtur reprobata ex Prop. 13 damnata ab Alex. VII, quæ dicebat: « Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobato. » Præterea videtur reprobata ex *c. Omnis utriusq. sexus. De Pœnit. et rem.* ubi habetur, quòd, si quis voluerit alieno Sacerdoti confiteri, etiam cum justa causa, non possit ab illo absolvi, nisi licentiam prius obtineat. Tunc autem licentia injustè negata habetur pro concessa, quando ipsa requiritur tantum ad executionem actûs, pro quo faciendo jam obtenta sit facultas; non verò quando ex ipsa licentia facultas ad actum conceditur, ut

*Pignat. l. 6. Cons. 98. n. 41.* In nostro casu autem non supponitur facultas obtenta, cum hæc dependeat ab approbatione Episcopi. Ex his omnibus apparet, quòd sententia *Busemb.* saltem est valdè dubia, et ideo non est tuta in praxi. Idque videtur confirmatum ex *Bulla Pastoralis Bened. XIV.* edita 5 Aug. 1748. in *Bullar. t. 2. N. LVI.* ubi §. 5. sic statuitur: « Quia si Episcopus... in hac re negligens esset, ut Monialibus suis bis terve in anno extraordinarii Confessarii copiam facere prætermitteret... tunc volumus majorem Pœnitentiarium, statim ac pro parte Monialium... requisitus fuerit... extraordinarium Confessarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confessiones ab ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis... facultatibus concedere et deputare. » Ex quo inferitur, quòd si Episcopus negligit dare extraordinarium, nihil aliud monialibus conceditur, quam ad Pœnitentiarium recurrere. In eadem Bulla sancitur, quòd Moniales, etsi non teneantur extraordinario confiteri, tenentur tamen ei se sistere ad audienda monita salutaria. Item, quòd Episcopi hoc idem observent cum Conservatoriis. Item, quòd in articulo mortis cuilibet Moniali postulanti concedatur ab Episcopo Confessarius particularis: et si Monasterium sit exemptum, non concedente Prælato regulari, assignetur ab Episcopo, vel recusante etiam Episcopo, à Pœnitentiaro majori, si tempus suppetat. Item, quòd si aliqua Monialis renuat confiteri Confessario ordinario, deputetur ei alius ab Episcopo pro certis vicibus, et si Monasterium sit exemptum, à Prælato regulari, et ipso recusante, concedatur ab Episcopo, vel Pœnitentiaro majori. Hortatur autem Pontifex Episcopos, ne sint difficiles ad peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando petentibus concedendum. Demum statuit, quòd Prælati Monialium regulares teneantur bis vel ter in anno assignare extraordinarium ex probatis ab Episcopo ad Confessiones Monialium, qui saltem semel in anno sit vel secularis, vel alterius Ordinis, aliàs deputet illum Episcopus; et eo tempore ordinarius nullius, neque Abbatissæ, neque Novitiarum audiat Confessiones.

877. — Insuper quoad confessarios Monialium plura sunt hæc advertenda. Notandum 1. quòd omnes Confessarii Monialium indigent speciali electione et approbatione Episcopi loci, ex *Decretis S. C. apud de Alexand. Conf. Mon. cap. 6. §. 6. Qu. 1.* Si verò Moniales sint exemptæ, Confessarii earum presentantur à propriis, sed etiam ab Episcopo approbantur ex *Constit. Gregor. XV Inscrutabili*, quam confirmavit *Bened. XIII* in *Bulla Pastoralis an. 1726. die 27. Mart.* Et hoc etiam pro Confessione culparum tantum venialium, ut decrevit *S. C. apud de Alex. ib. Qu. 2.*

Not. 2. quòd Confessarii Monialium, elapso triennio, declarantur suspensi ab audiendis ipsarum Confessionibus, nisi licentiam S. C. obtineant, ex pluribus, *Declar. S. C. apud de Alex. ibidem Quæst. 3.* Et hoc valet etiam pro Confessariis Conservatoriorum, ex alio Decreto *ibid.* Putat tamen probabiliter *de Alex.*

*ibid.* quòd si aliquis Confessarius eligitur pro supplemento, bene potest confirmari per aliud triennium post tempus supplementi. quia prohibitio de non eligendo Confessario ultra triennium, prout odiosa, strictè accipienda est de electione ordinaria, non extraordinaria.

Advertit etiam *de Alex. Q. 4. in fine*, quòd Episcopi in aliquibus locis ratione deficientiæ Confessariorum idoneorum, sinunt ipsos durare ultra triennium.

Advertit idem *de Alexand. cum Bordon. q. 5.* quòd aliquando Moniales possunt recusare Confessarium ab Episcopo deputatum, ex justa causa, nempe si Confessarius sit inimicus propinquorum aliquarum Monialium, vel si sit nimis rigidus, etc.

Not. 3. quòd prohibentur eligi in Confessarios Monialium Vicarii Generales, Parochi, si cura notabiliter læderetur, omnes Regulares, ex pluribus *Declar. S. C. apud de Alex. c. 6. §. 6. Qu. 6.* Item Canonici Pœnitentarii, ex alia *Declar. S. C. Concilii.* Sed bene posse eligi, si Episcopus aliter iudicaret, sentit *de Alexand. Qu. 7.*

Not. 4. quòd ex *Decl. S. C. apud Alex. Qu. 8.* præcipitur Confessionalia monialium amoveri à sacristia, vel aliis locis occultis, sed collocari in exterioribus ecclesiæ. In necessitate tamen licet audire Confessiones in alio loco, modò vitetur aspectus Confessarii, et Monialis, ut advertit *ibi de Alex.*

Not. 5. stipendium Confessarii non posse excedere duos julios pro quolibet die, ut ex *Declar. S. C. apud de Alex. Qu. 9.* Sed ipse ait, hoc videri non esse in usu. Et *Diana, ac Scortia* dicunt, quòd si Confessarius inserviat cum magna patientia, et assiduitate, possit Abbatissa aliquid amplius ei dare ultra stipendium taxatum.

Nota hîc ultimò, quòd Capellani exercituum nequeunt absolvere milites degentes in Præsidiis sine facultate Sedis Apostolicæ, aut licentia Ordinarii, ex pluribus *Declar. S. C. quas refert P. Zacharia apud Croix lib. 6. p. 2. ad n. 1518.*

#### DUBIUM IV.

Quid sit reservatio casuum, et quis habeat potestatem reservandi, et absolvendi ab iis.

378. Quid est reservatio? — 379. Qu. I. An sit licita, et valida reservatio facta sine causa? — 380. Qu. II. An ignorantes reservationem casuum Papalium ab ea excusentur? — 381. Dub. 1. An excusentur ignorantes casus reservatos ab Episcopis? Dub. 2. Quid si casibus Episcopalis sit annexa excommunicatio? — 382. Dub. 1. An possint reservari peccata venialia? Dub. 2. An peccata merè interna? Dub. 3. Quid si peccatum fuerit externe leve, et interne grave? — 383. An Regulares possint reservare casus; et quos? An novitii et familiares sint exempti à casibus reservatis? — 384. Vide quæ sunt apud Busemb. — 385. Quando possit simplex Confessarius absolvere à reservatis? Dub. 1. An si impedi-

mentum sit perpetuum, possit directè absolvere? Dub. 2. An tunc pœnitens teneatur confiteri, ut possit communicare? Remissivè ad *n. 265. v. Qu. 1. Dub. 3.* An tunc debeat manifestare etiam non reservata. Remissivè ad eund. *n. 265. v. Qu. II. — 386.* Quid si Superior neget facultatem absolvendi? — 387. A quo possint absolvi peregrini? — 388. Dub. 1. Quid, si peccatum est tantum reservatum in loco Confessionis? — 389. Dub. 2. Quid, si est tantum reservatum in patria? Et quid, si quis discedat à patria in fraudem? Et quomodo intelligendum *to in fraudem*? — 390. Dub. 3. An peregrinus possit absolvi à censura reservata in patria? — 391. Dub. 4. An peccans in aliena Diœcesi, ubi casus est reservatus, incurrat reservationem? Et an excommunicationem annexam? — 392. Dub. 5. An peccans in Monasterio exempto, vel in aliena Diœcesi, possit absolvi in patria à simplici Confessario? — 393. Dub. 6. An Episcopi possint absolvere peregrinos à casibus Papalibus occultis, et cum eis dispensare in irregularitatibus? An eandem facultatem habeant Vicarii Capitulares, et alii Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem? Not. 1. An Episcopi possint tollere reservationem extra Sacramentum? Not. 2. Quid, si Episcopus incidit in crimen reservatum? Not. 3. Quando intelligatur crimen esse occultum? An autem Episcopus possit dispensare in votis cum Peregrinis? Et in irregularitatibus etc. cum impeditis? Remissivè. — 394. Dub. 7. An facultas in cap. *Liceat*, sit pro casibus tantum ante Concilium reservatis? Dub. 8. An Episcopi possint absolvere à reservatis ab aliis Episcopis? Dub. 9. An Episcopi possint hanc facultatem generaliter committere? An possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ? Remissivè ad *lib. 7. n. 81 et seq. — 395.* An Superior possit aliquando absolvere à reservatis, et pro aliis mittere pœnitentem ad inferiorem? — 396. An absolutus ab habente potestatem possit à quocumque accipere absolutionem de reservatis? Qu. I. An si pœnitens confiteatur bona fide, vel obliviscatur reservati, validè, et licitè absolvatur à simplici Confessario? — 397. Qu. II. An confessus Superiori, et oblitus reservati possit à quocumque absolvi? — 398. Qu. III. An per Confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio? Qu. IV. Quid si Confessio fuerit sacrilega? — 399. Qui possint absolvere à reservatis? An pœnitentarii? An Mendicantes possint absolvere à casibus Episcopis, vel ab Episcopis reservatis? — 400. Qu. I. Utrum in dubio an pœnitens incurrit casum reservatum, possit à quocumque absolvi? Qu. II. Quid si postea pœnitens cognoscat peccatum ut certum? — 401. Qu. III. An qui peccavit in confidentiam licentiæ? Qu. IV. An licentia valeat pro peccatis etiam post illam commissis? — 402. Qu. V. An moniales subiaceant reservationi factæ ab Episcopo? Qu. VI. An subiaceant Moniales exemptæ? Qu. VII. An Episcopus quoad clausuram possit casus Monialium reservare?

378. — « RESP. I. Reservatio hæc est negatio jurisdictionis » circa aliquod peccatum. Ac certum est in Ecclesia potestatem » esse quædam peccata reservandi, à quibus inferiores Con- » fessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur, » et absterreantur à peccatis, quorum difficilem remissionem » vident: quamquam, nisi graves causæ sint, non debeat quivis, » neque qui potest, quidvis facile reservare, neque difficulter

*ibid.* quòd si aliquis Confessarius eligitur pro supplemento, bene potest confirmari per aliud triennium post tempus supplementi. quia prohibitio de non eligendo Confessario ultra triennium, prout odiosa, strictè accipienda est de electione ordinaria, non extraordinaria.

Advertit etiam *de Alex. Q. 4. in fine*, quòd Episcopi in aliquibus locis ratione deficientiæ Confessariorum idoneorum, sinunt ipsos durare ultra triennium.

Advertit idem *de Alexand. cum Bordon. q. 5.* quòd aliquando Moniales possunt recusare Confessarium ab Episcopo deputatum, ex justa causa, nempe si Confessarius sit inimicus propinquorum aliquarum Monialium, vel si sit nimis rigidus, etc.

Not. 3. quòd prohibentur eligi in Confessarios Monialium Vicarii Generales, Parochi, si cura notabiliter læderetur, omnes Regulares, ex pluribus *Decr. S. C. apud de Alex. c. 6. §. 6. Qu. 6.* Item Canonici Pœnitentarii, ex alia *Declar. S. C. Concilii.* Sed bene posse eligi, si Episcopus aliter judicaret, sentit *de Alexand. Qu. 7.*

Not. 4. quòd ex *Decl. S. C. apud Alex. Qu. 8.* præcipitur Confessionalia monialium amoveri à sacristia, vel aliis locis occultis, sed collocari in exterioribus ecclesiæ. In necessitate tamen licet audire Confessiones in alio loco, modò vitetur aspectus Confessarii, et Monialis, ut advertit *ibi de Alex.*

Not. 5. stipendium Confessarii non posse excedere duos julios pro quolibet die, ut ex *Declar. S. C. apud de Alex. Qu. 9.* Sed ipse ait, hoc videri non esse in usu. Et *Diana, ac Scortia* dicunt, quòd si Confessarius inserviat cum magna patientia, et assiduitate, possit Abbatissa aliquid amplius ei dare ultra stipendium taxatum.

Nota hîc ultimò, quòd Capellani exercituum nequeunt absolvere milites degentes in Præsidiis sine facultate Sedis Apostolicæ, aut licentia Ordinarii, ex pluribus *Declar. S. C. quas refert P. Zacharia apud Croix lib. 6. p. 2. ad n. 1518.*

#### DUBIUM IV.

Quid sit reservatio casuum, et quis habeat potestatem reservandi, et absolvendi ab iis.

578. Quid est reservatio? — 579. Qu. I. An sit licita, et valida reservatio facta sine causa? — 580. Qu. II. An ignorantes reservationem casuum Papalium ab ea excusentur? — 581. Dub. 1. An excusentur ignorantes casus reservatos ab Episcopis? Dub. 2. Quid si casibus Episcopalis sit annexa excommunicatio? — 582. Dub. 1. An possint reservari peccata venialia? Dub. 2. An peccata merè interna? Dub. 3. Quid si peccatum fuerit externe leve, et interne grave? — 583. An Regulares possint reservare casus; et quos? An novitii et familiares sint exempti à casibus reservatis? — 584. Vide quæ sunt apud *Busemb.* — 585. Quando possit simplex Confessarius absolvere à reservatis? Dub. 1. An si impedi-

mentum sit perpetuum, possit directè absolvere? Dub. 2. An tunc pœnitens teneatur confiteri, ut possit communicare? Remissivè ad *n. 265. v. Qu. 1. Dub. 3.* An tunc debeat manifestare etiam non reservata. Remissivè ad eund. *n. 265. v. Qu. II. — 586.* Quid si Superior neget facultatem absolvendi? — 587. A quo possint absolvi peregrini? — 588. Dub. 1. Quid, si peccatum est tantum reservatum in loco Confessionis? — 589. Dub. 2. Quid, si est tantum reservatum in patria? Et quid, si quis discedat à patria in fraudem? Et quomodo intelligendum to *in fraudem*? — 590. Dub. 3. An peregrinus possit absolvi à censura reservata in patria? — 591. Dub. 4. An peccans in aliena Diœcesi, ubi casus est reservatus, incurrat reservationem? Et an excommunicationem annexam? — 592. Dub. 5. An peccans in Monasterio exempto, vel in aliena Diœcesi, possit absolvi in patria à simplici Confessario? — 593. Dub. 6. An Episcopi possint absolvere peregrinos à casibus Papalibus occultis, et cum eis dispensare in irregularitatibus? An eandem facultatem habeant Vicarii Capitulares, et alii Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem? Not. 1. An Episcopi possint tollere reservationem extra Sacramentum? Not. 2. Quid, si Episcopus incidit in crimen reservatum? Not. 3. Quando intelligatur crimen esse occultum? An autem Episcopus possit dispensare in votis cum Peregrinis? Et in irregularitatibus etc. cum impeditis? Remissivè. — 594. Dub. 7. An facultas in cap. *Liceat*, sit pro casibus tantum ante Concilium reservatis? Dub. 8. An Episcopi possint absolvere à reservatis ab aliis Episcopis? Dub. 9. An Episcopi possint hanc facultatem generaliter committere? An possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ? Remissivè ad *lib. 7. n. 81 et seq. — 595.* An Superior possit aliquando absolvere à reservatis, et pro aliis mittere pœnitentem ad inferiorem? — 596. An absolutus ab habente potestatem possit à quocumque accipere absolutionem de reservatis? Qu. I. An si pœnitens confiteatur bona fide, vel obliviscatur reservati, validè, et licitè absolvatur à simplici Confessario? — 597. Qu. II. An confessus Superiori, et oblitus reservati possit à quocumque absolvi? — 598. Qu. III. An per Confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio? Qu. IV. Quid si Confessio fuerit sacrilega? — 599. Qui possint absolvere à reservatis? An pœnitentarii? An Mendicantes possint absolvere à casibus Episcopis, vel ab Episcopis reservatis? — 600. Qu. I. Utrum in dubio an pœnitens incurrit casum reservatum, possit à quocumque absolvi? Qu. II. Quid si postea pœnitens cognoscat peccatum ut certum? — 601. Qu. III. An qui peccavit in confidentiam licentiæ? Qu. IV. An licentia valeat pro peccatis etiam post illam commissis? — 602. Qu. V. An moniales subiaceant reservationi factæ ab Episcopo? Qu. VI. An subiaceant Moniales exemptæ? Qu. VII. An Episcopus quoad clausuram possit casus Monialium reservare?

578. — « RESP. I. Reservatio hæc est negatio jurisdictionis » circa aliquod peccatum. Ac certum est in Ecclesia potestatem » esse quædam peccata reservandi, à quibus inferiores Con- » fessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur, » et absterreantur à peccatis, quorum difficilem remissionem » vident: quamquam, nisi graves causæ sint, non debeat quivis, » neque qui potest, quidvis facile reservare, neque difficulter



» veniam dare absolventi à reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debebat in ædificationem. Porro etsi quisvis Ordinarius potestatem habeat reservandi, in Parochis tamen consuetudo eam abrogavit. Vide *Suar. d. 30. sect. 5. C. de Lugo d. 15. sect. 6. §. 3.* ( *Adverte hic Decretum S. C. Concilii apud Fagnan. in c. Cum olim, de Præscript. n. 24, nempe quòd Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem bene possunt casus reservare.* ) »

579. — Quæritur hic I. An sit valida reservatio facta sine justa causa? Communiter affirmant peccare lethaliter Superiores, si sine rationabili causa casus reservant. Vide *Holz. p. 181. n. 690.* An autem invalidè reservent? Affirmant *P. Soto, Ledesma, Henr. etc. ap. Escob. l. 16. n. 470,* quia ex Concilio *Sess. 14. c. 7.* Episcopis datum est reservare casus, in ædificationem ( ut ibi dicitur ), non in destructionem. Negant tamen communius et verius *Laym. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 5. Holz. d. n. 609. Suar. p. 2. d. 39. sect. 4. n. 8. Lugo d. 20. n. 36. Ciera de Cas. res. d. 1. n. 13. et Escob. n. 472. cum Sylo. Fag. etc. Ratio,* quia tota jurisdictio emanat ab Episcopo, qui sicut potest Confessariis suis, etiam Parochis, non concedere facultatem absolventi aliquem casum, ita poterit reservare; in omni autem dubio standum pro potestate Superioris, qui eam possidet. Limitant verò *Lugo 12. 37. et Ciera n. 14,* respectu Parochorum, si tanta sit reservatio, ut moraliter non possent suum officium exercere, tunc autem illa reservatio tantum esset nulla, quæ esset posterior et excedens.

580. — Quæritur II. An ignorantes reservationem alicujus casus, ab ea excusentur? Hic distinguendum inter casus reservatos à Papa, et reservatos ab Episcopo. Si casus sit Papalis, commune est inter DD. ( contra *Conc. p. 575. n. 20.* ) ignorantes à reservatione excusari. Ita *Suar. 3. p. d. 29. sect. 2. n. 8. Sanch. Dec. l. 2. c. 8. n. 3. et c. 11. n. 1. et de Matr. l. 9. d. 32. n. 18. Mol. t. 1. de Just. d. 92. Laym. c. 12. n. 2. Viva de Jubil. q. 11. a. 1. Wig. tr. 14. n. 58. Ciera d. 1. n. 29. Croix l. 6. p. 2. num. 1614. cum Aversa, et Stoz, Tamb. de Cas. res. l. 5. c. 5. num. 7. Abelly p. 144. n. 2. Diana p. 5. tr. 9. R. 17. Pal. de Pæn. p. 15. §. 2. n. 1. cum Vasq. Gon. et Henr. ac Salm. tr. 18. de Priviil. c. 4. n. 9. cum Trull. Vidal, Moya, Caj. Durant. Hurt. Gran. etc. ap. Croix n. 1614. cum Aversa, Gob. etc. et probabilem putant *Lugo d. 20. num. 11. et Mazzotta t. 3. p. 455. cum Bon. Fag. Quarti, etc.* Ratio, quia casus Papales principaliter reservantur propter censuram, à qua certè excusat ignorantia, juxta dicenda l. 7. n. 43. utque patet ex cap. 2. de Constit. in 6. ubi dicitur: « Ut animarum periculum obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prælatis ligari nolumus ignorantes, dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Et licet in casibus Papalibus non reservetur tantum censura, sed etiam peccatum, ut verius et communius docent *Sanch. d. n. 5. et Suar. l. c. n. 8. cum**

*D. Thoma, Palud. Gabr. Major. Nav. etc. contra Caj. Durand. et Trull.;* nam aliàs hæreticus qui bona fide confiteretur suum peccatum cuicumque Confessario, maneret ab eo absolutus, nec teneretur postea illud Superiori confiteri, quod non videtur probabile; attamen, quia in casibus Papæ reservatis immediatè reservatur censura ( cum in Bullis dicatur, *sub pœna excommunicationis nobis reservata* ), et mediatè peccatum quod est censura ligatum, ideo cum peccatum sit indivisibile à censura, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; contra verò, cum censura sit medium quo reservatur peccatum, sublato medio, id est censura, non remanet reservatum peccatum. Si autem aliquis sciens censuram, ignorabat esse reservatam, *Bon. et alii ap. Mazzotta l. c.* excusant eum à reservatione, sed melius dicit *Mazz. cum Quarti,* non excusari, quia is jam consentit in pœnam censuræ, adeoque implicite in ejus reservationem, et in omnes alios effectus ejusdem, licet ignoratos.

Diximus, quòd casus Papales ut plurimum reservantur cum censura, sed excipiendi sunt duo casus, qui sunt Pontifici reservati sine censura. Casus 1. est, si quis falso accusat Sacerdotem innoxium de sollicitatione apud Judices ecclesiasticos, sive per seipsum, sive procurando ut per alios calumnia inferatur; ita ex *Constitut. Benedicti XIV,* quæ incipit *Sacramentum.* Casus 2. est ( ut fert Auctor libri, cui titulus, *Instruzione per li Novelli Confessori p. 2. c. 15. n. 306.* ) si quis accipiat dona à Regularibus utriusque sexûs, nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scuterum Romanorum, vel, si valeant minoris, saltem partem ad arbitrium Pœnitentiarii. An autem ab his duobus casibus incurrendis excuset ignorantia? vide mox dicenda *n. sequenti.* Præterea excipiunt *Sanch. de Matr. d. n. 18. et Coninch. d. 8. n. 82.* casum simoniacè promoti vel promoventis ad Ordines, ex Bulla Sixti V. De hoc tamen casu loquens *Sanch. l. c.* dicit illud non incurri ab ignorante, quia hæc reservatio fuit imposita in meram pœnam delinquentium; sed melius dicendum cum *Palao l. c.* non incurri, quia in *Extrav. de Simon.* huic erimini postea imposita est excommunicatio Papalis.

581. — Sed dubitatur 1. An ignorantes invincibiliter reservationem, excusentur ab incurrendis casibus etiam ab Episcopis reservatis? Adsunt tres sententiæ. Prima universè affirmat, et hanc tenent *Ciera d. 1. n. 31. item Palud. Graff. Quintanad. etc. ap. Salm. tr. 18. c. 4. n. 13. item Reg. Mald. Bass. Coriol. etc. ap. Mazz. p. 455. v. Tertio,* ac probabilem putat *Lugo D. 20. n. 11.* Ratio, ut aiunt, quia reservatio habet rationem pœnæ, à qua excusat ignorantia. Hanc sententiam probabilem quoque putant *Salm. d. c. 4. num. 13. et Roncag. p. 106. c. 2. q. 4.* ( et idem sentiunt *Elhel p. 303. n. 346. Gobat. tr. 7. n. 306. et Spor. n. 735. cum aliis,* dum inquirunt ignorantem pro prima vice posse absolvi ). Verùm *Salm. et Roncaglia* diversa ratione utuntur: fatentur enim reservationem non esse meram pœnam, sed dicunt quòd habet rationem pœnæ medicinalis, ut illius timore retra-

hantur homines ab atrocioribus peccatis; at nullo modo retrahi possunt à peccando per reservationem, qui eam ignorant; unde, cessante fine adæquato reservationis in ignorantibus, cessat etiam reservatio. *Secunda* sententia, quæ parum differt à prima, et quam tenent *Joseph de Januar. de Casib. Reser. Res. 1.* et probabilè putant *Viva l. c. et Diana p. 10. tr. 14. R. 63. cum Graff. et Nav.* distinguit, et dicit, incurri quidem reservationem factam ab Episcopo per præceptum particulare; secus verò, si facta fuerit per legem generalem, aut Statutum Synodale, prout sunt casus reservati qui adnotantur in Tabella. Ratio, quia in primo casu reservatio habet rationem medicinæ, et directè respicit Confessarios; in secundo autem casu, cum reservatio fiat in statuto, habet rationem pœnæ, et directè respicit pœnitentes. *Tertia* verò sententia communior, cui subscribo, universè negat posse absolvi ignorantes reservationem, et hanc tenent *Sancti de Matr. l. 9. d. 32. n. 18. Pal. tr. 2. d. 1. p. 19. n. 8. Holzm. p. 180. n. 687. Wigandt tr. 14. n. 58. Tamb. de Cas. res. c. 1. n. 2. Ant. p. 527. q. 1. Concina p. 563. ex n. 2. Viva q. 9. a. 3. n. 2. et Croix n. 1608. cum aliis communissimè.* Ratio, quia reservatio non est quidem pœna respiciens pœnitentes, sed restrictio jurisdictionis respiciens Confessarios, et de hoc non videtur dubitandum; nam Tridentinum *Sess. 14. c. 7.* ad ostendendum quòd *Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis* ( ut ibi in fine declarat ), hæc verba præmittit: « Nullius momenti » absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, » in quem ordinariam, aut subdelegatam ( nota ) non habet » jurisdictionem. Magnopere verò ad christiani populi disciplinam pertinere, SS. Patribus nostris visum est, ut atrociora » quædam crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat » Sacerdotibus absolventur. » Ideo igitur nihil possunt Sacerdotes in reservatis, quia carent jurisdictione super illis, cum Episcopi ob publicum bonum quorundam graviorum criminum iudicium sibi reservent. Patet ergo, quòd reservatio directè respicit Confessarios, non pœnitentes. Nec obstat dicere, quòd licet reservatio respiciat Confessarios, eorumque limitet jurisdictionem, finis tamen reservationis directè respicit pœnitentes, cum tantum ad pœnitentium remedium reservatio instituta sit, ut nimirum à culpis atrocioribus retrahantur: unde, cessante fine adæquato reservationis in eam ignorantibus, cessat etiam reservatio. Nam respondetur, quòd finis reservationis non est tantum, ut fideles à culpis gravioribus absterreantur, sed etiam ( prout rectè dicit *Fagnan. in c. Omnis, de Pœn. n. 90. cum aliis* ) ut recipiant à Superioribus pœnitentias, et monita, ac remedia opportuniore, quæ non nisi à prudentioribus applicari expedit; ergo, cum in ignorantibus non cesset adæquate finis reservationis, reservatio non cessat.

Dubitatur 2. An ignorantes excusentur à casu reservato ab Episcopo, si casui est annexa excommunicatio? Certum est, quòd ignorantia excusat ab excommunicatione; dubium est, an tunc

excuset etiam à reservatione casus? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Wigandt tract. 14. num. 58. Ciera d. 1. num. 31. et Fagund. Bonac. Quarti, Aversa, et Jan. apud Mazz. t. 3. p. 455. v. Secundo.* Ratio, quia cum adnectitur casui excommunicatio, reservatio fit indivisibilis; unde qui non incurrit excommunicationem, nec etiam incurrit peccati reservationem. *Secunda* verior sententia negat, et hanc tenent *Tamb. de Cas. res. c. 5. num. 7. Suar. de Pœn. d. 29. sect. 2. n. 11. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 10. Croix l. 6. p. 2. n. 1614. cum Stoz, et Mazzotta l. c. cum Merrol. Bossio, et aliis.* Ratio, quia in hoc differunt casus Papales ab Episcopalibus, in Papalibus enim ( ut diximus ) principaliter, et indivisibiliter reservatur censura; in Episcopalibus verò principaliter, et per se reservatur casus, eique adnectitur censura, ad hoc, ut peccantes fortius ligentur, et per duplicem reservationem à peccando absterreantur; et ideo in Tabella casuum reservatorum ab Episcopis sic illi adnotantur: « Casus reservati, quibus est annexa excom- » municatio. »

« 1. Cum non sit obligatio confitendi venialia, ea frustra reservantur, etsi fortasse possint, saltem à Papa; ideoque sola mortalia, eaque non nisi externa graviora, opere consummata, prouderent reservantur. » ( *Hinc incestus, vel sodomia extra vas, non reservatur; vide Mazzotta t. 3. pag. 592. n. 9 et pag. 549.* » Insuper peccata reservata debent esse perfecta in sua specie: » unde sodomia imperfecta, v. gr. maris cum femina, non intelligitur reservata, ut *Tournely tom. 3. p. 501. vers. Etsi, cum Azor. Sylvio, Conc. etc. ex D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 1. ubi ad sodomiam requirit accessum ad indebitum sexum* ) »

582. — Hic dubitatur, 1. an possint reservari peccata venialia? Negat *Vasq. ap. Croix n. 1604.* Sed communissimè affirmant *Holzm. pag. 182. n. 692. Conc. p. 559. n. 2. Ciera n. 63. et Croix l. c. cum Suar. Lugo, Conc. Fill. Dic. et Aversa.* Ratio, quia licet non sit obligatio confitendi venialia, tamen ipsa non possunt remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, nisi ex vi jurisdictionis dependentis ab Ecclesia, quæ bene potest negare vel limitare.

Dubitatur 2. an possint reservari peccata merè interna? Videtur negandum, cum peccata interna, utpote occulta, non subjiciantur iudicio Ecclesiæ, quæ non iudicat de oculis. Sed communiter et rectè affirmant *Elbel n. 342. Viva quæst. 9. a. 2. n. 1. Antoine p. 527. q. 1. et Croix num. 1605. cum Suar. Vasq. Bon. Soto, Sylvio etc.* Ratio, quia omnia peccata etiam interna absolventur vi jurisdictionis, quæ ab Ecclesia ( cuius est dare jurisdictionem ) bene potest restringi. Unde Ecclesia, reservando peccata interna, non iudicat de illis, sed de absolutione ab illis; quæ est actus externus. Advertit tamen *Tamburr. de Casib. res. l. 5. c. 4. n. 12.* Ecclesiam nunquam consuevisse huiusmodi peccata interna reservare.

Dubitatur 3. An cadat sub reservationem peccatum externè leve, si internè sit grave? Affirmat *Turrianus in Select. Disp.*

p. 3. D. 31. dub. 71. Sed alii verius et communiter negant, ut Lugo d. 20. n. 15. Suar. tr. 4. de Relig. l. 2. c. 18. n. 12. ac Ciera. D. 1. num. 69. cum Granad. Bon. Hering. Sanch. et aliis. Ratio, quia, licet actus externus imbibat totam malitiam actus interni, et totam mereatur pœnam æternam, tamen quoad reservationem, diversa currit ratio, quia superiores non intendunt reservare peccata, nisi graviter exterius consummata, cum non soleant reservare interna.

585. — « Unde Clemens VIII statuit, ut Prælati Religionum, si quidem velint, undecim tantum casus reservare possint, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, vel Capituli provincialis pro Provincia. Quod tamen de culpa tantum, et non censuris intelligendum est; potest enim Prælati aliquid præcipere sub excommunicatione sibi reservata. » ( Sed communius et probabilius negant DD. posse prælatos imponere censuras super aliquem casum; ita Lugo d. 20. n. 47. Sanch. l. 6. c. 1. n. 15 et Holtm. p. 181. n. 688. cum Diana, quia hoc esset indirectè velle reservare, et eludere prohibitionem Clementis. Et de hoc Cont. Tourn. t. 6. p. 2. pag. 125. profert Decretum S. C. Episcop. sub 7 julii 1717. )

« Casus autem Clementis sunt sequentes: 1. Apostasia à Religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiva è Monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes, et sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus Monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Juramentum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ. 10. Falsificatio manûs, vel sigilli officialium Monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel contra. »

Hic notandum, quod Religiosi exempti non subjacent reservationi Episcopi, nec eorum Novitii: Mazzotta t. 3. p. 458. q. 5. Neque ipsorum familiares, ut habetur ex Bulla Clementis VIII. « Superna, modò ( ut ibi dicitur ) imbi sint quasi de familia, et continui commensales. » Id extendit Bordon. ad Alumnos Monasteriorum. Si verò Novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi à quolibet Confessario seculari, sed poterit à Confessario Religionis, ob privilegium Religionis concessum; Mazz. l. c. cum Sanchez, Tamb. et aliis.

584. — « 2. Is, qui confitetur reservatum, mittendus est ad superiorem (suadebit tamen caritas, imò aliquando coget, ut ipse Confessarius tacita persona, et casu, à superiore veniam petat absolvendi. ) ( Ordinariè tamen loquendo, consultum est, ut Confessarius à subeundo tali onere se absteineat, ut Tamb. in Meth. Conf. c. 9. §. 4. ) Quòd si superior adiri non possit, et sit causa urgens, verbi gratia, timor infamiæ, vel scandali, ex omissione confessionis, vel communionis, tunc potest inferior

absolvere à reservatis, cum onere, ut pœnitens se postea superiori sistat. ( Vide de Censur. lib. 7. n. 91. ) Quod etiam verum est, quamvis casus censuram reservatam annexam habeat. ( Imò hoc est certum ex c. De cætero, et c. Ea noscitur, de Sent. excom. Vid. lib. 7. n. 86. ) Porro eo casu peccata non reservata tantum confiteri sufficere putant probabiliter Sotus, Corduba, et Gabr. Anton. Palaus, Dian. 2. tract. 4. res. 104. et Lugo d. 14. de Euchar. n. 86. non improbat S. Th. tamen Suarez, et alii commun. docent omnia esse confitenda, quod tutius est. »

585. — Quando igitur adest impedimentum, et urget gravis causa confitendi, quivis Confessarius potest indirectè absolvere à casibus reservatis ab Episcopo ( et etiam à reservatis à Papa, si Episcopus non possit adiri, ut diximus n. 563. dub. 2. ) Ita communiter Laym. c. 12. n. 10. Suar. d. 31. sect. 3. nu. 3. Pal. p. 15. Conc. p. 558. n. 10. Wigandt tr. 14. nu. 76. Viva q. 9. art. 2. nu. 9. Elbel. nu. 372. Bon. par. 5. §. 3. n. 5 et Ciera n. 74. Salm. c. 14. n. 74. cum Coninck. Rodr. Henr. etc. Et hoc etiam si peccatum sit reservatum cum excommunicatione, ut dicunt Suar. d. 31. sect. 2. Fill. nu. 303. Salm. nu. 75. Ciera l. c. cum Lugo, et Bon. ibid. cum Vasq. Cano, et Led. ( contra Nav. Sa, etc. ) Vid. dicta n. 265. Qu. 3.

Diximus 1. si adsit gravis causa, nempe si nequeat adiri superior sine scandalo, aut nota infamiæ ( ut aiunt Conc. et Wigandt ), vel sine magna difficultate; puta si habens facultatem longè distet ( ut dicunt Laym. Elbel, et Bon. ); et ex alia parte urgeat necessitas communicandi, vel implendi præceptum annuæ Confessionis, aut ne diu pœnitens maneat in peccato mortali; ut dicunt communiter omnes præfati AA.

Diximus 2. indirectè, unde ( juxta sententiam probabiliorum, allatam n. 265. Qu. 1. ) tenetur pœnitens Confessario non habenti facultatem in reservata, confiteri alia mortalia non reservata, ut directè ab his absolvatur, et indirectè à reservatis, ac deinde tenetur, cessante impedimento, reservata confiteri Confessario habenti potestatem, juxta dicenda in dub. seq. et de Cens. l. 7. n. 91. Et sic pariter, si non habeat aliud mortale non reservatum, et dubitet de contritione, urgente præcepto Confessionis, tenetur confiteri saltem aliquod veniale, vel mortale aliis confessum. Vide dicta d. n. 265.

Dubitatur 1. An si impedimentum adeundi superiorem sit perpetuum, possit tunc inferior directè absolvere peccatum reservatum sine censura, ita ut pœnitens deobligetur in posterum ab adeundo superiore, si postea cessabit impedimentum? Affirmant Sanch. Dec. lib. 2. c. 13. n. 50 et Salm. de Censur. c. 2. num. 46. quia ( ut dicunt ) nullo jure cavetur adesse onus se præsentandi ad superiorem pro peccatis sine censura reservatis, quæ supponuntur eo casu directè absoluta. Sed verius docent Suar. d. 30. sect. 3. n. 8. Laym. c. 12. nu. 10 et Ciera n. 164. cum communi, quòd extra articulum mortis nullus inferior Sacerdos

potest directè absolvere à reservatis : « Extra quem articulum ( dicit Trid. *sess. 14. cap. 7.* ) Sacerdotes nihil posse in casibus » reservatis. » Hoc verò procedit in casibus Episcopalibus ; nam in Pontificiis regula juris est ( ut bene ait *Suar. l. c.* ) quòd quoties non patet aditus ad Pontificem, potest pœnitens directè absolvi ab Episcopo, vel cùm etiam adsit impedimentum adeundi Episcopum à quolibet Confessario, cum onere in posterum se præsentandi ad Pontificem, quando poterit, si impedimentum non est perpetuum ; nam si est perpetuum, omnino liberatur, juxta dicenda *lib. 7. num. 88.* De absolutione autem horum casuum Papalium pro eis qui sunt impediti Pontificem adire, vide alia dicenda de *Cens. lib. 7. ex n. 84.*

Dubatur 2. Utrùm habens peccatum reservatum, si desit Confessarius qui habeat facultatem, teneatur confiteri apud inferiorem, urgente necessitate communicandi ? Quamvis negativa sententia non sit improbabilis, communior tamen et probabilior est affirmativa, quia ante Communionem fieri debet Confessio, saltem formaliter integra, quando materialiter fieri nequit. Vide dicta *n. 265. Quest. 1.*

Dubatur 3. Utrùm hujusmodi pœnitens volens confiteri apud inferiorem, tenetur tunc manifestare tam mortalia reservata, quam non reservata ? Vide *ibid. Qu. II.* ubi diximus probabilem esse sententiam negativam, nisi manifestatio reservatorum sit necessaria, ut Confessarius possit rectè judicare de dispositione pœnitentis, et opportuna remedia præscribere. Unde si Confessarius interroget, tenetur omnino Pœnitens etiam reservata manifestare, nam ( ut bene ait *Lugo d. 16. n. 123.* ) esto pœnitens per se aliquando non teneatur aliqua manifestare, debet tamen ea patefacere, si interroget Confessarius, qui jus habet agnoscendi statum ejus conscientie, tam uti Judex, ut rectè possit judicare de dispositione, quam uti Medicus, ut remedia salutaria queat applicare. Et huic videtur collimare id quod docet *D. Th. Suppl. 3. p. q. 9. ar. 2. ad 4.* ubi ait « Etiam si Sacerdos non » possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia » confiteri, ut ( *nota* ) quantitatem totius culpæ agnoscat. »

386. — « 3. Si superior injustè neget facultatem absolvendi à reservato, posse ab alio Confessario etiam directè absolvi, affirmant *Henrig. et Dian. p. 2. t. 4. Resol. 29.* esse probabile. Sed rectius negat *Laym. l. 3. tr. 9. c. 13. Card. de Lugo d. 29. n. 188.* ( *Et hanc tenendam puto cum communi, quam tueritur Lugo d. 20. n. 148. Laym. c. 13. n. 3. Salm. c. 13. n. 62. et Ciera d. 1. n. 126. cum Suar. Soto, Alensi, Med. etc.* Ratio, tum quia, ex Trid. ut supra, Sacerdotes inferiores nihil possunt in reservatis, tum quia, sicut valida est injusta reservatio, ita etiam injusta denegatio facultatis ).

« 4. Peccant Superiores, si sine justa causa difficiles se præbeant in concedendis licentiis pro absolutione reservatorum. » *Quintan. t. 3. nu. 13. ex Fag. Conc. et aliis 10.* Et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra

» caritatem, et justitiam. *Lugo, Diana p. 6. t. 6. R. 56.*  
 » ( *Unde ait Ciera D. 1. n. 109. cum Suar. ex D. Thoma, Superioriorem regulariter non debere esse difficilem in concedenda facultate: ac proinde peccare, si eam neget. casu quo sciat pœnitentem nullo modo posse induci ad ipsum adeundum.* )  
 » « 5. Si Superior Confessario Regularium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, Confessarius autem judicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. *Avers. q. 17. sect. 5. Lugo d. 20. sect. 4.*, referens sic declarasse Clementem VIII, haberique in quarto tomo Bullarii, Bulla 26. Urbani VIII. ( *Ita etiam communiter Salm. de Pœnit. c. 13. n. 63. cum Gabr. et Vioa q. 9. a. 4. n. 7. qui notat quòd to, pro ista vice, intelligitur toties quoties intercederit. Et de hoc Contin. Tourn. tom. 6. p. 2. pag. 125. profert Decretum S. C. de consensu Urbani VII.* ) et *Quintan. t. 3. sect. 11.* dicens non esse dubium ea de re : additque ex aliis septem probabile esse, idem posse, si viro religioso, pio, docto, et prudenti, licet non ex designatis de facto, neget. *Dian. p. 3. t. 3. res. 126. par. 6. tom. 6. res. 56. et par. 9. tom. 3. R. 15. ex Pellizzario ( qui vult idem esse, si pœnitens ipse petat ) et aliis. Imò Quint. l. c. censet probabile, quòd idem fieri possit, si superior adiri nequeat, et urgeat tempus celebrationis, vel communionis, v. g. quia sine nota non potest abstinere. cum alii omnes communicent. *ibid. ex Trull. et aliis sex. Denique Dian. p. 3. tr. 2. res. 26. notat ex Suar. de Relig. tom. 4. l. 2. c. 15. Regularares semel sine licentia suorum superiorum posse absolvi à reservatis, putà eos, qui adhuc, et quatenus hoc privilegium commune habent cum FF. Minoribus, quorum id esse testatur Emmanuel Rodr. tom. 1. qq. Reg. q. 62. ar. 6.**

« 6. Nihilominus certum est posse aliquando superiori justis de causis negare facultatem, et cogere subditum, ut ad se veniat. *Card. de Lugo l. c.* Nam si ex casu reservato grave scandalum, vel damnum communitatis timeatur, potest superior negare absolutionem, donec pœnitens per se, vel Confessarium superiori det sufficientem notitiam ad illud evitandum : alias non est satis tutus, nec dispositus ad absolutionem. Quare si Confessarius eo casu urgeat absolutionem, debet is attendere, ut pœnitens obligationi suæ satisfaciatur in adhibendo remedio communi malo, vel damno, si sit ejus periculum, quia, nisi hoc faciat, non potest absolvi, non ex defectu jurisdictionis, sed quia non est dispositus. Ad hoc tamen requiritur, ut et obligatio pœnitentis certa sit, et alia remedia adhiberi non possint. *Suar. to. 4. de Rel. l. 8. c. 5. n. 10.* »

387. — « 7. Peregrinus, quoad reservationem judicandus est juxta diœcesim, in qua versatur : in qua quæ reservata sint, discant Pastores ex Agendis, aut consuetudine. »

Quæritur igitur, an peregrinus discendus in aliam Diœcesim possit ibi absolvi à casibus reservatis ? Si peccatum in utraque Diœcesi est reservatum, commune est apud omnes non posse

absolvi à quolibet Confessario; ita communiter *Suar. D. 30. sect. 1. n. 6. Nap. Man. c. 17. n. 261. Lugo D. 20. n. 69. Bon. D. 5. q. 7. par. 5. §. 2. n. 9.* et alii passim. Posse verò absolvi à Confessario habente facultatem in reservata, dicunt *Suar. VII. et Lugo l. c. et P. Milante in prop. 12. damn. ab Alex. VII. p. 102. ac Vioa qu. 9. a. 3. n. 5. in fine*, cum communiore, quia (ut ait *Suar.*) talis pœnitens iudicandus est quoad Confessionem tanquam incola illius Diœcesis.

588. — Sed dubitatur 1. An possit absolvi à simplici Confessario peregrinus habens peccatum quod est reservatum in illa Diœcesi, sed non in patria? *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Fagund. et Stoz apud Croix n. 1631. ac Sotus apud Vioa q. 9. art. 4. n. 4. v. Equidem* (qui probabilem putat), et alii ap. *Suar. D. 30. sect. 1. n. 6.* Ratio, quia peregrinus debet iudicari juxta leges superioris sui, cujus tacito consensu Confessarius loci eum absolvit. *Secunda* verò sententia negat, et hanc tenent *Suar. l. c. Lugo D. 20. n. 72. Bon. part. 5. §. 2. n. 11. Concina pag. 570. n. 4. Wig. tr. 14. n. 58. Ciera D. 1. n. 61. et Salm. c. 13. num. 26. cum Villal. Dian. Aversa, et Dicast. ac probabilem etiam putat Vioa l. c.* Ratio, tum quia peregrinus debet se conformare legibus loci, in quo se subijcit iudicio sacramentali; tum quia, sicut talis pœnitens sentit commodum, ut possit à quolibet Confessario absolvi de peccatis reservatis tantum in sua patria, prout dicemus in dubio sequenti; ita debet sentire incommodum, ut non possit absolvi à peccatis reservatis in loco Confessionis. Et sic resolvit S. C. Episc. 17 Novemb. 1616, apud *Pitton. de Confess. n. 620.* Hæc sententia est quidem communior, et longè probabilior, quia peregrini, stante hodierna consuetudine (ut mox infra dicetur), nempe quòd absolvuntur ubique à quocumque Confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum, sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ talem consuetudinem approbando tribuit facultatem, ut habeantur ipsi tanquam incolæ loci ubi continentur, cum autem reservatio (ut probavimus n. 581.) respiciat Confessarios, non pœnitentes, Confessarius loci nequit absolvere eos à peccato, in quo sibi limitata est iurisdictio à suo Ordinario.

589. — Dubitatur 2. An possit absolvi peregrinus irretitus peccato, quod est tantum in sua patria reservatum? *Prima* sententia negat, et hanc tenent auctor *de offic. Confess. ap. Croix lib. 1. c. 1. art. 2. quæst. 18. item Vega, Comitol. Nunnus et Megala apud Dian. part. 3. tr. 4. R. 103. et Soto, Fag. Graff. etc. ap. Salm. c. 13. n. 22.* Ratio, quia cum peregrinus absolvatur ex licentia sui Episcopi, non videtur credibile quòd Episcopus, qui in sua Diœcesi casum reservat, non reservet etiam extra. *Secunda* verò sententia communissima et verior affirmat, eamque tenent *Lugo D. 20. n. 71. Suar. D. 20. sect. 1. n. 4. cum Cajet. S. Antonin. et Palud. Concina pag. 570. n. 4. Roncag. p. 106. quæst. 1. R. 2. Mazzotta to. 3. pag. 479. Croix n. 1631. Cabassut. lib. 3. c. 12. n. 1. cum Vasaq. Bonac. ac*

*Salm. c. 13. n. 24. cum Præpos. Gabr. Henr. etc.* Ratio, quia sic habet universalis consuetudo, ut peregrini quoad Confessionem reputentur uti incolæ loci ubi versantur. Hæcque consuetudo approbata est consensu Prælatorum, et maxime Eugenii IV, qui (uti ferunt *Lugo, et Salm. ll. cc.*) approbavit, quòd ii, qui in alieno Episcopatu bona fide versantur, se gerant in ordine ad Confessionem sicut incolæ illius loci. Valde autem rationalis est talis consuetudo, aliàs Confessarii vix possent ullum peregrinum absolvere, cum sæpissimè accidat, quòd neque pœnitentes, neque Confessarii sciant casus in aliena Diœcesi reservados.

Idque confirmatur ex Bulla, *Superna, Clementis X.*, edita 21 Junii 1670 (relata in extensum apud *Croix lib. 7. p. 2. n. 1502.*) in qua sic dicitur: « Posse autem regularem Confessarium in » Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à » peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Con- » fessarius est approbatus, absolvere; nisi eosdem pœnitentes » noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro » absolutione obtinenda migrasse. » Quæ limitatio valet non solum pro Confessariis regularibus: sed etiam (imo tantò magis) pro secularibus, ut rectè dicunt *Croix n. 1631. Vioa quæst. 9. num. 3. art. 4. et Ronc. p. 106. quæst. 1. R. 2. ex Declaratione S. C. apud Dianam.*

Quomodo autem intelligendum illud *in fraudem reservationis*, mutam DD. discrepant. *P. Conc. p. 570. n. 4.* dicit intelligi, si non fiat bona fide; et in hoc revera conveniunt omnes, sed sic non explicatur ubi consistat fraus, quod est punctum difficultatis. Alii verò, ut *P. Mazzotta tom. 3. pag. 470. in fine, cum Tamb. et aliis*, explicant *to in fraudem*, si casus deductus sit ad forum contentiosum, secus si occultus; sed hæc explicatio non videtur congrua, cum Pontifex non loquatur de foro externo, sed tantum de sacramentali. Alii, ut *P. Milante in prop. 12 damnat. ab Alexander. VII p. 102.* (cui consentit *Wigand tr. 14. n. 60.*) sic explicat: « Tunc enim dicitur pœnitens in fraudem reservationis aliò migrare, quando peccavit in confidentiam absolutionis obtinendæ, ubi peccatum reservatum non erat. Si verò postquam crimen commisit, ut facilius absolvatur, aliò divertit, non censetur per fraudem operari, quia nullo intercedente dolo, sed causa majoris facilitatis à sua Diœcesi abscedit: non secus ac si accederet ad aliam Diœcesim, in qua idem crimen foret reservatum, sed plures adessent pœnitentiarij à quibus possit absolvi. » Et ita sentit etiam *Palau tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. numer. 4. cum Basil. de Leone* (quibus adhærent *Salm. de Leg. c. 3. n. 63. in fine*), dum dicit habentem casus reservados posse peregrinari ea intentione, ut alii confiteatur. Sed huic explicationi, nempe quòd illud *in fraudem* intelligatur de peccato in confidentiam, neque acquiescere valeo, cum Pontifex prohibeat absolvi, non qui peccant in fraudem, sed qui in fraudem migrant ad alienam Diœcesim. Alii, ut *Passerin. tom. 1. q. 187. art. 1. nu. 562. et*

*Auctor libri (Intruz. per li Noel. Confess. part. 2. cap. 22. n. 503.) et Campione p. 63. num. 18. dicunt pœnitentem tunc migrare in fraudem, si ad solum finem obtinendi absolutionem aliò discedat, sine alio rationabili motivo. Alii tandem probabilius, ut Lugo d. 20. n. 70. cum Fagandez, Ronc. p. 106. quest. 1. R. 2. et Viva quest. 9. art. 3. n. 4. cum Portel. explicant to in fraudem, quando quis alienam petit Diœcesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique iudicium proprii Pastoris. Ratio, quia fraus dicitur intervenire, ubi lex redditur elusoria, ut ait Barbosa, Axiomate 102. numer. 4. Eluderetur autem hic reservationis lex, si pœnitens aliò migraret ex principali motivo petendi absolutionem. Unde bene ipse absolvi poterit, si abscesserit ad aliquam Diœcesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel Indulgentiæ lucrandæ; vel ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius Confessionem expediat; vel ut Confessarium incognitum, aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suæ conscientiæ consulat, et similia. Secus (ut diximus) si ibi accederet ex principali fine, ut effugiat iudicium sui superioris, vel ut facilius absolvatur. Neque tunc proderit huic pœnitenti, quod bona fide credat hoc ei non esse vetitum; nam licet tunc ipse non migraret cum fraude, revera tamen migraret in fraudem reservationis. Et hoc dicit Roncag. pag. 106. qu. 2. procedere, etiamsi pœnitens accederet aliquò ad Confessarium habentem facultatem absolvendi à reservatis, quia tunc etiam eadem fraus interveniret. Idemque ait Mansi de casib. res. p. 1. q. 1. n. 19. (cui adhæret Ronc. ibid.) de eo qui in fraudem reservationis peccatum reservatum in patria extra committeret, ad hunc finem obtinendi ibi postea absolutionem. Sed huic ego non adhæreo, quia hic non jam migraret in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda, ut habetur in Bulla Clementis (ut supra hoc n. 589.), sed migraret aliò, ne incurreret reservationem.*

390. — Dubitatur 3. An pœnitens extra Diœcesim possit absolvi à censura, quæ tantum in patria est reservata? Affirmant Passer. t. 2. q. 187. n. 470. et alii. Sed melius negant Wigandti tr. 14. n. 59. et Ronc. p. 106. q. 1. R. 2. Ratio, quia tota facultas simplicis Confessarii absolvendi à censuris habetur ex c. Nuper de sent. excom. in 6. ibi autem dicitur simplex Confessarius non posse absolvere, à censuris, quando sunt reservatæ, quapropter in censuris reservatis Confessarius simplex nihil potest.

391. — Dubitatur 4. An peregrinus peccando in alia Diœcesi, ubi casus ille est reservatus, incurrat reservationem, et nequeat ibi absolvi nisi à facultatem habente? Prima sententia negat; et hanc tenent Pelliz. Diana, et alii ap. Mazzotta p. 457. qui probabilem putat; quia peregrini (ut asserit ex Sanchez, Azor. Con. etc.) non tenentur legibus loci, in quo versantur, nisi ibi saltem quasi domicilium habeant. Secunda tamen sententia probabilior affirmat, quam tenent idem Mazz. l. c. et Aversa, q. 17.

sect. 3. Ratio, tum quia, licet peregrinus probabilius (ut diximus de Legib. lib. 1. n. 156.) non subjaceat legibus loci per quem transit, tamen ratione delicti illo tunc, quo peccat, fit subditus; tum quia, et fortius (ut diximus n. 588.), Confessarius, quem respicit reservatio, non potest absolvere peregrinos, nisi juxta limites jurisdictionis, quam habet à suo Ordinario.

Incurreret igitur iste peregrinus casum reservatum, non tamen incurreret excommunicationem illi annexam, ut verius dicunt Covinck d. 13. dub. 7. n. 58. Suar. de Censur. d. 5. sect. 5. num. 8. Salm. eod. tit. c. 1. num. 117. cum Sylvest. Avila, Coar. ac Mazzotta l. c. et t. 4. pag. 263. cum Sayr. (contra Abbat. Graff. etc.) idque probant ex cap. A nobis 25, de sent. excom. in 6. ubi sic dicitur: « Solos subditos comprehendit sub excommunicatione » lata ab Episcopo pro futuris delictis. » Ratio est, quia excommunicatio non potest ferri nisi in subditos et contumaces; peregrini autem, quamvis constituentur subditi ratione peccati, tamen, cum ante peccatum non fuerint subditi, nequeunt dici contumaces. Et hoc sive excommunicatio sit inflictæ per modum sententiæ particularis, sive per modum statuti generalis; quia alienigenæ non subjacent his censuris, nisi contraxerint domicilium, vel quasi, in loco ubi illæ sunt latæ, ut probabilius dicunt Salm. de Censur. c. 1. n. 116 et 117. cum Sanch. Less. Sylv. Bon. Candião, Sayr. Avila. et Coar. (Vide dicta l. 1. n. 156. v. Pro majori.) Excipit Mazzotta l. c. excommunicationes quæ feruntur per statutum respiciens commune bonum territorii etc. Vide dicta Tom. I. l. 1. numero 156.

392. — Dubitatur 5. An peccans intra Diœcesim, sed in Monasterio exempto, incurrat casum reservatum? Prima sententia negat, et hanc tenent Baucius, et Henriq. ap. Dianam p. 10. tr. 14. R. 7. qui probabilem censet. Ratio, quia (ut dicunt) non incurritur reservatio, quando committitur peccatum, ubi nulla est reservatio. Secunda verò sententia communior, quam amplectimur, affirmat, eamque tenent Suar. de Censur. d. 5. sect. 4. n. 6. Con. dub. 13. eod. tit. dub. 7. n. 63. Pal. tom. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 30. Fill. tr. 11. n. 149. Concina de Pœnit. p. 570. n. 5. et probabilem putant Bon. de Cens. q. 1. p. 11. num. 8. et idem Diana l. c. cum Bord. Salas, Pasq. Vidal, etc. Ratio (ut dicunt) quia Monasteria Regularium, esto sint exempta quoad personas, non tamen sunt exempta quoad locum. Sed hæc ratio non omnino suadet, quia (ut diximus l. 1. n. 156. v. non tenentur.) probabiliter hujusmodi Monasteria etiam quoad locum sunt exempta, dum Tridentinum sess. 14. c. 5. de Reform. in fine appellat tam personas, quam loca exempta. Ratio mihi potior est, quia casum reservatio (ut diximus n. 581.) non jam respicit pœnitentem, sed Confessarium cui limitatur jurisdictionis: unde Confessarius, qui absolutionem non ex alia impertire potest huic pœnitenti, quam ex facultate sui Episcopi nequit illum absolvere, cum ab eodem Episcopo facultas sit ei limitata. Et ob eandem rationem idem dicendum cum Ronc.

p. 106. q. 1. R. 1. *Conc. l. c. Salm. c. 13. n. 26. Lugo d. 20. n. 72. et aliis*, si talis pœnitens peccatum, quod est reservatum in sua patria, commiserit in Diœcesi, ubi reservatum non est: is quidem non poterit in propria Diœcesi absolvi à simplici Confessorio.

593. — Dubitatur 6. An Episcopi possint absolvere peregrinos in sua Diœcesi versantes à casibus papalibus, et cum eis dispensare in irregularitatibus et suspensionibus Papæ reservatis? Quoad hanc dispensationem pertinet, decisum est à Gregorio XIII (ut refert *Fagn. in c. Dilectus, de tempore ord. n. 36. p. 375.*) nihil posse Episcopum cum alienigenis, etiamsi hi fungentes officio Prætoris, aut Medici in ejus Diœcesi commorentur. Quoad absolutionem verò casuum, commune est apud DD. quod Episcopus bene potest absolvere peregrinos à casibus Papalibus, modo sint occulti, ex facultate Tridentini in *c. Liceat 6. sess. 24. Ita Suar. de Pœnit. de 30. sect. 2. nu. 3. et de Censur. d. 41. sect. 2. n. 12. Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 8. ad 17. et de Matr. l. 3. d. 23. n. 12. Bon. de Cens. d. 1. q. 3. p. 2. n. 5. et Barbosa in Trid. l. c. nu. 43. cum Henr. Zer. Garcia, Naldo, Duardo, Nacar. Boss. Marchino, Trull. Homob. etc.* Nec obstat quod Concilium hanc facultatem Episcopis concesserit tantum erga delinquentes sibi subditos; nam uti rectè dicunt AA. præfati, subditi etiam dicuntur tales peregrini, qui in foro sacramentali subjiciuntur Episcopo Diœcesano. Idque refert *Suar. l. c. de Censuris n. 10.* declaratum fuisse à S. C. quæ respondit posse absentem à sua Diœcesi absolvi ab episcopo illius Diœcesis in qua moratur, non autem à suo; rationem reddens, quia Concilium in *d. cap. Liceat* loquitur de absolutione sacramentali in foro conscientie, quæ requirit præsentiam.

Eandem autem facultatem habent Vicarii Capitulares Sede vacante, ut dicunt communiter *Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 13. Croix l. 7. n. 135. et Salm. de Cens. c. 2. nu. 54. cum Bon. Henr. et Avila.* An autem eandem facultatem habeant Abbates et alii Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem? Negant *Concina p. 571. n. 8. Barbosa in Trid. sess. 24. c. 6. n. 7. cum Garc. Gao. Led. item Suar. in 3. p. t. 4. d. 30. sect. 2. n. 6.* ex quadam Declar. S. C. ubi dictum fuit: « In hoc Decreto Trid. » non comprehenduntur habentes jurisdictionem ordinariam et » quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi privativè quoad omnes » alios. » Ratio, quia talis facultas specialiter Episcopis est concessa, et in concessionibus strictè interpretatio faciendâ est. Affirmant verò *Sanch. loc. cit. n. 5. et de Matr. l. 8. d. 3. n. 9. Croix l. 7. n. 141. Salm. l. c. cum Henr. et Avila, Fagnan. in cap. Accedentibus de Exces. Præl. n. 29. item Sayr. Duard. Pal. Portel. Trul. Boss. et apud Barb. loc. cit.* Ratio, tum quia, (ut probat *Fananus*) nomine Episcoporum veniunt etiam Prælati qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem privativè ad Episcopos; tum quia, quando concessio facta est in jure, habet rationem legis, quæ extendi debent ad omnes casus ubi eadem

ratio currit: eadem autem ratio procul dubio currit tam pro Episcopis quàm pro hujusmodi Prælatibus, quia alias eorum subditi non haberent ad quem recurrerent pro absolutione prædictorum casuum. Neque obstat, ait *Sanch. Declaratio S. C.* quia de ea non constat authenticè, neque illi (ut ait) necessariò standum est. An Prælati regulares hanc habeant facultatem in subditos? Affirmat *Sanch. num. 13. etc. apud Barb. alleg. 39. n. 18. ob Bullam S. Pii V. Sed negat Croix l. c. cum Dicast. ex Decr. S. C. et Mendo ibid. confutat dictam Bullam.*

Hic autem notandum 1. ex præfata Declaratione S. C. (contra id quod dicunt *Salm. l. c. cum Suar. Sanch. Bon. etc.*) decisum esse, quod Episcopi extra Sacramentum Pœnitentiæ non possunt absolvere à prædictis casibus Papalibus. Idque fert *Fagn. in cap. Dilectus, de temp. Ord. n. 36. p. 375.* declaratum fuisse etiam à *Greg. XIII.* Notandum 2. declaratum quoque esse à S. C. (apud *Fagn. ibid. n. 34.*) quod si Episcopus inciderit in aliquod crimen, de quo fit mentio in dicto *c. Liceat*, poterit deputare proprium ipsius Confessarium, esto sit extra suam Diœcesim, ad se absolvendum cum eadem facultate qua ipse posset alios sibi subditos absolvere. Notandum 3. ab eadem S. C. Concilii declaratum fuisse (apud *Fagn. n. 37 et 88.*) non esse tutum in conscientia qui absolveretur aut dispensaretur à proprio Episcopo in casibus, sive irregularitatibus, aut suspensionibus contractis ob crimen patratum coram duobus, vel tribus testibus, quia Tridentinum utitur termino *occultis*, quod propriè loquendo est illius quod probari non potest. Et ita etiam sentiunt *Graff. Garc. et Armentar. apud Barbos. in Trid. sess. 24. c. 6. n. 25.* asserentes dici occultum, quod non potest probari. Sed alii communiter dicunt illud esse occultum, quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit: ita *Suar. t. 4. d. 13. sect. 2. n. 2. Sanch. de Matr. l. 8. d. 34. n. 55. Bonac. de Cens. d. 1. q. 3. p. 2. n. 1. cum Avila, Reg. Azor. Contin. Tourn. tom. 2. p. 448. R. 3. cum Sayr. et 3. p. 322. in fin. Salm. de Cens. c. 2. n. 59. cum Pal. Henr. Pell. etc.* item *Barbos. loc. cit. n. 26. cum Mol. Comit. Fagn. Gao. Vival. Vega, Sa, Gutt. Piasec. Ugolin. Durand. Marchin. Boss. et aliis* innumeris ex *Glossa apud Tourn.* qui ait: *quandoque dicitur occultum quod probari potest. Hinc docent Sanch. Tournely, Bonac. cum Avila, Azor. et Reg. ac Salm. l. c. cum Pelliz. Henr. Pal. etc.* tunc crimen dici publicum, quando scitur à majori parte Oppidi, vicinæ, vel Collegii modo (ut aiunt *Sanch. Salm. et Tourn.*) saltem ibi sint decem personæ.

Utrum autem Episcopus possit cum peregrinis dispensare in votis? et an cum impeditis adire Pontificem, urgente necessitate possit etiam dispensare in irregularitatibus, et impedimentis Matrimonii? Vide dicta *Tom. 1. lib. 1. de Leg. et lib. 3. de Voto n. 262 et n. 332. v. An autem.*

594. — Dubitatur 7. An facultas à Tridentino intelligatur Episcopis concessa pro solis casibus et irregularitatibus Papæ

reservatis ante Concilium? Affirmant *Floronus, et Garcias 27. Dian. p. 7. tract. 2. R. 20.* ex quadam Declaratione Gregorii XIII, ubi dictum fuit Episcopum non posse absolvere Monialem frangentem clausuram ab excommunicatione occulta reservata Pontifici ob Bullam S. Pii V. Unde idem dicendum inferunt de aliis excommunicationibus post Tridentinum impositis. Sed valde probabiliter negant *Sanch. Dec. l. 6. c. 15. n. 76. cum Sorbo. Bon. de Claus. Monial. tom. 1. q. 1. p. 5. n. 1. p. 692. et de Censur. d. 1. q. 3. p. 2. n. 1. Delbene de Imm. Eccl. d. 8. dub. 16. Renzi tom. 2. p. 285. cum Suar. et Mazz. p. 460. ac Dian. R. 20 et R. 22. cum Boss. ac Beia.* Ratio, quia Concilium indefinite concedit Episcopis facultatem absolvendi in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis: ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ad dictam autem Declarationem Gregorii XIII, respondent præfati AA. de ea non constare authentice. Sed hæc responsio mihi non satisfacit: nam præter *Floronum, et Garciam*, ut supra, ac *Sanctorell. de Hæret. c. 5. dub. 1. n. 1.* atque *Zecchium, et alium auctorem ap. Sanch. l. c.* qui testantur de veritate hujus declarationis; magnam probationem mihi facit *Fagnan. in c. Dilectus, de Temp. Ord. n. 32. tom. 1. p. 375.* qui eandem Declar. ut firmam adducit; et huic auctori minimè videtur in hoc fides neganda, cum ipse 15 annos functus sit munere Secretarii S. C. Concilii, unde melius aliis poterat callere de rebus gestis in eadem Congregatione: tanto magis quòd exponit factum cum suis peculiaribus circumstantiis: refert enim quòd Episcopus Florentinus petiit, an vigore Tridentini in *c. Liceat*, potuisset absolvere quamdam Monialem quæ occultè et ad malum finem Clausuram frægerat, non obstante Bulla S. Pii V, quæ subjecit Moniales frangentes, necnon licentiam concedentes, comitantes, etc. excommunicationi, « à qua præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, » absolvi nequeant? Plures Cardinales sentiebant non posse absolvere, quia in Bulla aderat Clausula, *nisi in articulo mortis*, et quia Bulla confecta fuerat post Concilium; sed cum alii huic sententiæ non adhæsissent, res delata est ad summum Pontificem qui declaravit Episcopum non posse absolvere: unde animadvertendum cum *eod. Fagn. in c. Quoniam, de Const. n. 29 et 30.* facultati à Tridentino Episcopis concessæ in dicto *c. Liceat*, derogatum fuisse pro casibus contentis in duabus Bullis, nempe in Bulla Cœnæ, et in hac præfata S. Pii V, propter clausulas derogatorias, nempe in prima, *non obstantibus decretis cujusvis Concilii*: et in hac secunda, *nisi in mortis articulo*. Hinc dicimus quòd quælibet Bulla, ubi adsunt prædictæ clausulæ, aufert facultatem Episcopis absolvendi casus occultos Papæ reservatos. Non verò aliæ Bullæ in quibus nulla adest derogatoria clausula, ut *Dian. p. 7. tr. 2. R. 21.*

Dubitat 8. An Episcopi possint absolvere à casibus occultis, reservatis ab aliis Episcopis etiam cum censura? Respondent affirmativè *Bon. de Censur. d. 1. q. 3. p. 2. num. 6. et P. Lutillus*

in *Addit. ad Mancin. Pract. Visit. Infr. Pract. 3. de Cas. reser. dub. 38.* Ex eo, quòd in dicto *cap. Liceat*, Tridentini dicitur concedi omnibus Episcopis facultas absolvendi « delinquentes in » quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis. » Ex qua particula *etiam* satis ostenditur comprehendi facultas absolvendi à casibus, et excommunicationibus ab aliis Episcopis reservatis. Hanc opinionem olim probabilem censuimus; sed postmodum negativam coacti fuimus tenere ex duplici declaratione S. C. Conc. sub die 24. Jan. 1711 et die 29 Nov. 1712, in *Thesaur. Resolutionum S. C. tom. 1. p. 392.* sed maximè ex Declaratione emanata à Bened. XIV. die 21 Augusti 1752. quæ incipit, *Pias Christi fidelium, etc.* Cum enim in Civitate Januensi concessum fuisset privilegium cuidam Confraternitati sub invocatione *S. Mariæ de Succursu*, ut Confratres eligere possent quemlibet Confessarium ab Ordinario loci approbatum cum facultate absolvendi eos in articulo mortis, et bis in vita à casibus *etiam Sedi Apostolicæ* reservatis; Pontifex declaravit per enunciatum privilegium, « absolvendi facultatem... non verò » etiam Ordinariis locorum reservatis... per Nos in præcitis nostris Litteris concessam fuisse, et consequenter absolutiones » contra præsentis Declarationis nostræ tenorem forsàn de præterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse, sive posse, decernimus, et declaramus. » Vide *Bullar. tom. 4. N. II. Bened. XIV et eundem de Synodo lib. 5. c. 5. num. 9.*

Dubitat 9. An Episcopus hanc facultatem Tridentini possit generaliter aliis Sacerdotibus committere? Negant *Henriq. Menoch. et Cordubas apud Sanch. de Matr. l. 2. d. 40. n. 16.* qui dicunt posse tantum delegare in casibus particularibus, non verò generaliter. Idque inferunt ex verbis Concilii in dicto *c. Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi *per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum.* Sed probabilius, et communissimè affirmant posse Episcopum generaliter committere vices suas quoad absolvendos casus Papales occultos, quia hoc modo jam alii Sacerdotes reputantur specialiter deputati. Ita *Sanch. loc. cit. n. 17 et Dec. l. 2. c. 11. n. 25. Suar. de Pœnit. d. 30. sect. 2. n. 9. Barbosa in Trid. sess. 24. c. 6. n. 45. in fine, Salm. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 2. Croix l. 7. n. 135 et Salm. de Censur. l. 2. n. 54. cum Navar. Gran. Vega, etc.* Ratio, quia facultas hæc competit Episcopis jure ordinario, cum ipsa sit annexa dignitati Episcopali, et ideo bene potest alteri generaliter delegari. Hinc rectè ait *Sanch. l. c. de Matr. n. 16. cum Nav. Vicarium Episcopi non habere potestatem absolvendi ab his casibus ex generali commissione Vicariatus, nisi specialiter ab Episcopo committatur.* Hoc quoad absolutionem casuum: quoad facultatem autem dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus in eodem cap. Episcopis impertitam dicunt *Sanch. l. c. Dec. n. 25. ex Suar. et Barb. l. c. n. 46. in fine,* cum aliis (contra *Mar. Alter.*) etiam posse ab Episcopo illam delegari generaliter



cuiumque Sacerdoti, cui Episcopus suam facultatem committat: hocque ex potestate ordinaria, quam Episcopi habent.

Utrum autem Episcopi possint absolvere ab hæresi, et ab aliis casibus bullæ Cœnæ? Vide dicenda de Cens. l. 7. ex n. 82. ubi negativam sententiam tuebimur. (V. Not. IV, pag. 363.)

593. — « 8. Superior, auditis solis reservatis, potest ab iis absolvere, et reliqua inferiori committere, ex causa urgente: qualis tamen non est multitudo negotiorum, ut docent Suarez, Fernand. et Fill. sed alia gravior; tum quia etiam occupatis simus potest dare facultatem aedeundi alterum, cum onere postea comparandi; tum quia integritas confessionis est de jure divino. »

Certum est, quod nulla multitudo negotiorum potest esse sufficiens causa ad dimidiandam Confessionem, ut rectè ait Croix l. 6. p. 2. n. 11. 54. cum Suarez, Laym. Vasq. et aliis passim; maxime hodie post prop. 59 damn. ab Innoc. XI quæ dicebat: « Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ. » An autem possit superior absolvere pœnitentem à reservatis, et pro alii eum remittere ad inferiorem? Alii universe affirmant, ut S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. § 6 et Palud. Cajet. Sa et Henr. apud Laym. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 8. quia dicunt hanc esse Ecclesiæ consuetudinem. Alii verò, ut Suar. d. 31. s. 1. n. 10. Nav. c. 29. n. 6 et Laym. l. c. cum Adriano, Sylvest. et Cano negant hanc consuetudinem, et dicunt id tantum licere in casu gravis necessitatis, putà si superior non posset se expedire ab aliquo gravissimo negotio, et contra, necessarium judicaret personaliter audire peccatum reservatum. Idque admittunt Lugo d. 20. n. 78. Salm. c. 8. n. 134. Croix dict. n. 1254 et Pal. p. 15. §. 5. n. 3. cum Vasq. et Con. Sed in casu rarissimo, addito quòd pœnitens esset in necessitate communicandi, et nollet eadem peccata bis confiteri. Hoc ultimum non videtur improbabile, posito casu cum omnibus his conditionibus: vide dicta n. 484 et 487.

596. — « 9. Qui à superiore absolutus est à reservatis, potest ab eisdem postea absolvi à quovis: quia non sunt amplius materia necessaria Confessionis.

« 10. Qui bona fide confitetur, nesciens suum casum esse reservatum, vel Sacerdotem carere potestate circa illum, validè quidem absolvitur; cum onere tamen comparandi. Prop. (juxta dicenda l. 7. n. 91.) » Similiter si Confessarius probabiliter credit non esse reservatum, esto reverà sit, valet absolutio. Less. Dian. p. 9. t. 9. res. 29. (Cum Lug. Dicast. et Salm. c. 13. n. 14 et potest absolvere, etiamsi dubium sit negotium; vide dicenda n. 600.) »

« 11. Qui confitens habenti potestatem ordinariam, delegatamve in reservata, oblitus est inculpabiliter reservatum, potest illud postea confiteri etiam inferiori, et absolvi. Quod etiam valet, saltem si prior habuerit potestatem ordinariam, etiamsi prior absolutio ob indispositionem, vel alium defectum pœnitentis

» invalida fuisset. Ratio est, quia is intendit absolvere, quantum potuit, ergo saltem sustulit reservationem, quòd fieri potuit, absque Sacramento. V. Prop. in 3. p. q. 9. d. 4. n. 24. Merat. t. 3. d. 80. s. 3. Dian. p. l. tr. l. res. 124. »

Quæritur I. An in casibus allatis à Busemb. nempe si pœnitens bona fide confiteatur peccatum reservatum non habenti potestatem, vel si inculpate peccati illius obliviscitur, aut de eo confiteatur urgente necessitate, Confessarius simplex validè et licitè ipsum absolvat? Negat Antoine p. 529. q. 5. et per se loquendo sua sententia satis est probabilis; ut enim diximus (n. 256. Quæst. I.), probabile est cum Vasquez, Torr. Armil. Gerson. Trull. etc. Confessarium simplicem omni carere jurisdictione in habentem reservata, cum non sit suus competens Judex: ideo neque non reservatis potest eum absolvere. Secunda verò sententia communis, et probabilior affirmat, quam tenent Suar. Pal. Lugo, Concina, Salm. et alii allati dicto n. 265. Ratio, quia, licet Confessarius non possit sine rationabili causa absolvere à non reservatis, non absolvendo à reservatis in quæ potestate caret, non per hoc tamen caret potestate in non reservata; unde quando bona fide confitetur pœnitens, vel habet necessitatem confitendi, tunc bene potest directè absolvi à non reservatis et indirectè à reservatis. Et cum hæc sententia sit communis, ut fatetur ipse Antoine, et valde probabilis, imò certè probabilior, ut diximus: bene potest deduci in praxim, nam (ut probavimus n. 573) est moraliter certum, quòd cum opinione probabilis Ecclesia supplet jurisdictionem.

597. — Quæritur II. An si pœnitens confessus sit superiori et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde cuilibet illud confiteri et absolvi? Prima sententia communissima affirmat et hanc tenent Busemb. ut supra, Lugo d. 2. n. 85 et 89. (ubi vocat communem) Sanchez de Matr. l. 8. d. 15. n. 21. Pal. p. 15. §. 6. n. 3. Holzm. p. 184. n. 697. Ciera, d. 1. n. 90. Vioa q. 9. art. 4. n. 2. Salm. c. 13. n. 43. (qui etiam asserunt communem) et Escob. l. 16. n. 510. cum Cano, Fill. et Adriano et Led. Ratio, quia præsumitur superior pœnitentem rectè dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum à quo potest, idque videtur confirmari verbis illis quæ ad absolutionem præmittuntur: *In quantum possum et tu indiges, etc.* Et hoc admittunt Pal. l. c. Salm. n. 45. cum Con. et Aversa (contra alios), etiamsi Confessio fiat apud inferiorem delegatum, quia adhuc censetur superior velle per illum reservationem auferre. Secunda verò sententia negat, eamque tenent Suar. d. 31. sect. 4. n. 12. Conc. p. 573. n. 14. Antoine p. 530. qu. 6. item Sylvest. Ang. Rosel et Gabr. ap. Lugo d. 20. n. 85 et fortè probabilior vocat Holzm. Hi dicunt non tolli reservationem sive Confessio fiat superiori, sive delegato. Ratio est valde urgens, quia ad auferendam reservationem requiritur, ut peccatum subiciatur judicio superioris, eò quòd finis reservationis est (ut probavimus n. 581.) ut non tantum pœnitentes à peccato absterreantur, sed etiam ut convenientem medi-

cinam et pœnitentiam recipiant. Unde non censetur ablata reservatio, nisi ex aliquo positivo indicio habeatur pœsumptio, voluisse superior reservationem auferre, ut rectè dicit *Concina*; vel nisi pœnitens ( ut ait *Suar. n. 15.* ) ad hunc finem adiverit superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolveretur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit. Nec non bene excipit *Suar. num. 20.* quando privilegium fuerit concessum in favorem pœnitentis, prout est privilegium Jubilæi, et Bullæ Cruciatæ. Cæterum præcisus istis tribus exceptionibus, hanc secundam sententiam probabiliorẽ censeo: et hanc *Syloius tom. 4. suppl. qu. 20. ar. 2. circa fin.* tenet ut veram cum *Syloio vestro, Angelo, Adriano, Navar. Covar. Bonac. Sa, Coninck,* et aliis pluribus, quibus consentit *Pontas casu 25* et adhæret *Contin. Journ. t. 6. p. 2. p. 131.* Licet prima videatur etiam probabilis, tum ob auctoritatem DD. qui ( ut fatetur ipse *Concina* ) communiter eam docent; tum quia probabiliter potest pœsumi Superior consentire, ut auferatur reservatio, semper ac pœnitens confitetur apud habentem potestatem. Omnino tamen dicendum puto, reservationem non auferri, quando adesset positiva pœsumptio, quod, si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset.

598. — Quæritur III. An per Confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio? Negat *P. Conc. pag. 674. n. 16.* sive Confessio fiat Ordinario, sive Confessario delegato. Ratio, quia Superior non tollit reservationem, nisi sacramentaliter absolvendo, unde quando Confessio est invalida, non auferitur reservatio; inferior contra, cum nihil possit in reservata extra Sacramentum, quoties Sacramentum est nullum, peccata manent reservata. Sed communis sententia, et probabilior affirmat, et hanc tenent *Suar. d. 31. sect. 4. n. 10. Wigandt tr. 14. n. 77. Lugo dist. 20. n. 106. Pal. p. 15. §. 6. n. 2. Holz. p. 183. n. 696. Roncag. p. 109. qu. 6. R. 2. Viva de Jubil. qu. 11. art. ult. n. 2. Croix n. 1475. Bonac. dist. 5. q. 7. p. 5. §. 4. n. 9. cum Vasq. Fill. Reg. Nunno, Rodr. etc. ac Salm. cap. 13. n. 41. cum Syloes. Cajet. et Conc.* Ratio, quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata deferantur Superiori, utque ipse super ea ferat iudicium præbendo monita salutaria, ac pœnitentiam imponendo; unde semper ac subditus suum peccatum subjicit iudicio Superioris, vel alius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis. Nec valet dicere, quod tam Ordinarius, quam Delegatus, non tollant reservationem nisi per absolutionem sacramentalem, quæ hic deest, cum Confessio sit nulla; nam respondetur, quod Superior bene potest sine absolutione sacramentali, ut fatetur ipse *Concina*, reservationem auferre. Esto autem inferior non possit tollere reservationem nisi per sacramentalem absolutionem; attamen, cum subditus peccatum ei defert, tunc Superior ipse, cum jam consequatur finem reservationis, censetur illam auferre vigore consuetudinis ( ut dicunt *Salmanticenses* ) communi DD. auctoritate firmatæ.

Quæritur IV. An tollatur reservatio per Confessionem culpabiliter nullam? Prima sententia negat, eamque tenent *Concina, Holzm. Viva, Croix ll. cc.* eamque absolutè veram vocat *Ronc. R. 3.* citans *Lugonem, et Salm.* sed non bene, nam isti omnino oppositum tenent. Ratio, quia non pœsumitur Superior velle, quod subditus ex sua iniquitate commodum reportet. Hæc sententia est quidem valde probabilis, sed contraria est longè communior, nec caret sua probabilitate. Secunda igitur sententia affirmat, et hanc tenent omnes AA. allati pro secunda sententia in quæstione præcedenti, exceptis citatis in quæstione præsentis. Ratio, quia pro Confessione sacrilega currit eadem ratio ac pro inculpate nulla; alius enim est finis Confessionis, alius reservationis: finis Confessionis est, ut remittatur peccatum, finis autem principalis et directus reservationis est, ut hujusmodi peccata reservata committentes subjiciantur iudicio Superioris; ergo cum subditus peccatum suum Superiori defert, et pœnitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilegè confiteatur, jam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Quod autem peccator ex tali iniquitate commodum reportet, hoc per accidens evenit; nam licet ex voluntate interpretativa nollet auferre reservationem, si sacrilegium agnosceret, tamen ex voluntate actuali tunc jam vult auferre.

Rectè verò excipiunt *Wigandt, et Lugo, cum Suar. et Vasq.* si pœnitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum; vel si ( ut ait *Lugo* ) illa sacrilega Confessione inculpabiliter obli-viscatur confiteri peccatum reservatum: quia minimè pœsumitur Superior in tali sacrilega Confessione velle auferre reservationem peccati sibi non delati. Item excipit *Suar.* si pœnitens habuerit animum non vitandi in posterum peccatum illud reservatum, vel non implendi pœnitentiam impositam; dicit verò tolli reservationem, si animum mutet. Item rectè addit *Bonac.* semper teneri pœnitentem, etiamsi postea ab inferiore de illo peccato reservato absolvatur, implere pœnitentiam à Superiore impositam. Item excipienda est ( ut diximus n. 537. ) Confessio invalida sive culpate sive inculpate facta in Jubilæo; quia ibi, cum Pontifex non præbeat facultatem absolvendi à reservatis nisi ad finem, ut fideles lucrentur Jubilæum, non censetur velle auferre reservationem, si illi Jubilæum non lucrantur; vide dicta n. 537. Qu. II.

599. — « Resp. 2. A reservatis absolvere potest 1. Ipse reservans. 2. Ejus in spirituali jurisdictione superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior, quando superior adiri non potest: v. g. à reservatis Papæ absolvere potest Episcopus eos, qui Romam ire non possunt. »

Pœnitentiarii majores Cathedralium, quamvis habeant potestatem ordinariam absolvendi, non possunt tamen absolvere à reservatis Episcopo, vel ab Episcopo, et tantò minus eam delegare, ut habetur ex Declar. S. C. Concilii die 6 Julii 1647, apud *Pitton. de Confess. n. 881.* Idque tenent *Viva q. 9. art. 4. n. 1.*

Roncaglia pag. 108. qu. 1. R. 2. Barbosa Coll. 581. n. 24. et Diana p. 9. tract. 8. R. 11. qui reprobatur contrariam consuetudinem ( si forte alicubi adest ) tanquam irrationabilem.

« Resp. 3. Extra periculum mortis, de quo v. dicta dubio superioriore, nullus inferior per se, et directè absolvere potest, nisi ex jure, vel privilegio concedatur. Dicitur autem per se; quia de indirecta, et per accidens colligitur ex dictis.

« Dicitur 2. Nisi, etc. quia à casibus Papalibus absolvere potest Episcopus per se, vel Vicarius, quando sunt occulti, ut docet Navar. c. 27. »

Unde resolves :

« Mendicantes ex vi juris communis non possunt absolvere à reservatis Episcopo : quia ut sic non habent potestatem majorem Parochis; et privilegium quod circa hoc habuerunt, sublatum est decreto Urbani VIII. anno 1628. ( Hoc etiam confirmatur ex Prop. 12 inter damnatas ab Alex. VII. ) »  
 « Excipit tamen Aversa cum Diana p. 8. tom. 7. res. 71. eos casus, qui Episcopis à jure tantum reservantur; imò Quintan. tom. 1. tract. 3. sect. 14. affirmat Regulares adhuc posse absolvere, sicut ante decretum, eò quòd hoc in Provinciis non sit promulgatum, quòd Dian. p. 9. t. 6. resol. 51.; non audeat probare, nisi ad Episcopum non pateat recursus; tunc enim ab ipsis reservatis posse absolvere, sicut possunt à Papæ reservatis. Granat. Dian. part. 5. tit. 14. res. 58. Vid. etiam Prop. qu. 19. d. 1. »

Certum est quòd Regulares nequeunt absolvere à casibus reservatis ab Episcopis, ut communiter dicunt cum aliis Salm. cap. 13. n. 52. Viva in Prop. 12. damn. ab Alexand. VII. n. 13. et Cabassut. T. J. lib. 1. cap. 11. n. 5. ex Bulla Greg. XIII. Cum à sacra. Et hoc sive casus sint reservati ab Episcopo, sive ab ejus Synodo, ut rectè ait Croix n. 1628. cum Viva ( quidquid dicat Pelliz. ); nam id quòd agitur à Synodo, principaliter ab Episcopo agitur, qui est caput illius.

An autem Regulares possint absolvere à casibus Episcopis à jure communi reservatis? Vide infra lib. 7. n. 99. ubi dicemus probabiliter esse quòd possint, exceptis tamen sex casibus à Clemente VIII reservatis, nimirum, percussio Clerici, duellum, violatio immunitatis ecclesiasticæ, violatio clausuræ Monialium ad malum finem, simonia realis, et simonia confidentialis; facultas enim à prædictis casibus absolvendi expressè à Clemente fuit Regularibus adempta. Vide lib. 7. n. 95. Probabiliter igitur absolvere possunt procurantes abortum fœtus animati, cum hic casus non fuerit à Clemente reservatus; vide cit. n. 99. fin.

600. — « Resp. 4. Si Confessarius dubitet, an pœnitens lapsus sit in mortale reservatum, si quidem dubium sit positivum, potest ( sequendo opinionem probabilem, et judicando probabiliter non esse reservatum ) absolvere. Si verò dubium sit negativum, posse absolvere negant aliqui, ut Armil. Cord., etc.

» Probabilius affirmant Suar. Fill. Henr. Hurt. Bon. Lugo d. 20. sect. 2. »

Quæritur I. Utrùm in dubio, an pœnitens incurrit casum reservatum, possit illud absolvere simplex Confessarius? Si dubium est facti, nempe si pœnitens dubitet, an peccaverit graviter, vel non, communior est sententia quòd possit absolvi à quolibet Confessario; quia reservatio est strictæ interpretationis; unde debet intelligi de peccatis certè gravibus; ita Concina p. 567. n. 15. Suar. de Censur. d. 40. sect. 6. n. 5. Lugo dist. 20. n. 18. Sanch. Dec. l. 1. c. 10. n. 23. et DD. mox infra citandi cum aliis passim ( contra Wigandt tr. 14. n. 53. ) Si verò dubium est juris, nempe si quis dubitet, an aliquod peccatum sit reservatum, negant Concina, et Wigandt l. c. item Arm. v. Casus n. 13. et Antoine p. 528. qu. 2. Ratio, quia cum dubitatur an peccatum sit reservatum, dubitatur etiam an Confessarius facultatem habeat absolvendi, unde Confessarius dubium tantum habens facultatem, non potest absolvere. Sed pariter communiter affirmant DD. ut præter Suar. Lugo, Sanch. ll. cc. docent Fill. tr. 21. c. 4. n. 172. Bonac. p. 5. §. 4. nu. 5. Escob. lib. 16. n. 447. cum Sa, Anacl. p. 624. n. 4. Tamb. de Cas. res. l. 5. c. 4. n. 7. Elbel nu. 643. Viva q. 9. ar. 2. n. 4. Diana p. 4. tract. 3. R. 4. Sporer pag. 162. n. 743. cum Gob. et Quintan. et Salm. cap. 13. n. 15. cum Avers. Portel. Dicast. Henr. Hurt. et aliis. Et hoc, sive dubium sit positivum vel negativum, quia in utroque eadem ratio currit. Ratio autem est, tum quia ( ut diximus ) reservatio strictè interpretatur; tum quia melior est conditio possidentis; unde, licet dubitetur, an peccatum sit reservatum, certum tamen est Confessarium suam possidere facultatem absolvendi. Præterquam quòd, cum hæc sententia sit communis, et certè probabilis, certum etiam est Ecclesiam jurisdictionem supplere, juxta dicta n. 573. et sic respondetur rationi oppositæ. Neque obstat, ut objicit Concina, quòd Clemens VIII prohibuerit omnibus Confessariis etiam privilegiatis absolvere à casibus, etiam dubiis in Bulla Cœnæ reservatis, et in Extrav. Perlectis, declararet percussio Clerici esse reservata Papæ, etiam quando dubitatur, num sit levis vel gravis; nam hujusmodi prohibitiones magis firmant nostram sententiam, quòd Confessarius in aliis casibus possit absolvere, qui sunt dubie reservati; exceptio enim firmat regulam. Hic autem sciendum quòd Clemens ( ut referunt Roncaglia, et ipse Antoine ll. cc. ) anno 1602, Decretum illud moderavit de medio auferens verba illa, dubie reservatis. Limitant verò hanc sententiam Bonac. et Sanch. ll. cc. ac Bonasp. et Alph. de Leone ap. Salm. nim. 14. ( atque probable putat Diana loc. cit. ) si crimen in foro externo habeatur ut certum, quia tunc idem judicium formandum est pro foro interno. Sed verius refutant hanc limitationem omnes AA. pro nostra sententia citati, et signanter Salm. Lugo, Escob. Sporer, et Tamb. Ratio, quia in foro externo non creditur pœnitenti, quia nemo in causa propria testari potest; aliud tamen est in foro interno,

ubi omnino credendum est pœnitenti, cum ipse tantum possit esse sua conscientia testis.

Quæritur II. An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum? Negat *Concina pag. 508. n. 16.* quia, icet peccatum dubie reservatum ob dubietatem facti possit absolvi à quolibet Confessario, tamen quando de illo pœnitens postea certè recordatur, tenetur adire superiorem; Confessio enim peccati dubie reservati non efficit quin peccatum illud sit reservatum. Sed communiter alii affirmant, ut *Lugo dist. 20. num. 22. Escob. lib. 16. n. 451. Sporer pag. 262. num. 734. Viva qu. 6. art. 2. nu. 4. cum Ball. ex Sanch. Dec. lib. 4. cap. 44. et Salm. cap. 13. n. 16. cum Dicast. Aversa, et aliis.* Ratio, quia cum peccatum dubie reservatum est confessum, jam directè est absolutum ( ut ipse *Concina n. 15.* concedit ), ac proinde manet directè ablata reservatio: unde, quamvis teneatur pœnitens, cum recordatur peccati certi, prius confessi ut dubii, illud iterum tanquam certum confiteri, ut ad supplendam integritatem illud exponat uti erat in conscientia, ejusque cognitam gravitatem Confessario manifestet, juxta dicta *n. 478.* tamen non tenetur amplius se sistere superiori pro ablatione reservationis, quia, ablato peccato ablata est etiam reservatio.

601. — Quæritur III. An absolvi possit à reservatis, qui peccavit in confidentiam licentia? Videntur negare *Covarr. et alii apud Lugo dist. 20. n. 129.* Sed affirmandum cum communi sententia, quam tenent *Sanch. Dec. lib. 4. cap. 54. num. 18. Fill. tr. 8. n. 262. Lugo n. 130. cum Vill. Led. etc. ac Salm. c. 13. num. 40. cum Bonac. Molf. Aversa, Gabr. etc.* Ratio, quia, estò concedens licentiam nolit, ut peccatores propter ipsam facilius peccent, non tamen excludit quominus ii, qui occasione ejus peccaverint, possint absolvi, si verè proponant illud vitare.

Quæritur IV. An licentia data absolventi à reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa? Distinguendum: Si concessio facta fuit præcisè pro peccatis narratis, vel per tot vires commissis, tantum pro eis valere potest. Secus verò, si licentia est concessa indefinitè; ita communissimè, et valde probabiliter. *Lugo dist. 20. n. 122. cum Bon. et Præpos. Ronc. p. 110. qu. 7. cum Pàsser. Mansi, et Gabr. S. V. ac Salm. c. 13. n. 39. cum Aversa, Leand. Dic. etc.* Dummodo, rectè limitant, non interponatur magna distantia ( puta ultra mensuram: ut ait *Ronc. cum Mansi* ) inter concessionem licentia, et commissionem novarum culparum: intellige, si pro quodam particulari pœnitente sit tantum impertita licentia. Item bene advertit *Ronc.* præfatam sententiam non procedere, si licentia impertita fuerit intuitu alicujus festivitatis.

602. — Hic addenda sunt aliqua circa reservationem casuum respectu Monialium.

Quæritur igitur V. An Moniales subjaceant casibus, et censuris ab Ordinario Diœcesi generaliter reservatis? Negant *Ces-*

ped. et alii apud *de Alexand. Confess. Mon. c. 6. §. 2. Qu. 9.* Quia ( ut dicunt ) Moniales, cum indigeant specialia directione Episcopi, juxta Regulas ipsarum, non comprehenduntur legibus conditis ad directionem universalem populi. Addunt, quia verba, quæ possunt accipi in genere et in specie, in materia odiosa, ut est reservatio, in specie sumi debent, ut per *Seraph. Dec. 853. num. 7.* Affirmat verò subjacere communis sententia cum *Diana. Bord. et de Alex. l. c.* Quia, quando verba generalia concurrunt cum verisimili mente legislatoris, tunc omnes comprehenduntur, qui in lege non sunt expressè excepti. Et hæc est verior.

Quæritur VI. An prædictæ reservationi subjaceant etiam moniales exemptæ? Affirmat probabiliter *Tamb. Conf. et l. 5. de Cas. res. c. 3. n. 4.* Quia in *Const. Inscrutabili. Gregorii XV* statuitur, quod Confessarii Monialium exemptarum omnino approbandi sint ab Episcopo loci: Episcopus igitur ( ait *Tamb.* ) sicut potest his Confessariis limitare in approbatione tempus, locum, et personas, sic etiam potest limitare casus. Negant verò adhuc probabiliter *Pelliz. et Quint. ap. Tamb. n. 3. ac P. de Alex. d. c. 6. §. 2. Qu. 10.* cum communi ut asserit: quia Monasteria exempta sunt prorsus extra jurisdictionem Episcopi, ac si essent extra territorium, ut communiter ibi dicunt *Bonac. Bord. etc.* Et, quamvis Episcopus debeat approbare earum Confessarios quoad idoneitatem, non potest tamen ipse illimitatè eos approbare, cum expressè in *Constit. Clementis X Superna*, dicatur posse ab Episcopo limitari tempus, locum et personas, sed nihil dicitur de peccatis, quæ aliunde à Prælati regularibus Monialibus exemptis jam reservantur.

Quæritur VII. An Episcopus circa clausuram, ut delegatus Sedis Apost. possit reservare casus quoad Moniales exemptas, v. g. si ostio aperto loquantur cum secularibus? Affirmat *de Alex. l. c. Qu. 12. cum Baucio.* Ratio, quia ( ut dicunt ) stante delegatione concessa à *Trident. sess. 25. c. 5.* episcopis, respectu ad clausuram, habentur Moniales tanquam non exemptæ, ita ut in casu transgressionis, ipsæ non jam à Prælato regulari, sed ab Episcopo sunt absolvendæ; hocque colligunt ex Decreto Clementis VIII, ubi prohibetur Regularibus, ne absolvant vi cujuscumque privilegii à casibus Ordinario specialiter reservatis. Sed hæc ratio non satis probatur, unde non videtur improbabilis sententia apposta *Diana, et Pasq.* apud *Alex. ibid.* qui dicunt delegationem prædictam concessam Episcopis respicere tantum forum externum; verba autem *Trid.* hæc sunt. « Bonifacii VIII » Constitutionem... renovans S. Synodus, universis Episcopis... » præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, » in aliis verò Sedis Apost. auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui... procurent. »

Hic ultimò notandum cum *Ronc. p. 110. qu. 9. R. 1.* quod ex Decretis à S. C. emanatis anno 1601 et 1602, auctoritate Clementis VIII, et anno 1607 auctoritate Pauli V, quicumque Confessarii præsumentes prætextu alicujus privilegii absolvere à ca-

sibus reservatis Papæ, vel Episcopis, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam.

## DUBIUM V.

## Quid sit Officium, et obligatio Confessarii.

603. Quid est officium Confessarii? Quando autem possit aut debeat Confessarius differre absolutionem? (Remissivè ad n. 462. et seq.)  
 — 604. Qu. I. An possit Confessarius negare absolutionem ei qui adhæret sententiæ probabilis? Quid, si adhæreat sententiæ falsæ, sed probabilis putatæ? — 605. Qu. II. An expediat Confessario uti sententiis rigidioribus, vel benignioribus? — 606. Quos Confessarius possit vel nequeat absolvere? — 607. Quomodo Confessarius teneatur rudiores interrogare? — 608. Quomodo eos instruere et disponere quantum potest? Monitum ad Confessarios. — 609. Quomodo debeat eos monere de suis obligationibus? — 610. Quid, si prævidet monitionem non profuturam? — 611. Inf. I. Quid, si advertat pœnitentem invalidè contraxisse Matrimonium cum bona fide? — 612. Quid, si Matrimonium sit contrahendum? — 613. Quid, si accedant sponsi cum omnia sunt parata? — 614. Inf. II. An debeat semper monere de restitutione facienda? Inf. III. Quid si timentur scandala aliorum? — 615. Excip. 1. Quando damnum est contra bonum commune. — 616. Excip. 2. Quando pœnitens interrogat. Excip. 3. Quando brevi speratur fructus. Utrum autem in dubio de fructu et nocumento fieri debeat monitio? — 617. Confessarius ministrans debet esse in gratia. Quomodo autem peccet, qui plures præbeat absolutiones in mortali successivè? (Remissivè ad l. 5. n. 50.)  
 — 618. Quid si in mortali tantum audiat Confessionem? Remiss. ad hunc l. 6. num. 36. (Et quid si urgeat necessitas absolvendi? Remiss. ad n. 33. ibid.) — 619. Dub. I. Quomodo teneatur Confessarius reparare defectus à seipso commissos? — 620. Dub. II. Ad quid tenetur, si erravit circa valorem Sacramenti? — 621. Dub. III. Ad quid si deobligavit à restitutione facienda? Et an teneatur ad restitutionem, si, cognito errore, non moneat? Quid, si culpabiliter deobligavit, cum pœnitens erat dispositus, et postea pœnitens renuat parere monitioni? Quid, si tantum omittat monere? — 622. Dub. IV. An possit monere pœnitentem de his defectibus, sine ejus licentia extra Confessionem. — 623. Quæ et quanta sit obligatio Confessarii audiendi pœnitentes? — 624. An Confessarius non Parochus teneatur cum periculo vite absolvere peccatorem moribundum? — 625. An tutus sit in Conscientia Sacerdos simplex, qui renuit munus Confessarii exercere, si populus sit in gravi necessitate spiritali?

605. — « RESP. I. Munus Confessarii est absolvere dispositum, et non alium: item curare rectitudinem istius iudicii, præsertim quando cœptum est, et reos juvare ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi est, ne sit injurius pœnitenti. Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertii est eadem: et quia debet curare, ut absolutio sit efficax. »

Unde resolves.

« 1. Etsi interdum utiliter differatur absolutio etiam ejus qui potest licitè absolvi; id tamen rarò, nec fere, nisi de pœnitentis consensu faciendum; quia potest vergere in grave ejus periculum vel damnum. Vide *Dian. p. 1. t. 4. R. 35.* (Quando Confessarius teneatur vel possit differre absolutionem, vide dicta num. 462.)  
 « 2. Absolvendus est, qui adhæret sententiæ probabilis; quia est dispositus. »

604. — Quæritur I. An possit absolvi pœnitens qui vult sequi opinionem contrariam illi quam tenet Confessarius? Prima sententia negat, et hanc tenent *Conc. p. 702. ex num. 1.* item *Fagn. Baron. Eliz. Gonzal. etc. ap. Croix l. 1. n. 452.* Ratio, quia pœnitens tenetur stare iudicio Confessarii qui est Judex; aliàs erit indispositus ad absolutionem. Secunda verò sententia communis et sequenda docet non solum posse, sed etiam teneri sub gravi Confessarium absolvere pœnitentem qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior Confessario. Ita *Suar. 3. p. t. 4. d. 32. sect. 5. Soto in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. ad 5. §. Unde, Az. t. 1. l. 2. c. 17. q. 10. Holzm. t. 3. p. 197. n. 740. Salm. tr. 6. c. 12. num. 44. Ronc. c. 2. Reg. 4. Pal. t. 1. tract. 1. p. 4. n. 2. et 6. Croix l. 1. n. 452. Sporer t. 1. p. 11. n. 47. Viva q. 7. a. 2. n. 6. Laym. l. 1. c. 5. n. 10. cum Vasq. Med. etc. Sanch. Dec. lib. 1. c. 9. n. 28. cum Henr. Sal. Salas, Val. Sayro, Man. Polanch. et aliis multis. Et in hoc consentiunt adhuc plures AA. rigidioris sententiæ, scilicet *Pontassus, et Victoria*; quorum loca et verba retulimus *Tom. 1. l. 1. n. 25.* et præsertim *Cabassutius T. J. l. 3. c. 13.* qui cum *Syloio* sic inquit: « Quis Confessarius absolvere debet pœnitentem qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobata in Ecclesia auctoritatem est licitum: quamvis juxta probabilem pariter aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur Confessarius, habeatur ut minus probabilis. » Idem docet *Caril. Tolet. l. 3. c. 20. n. 7.* ubi ait: « Cum aliquid est sub opinione, si casu accidit confessarium esse opinionis, esse illicitum, et pœnitentem, esse licitum, potest pœnitens obligare confessarium ut ipsum absolvat in sua opinione. » Et concludit, quòd tunc Confessarius potest « utramque opinionem sequi, quamvis ipse unam illarum probet. » Idem dicit *Navarrus Manual. c. 26. num. 4.* ubi: « Sisint contrariæ Doctorum opiniones, quarum alteram Confessarius et alteram pœnitens sequitur, et Confessarius credit evidenti se textu vel ratione niti, pœnitentem dubia, non debet eum absolvere. At si confessarius non adeo forti ratione nitatur, vel pœnitens utatur pari, vel fere pari, et habeat aliquem pro se Doctorem clarum, poterit eum absolvere, ut post Adrian. tenuimus in c. Si quis autem. d. 7. n. 66. » Ita *Nav.* non distinguens inter Parochum ad audiendum obligatum, et alium qui (ut ait) « potest audire, et non tenetur, ut nec Adrianus distinxit. »*

Et in hoc rectè conveniunt *Suar. Sanch. Azor. Salm. Croix, et alii* communiter; nam licèt alii Confessarii non teneantur absolvere pœnitentes, antequam eos audiant, postquam tamen audierint, tenentur absolvere dispositos. Idem docet *S. Ant. p. 3. tit. 17. c. 16. §. 2.* ubi dicit: « Caveat Confessor ne sit præceptus ad dandam » sententiam de mortali, quando non est certus et clarus, et ubi » in aliqua materia sunt variæ opiniones quamplurium et solem- » nium DD. utrùm sit licitum, vel illicitum... Consultet quod tutius est, scilicet quòd à talibus absteineant. (Extra de Spons. » Juven. ); non tamen contemnet contrarium facientes, seu con- » trariam opinionem tenentes, ne propter hoc (nota) denegat » absolutionem: sed (ut dicit Guil.) dicat Confessor, quòd illud » faciendo non est tutum, sed dubium, et ideo, sibi bene provi- » deat; si autem omnino (id est evidentè) conscientia Con- » fessoris dictaret illud esse mortale, nec posset conscientiam de- » ponere (id est per judicium reflexum, nempe quòd pœnitens, » cum sit dispositus, efformando sibi conscientiam de honestate » actionis, jus habeat ad absolutionem), quòd tamen deberet ad » consilium Sapientum, nullo modo deberet facere contra con- » scientiam, quia peccaret mortaliter, c. Omnes. 28. qu. I. §. Ex » his, juncta Glossa. Sed cum illud tale esset contra communem » opinionem DD. et communiter sic servatur à Sapientibus, » quamvis aliquem Doctorem audiret contrarium tenere, non de » levi (id est sine solida ratione) debet illi adhærere. » Idem confirmat clariùs *S. Anton. p. 3. tit. 16. cap. 20.* in fine dicens: » Si credit (Confessarius) quòd sit peccatum, debet ei consci- » entiam facere, quòd confitens diligenter se informet de illo facto, » utrùm sit peccatum. Sed dato quòd ille non vellet cognoscere » illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere, nec » reputare eum inhabilem ad absolutionem, quia ex ratione, » et non protèrvia hæc opinio est. » Adde his *S. Raymundum,* qui *lib. 3. tit. de Pœnit. et Rem. §. 21.* scribit: « Unum tamen » consulo, quòd non sis nimis pronus judicare mortalia peccata, » ubi tibi non constat per certam Scripturam ... alias possent in- » duci homines in desperationem. » Idem docet doctissimus *Syl- » vius 2. 2. q. 154. ar. 2.* loquens de superfluo ornatu mulierum, ubi: « si Confessarii non possint clarè percipere utrùm ibi sit » mortale, aut solum veniale, persuadeant quoad possunt, ut pœ- » nitens absteineat; si tamen nolit, non ei faciant conscientiam » de mortali, ne deinceps mortaliter peccet, ubi alioquin non » peccaret; neque absolutionem negent. »

Ratio autem valde urgens hujus sententiæ est, quia pœnitens, facta Confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem, quam denegando Confessarius gravem illi injuriam irrogaret, tum quia privaret eum gratia Sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata. Nec valet dicere, quòd pœnitens non est dispositus, cum sequi non vult judicium Confessarii. Nam respondetur, quòd Confessarius non est judex opinionum,

quas pœnitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui pœnitentis, ut patet ex Tridentino *sess. 14. c. 5.* (cujus verba retulimus *Tom. 2. l. 3. n. 669.*) ubi Sacerdotes ad hoc tantum dicuntur iudices à Christo Domino constituti, ut ad eos deferant fideles peccata sua, et ipsi absolutionem eis impertiantur, vel denegent juxta eorum dispositionem, debitamque pro modo culpæ pœnitentiam imponant. Dispositio autem pœnitentis consistit tantum in habendo verum dolorem de peccatis confessis et firmam voluntatem non peccandi in posterum. Ergo judicium Confessarii circa dispositionem pœnitentis in hoc tantum consistit, nempe in cognoscendo, quòd pœnitens verè doleat de suis culpis, et verè proponat eas non iterare. Quòd verò pœnitens velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad judicium Confessarii, nisi hic judicet opinionem pœnitentis esse evidentè falsam. Qua de re quoad opiniones illas quæ versantur circa præfatam dispositionem pœnitentis, vel etiam circa administrationem Sacramenti, putà si Confessarius judicet se non habere jurisdictionem, pœnitens debet stare judicio Confessarii, et Confessarius tenetur proprium sequi judicium; nam alias absolvendo sine debita jurisdictione, vel quem ipse judicat indispositum, peccat agendo contra propriam conscientiam. Quoad verò alias opiniones, quæ versantur circa obligationem pœnitentis, nempe circa ea quæ à pœnitente agenda aut vitanda sunt, Confessarius non est judex, nec potest obligare ad sequendam opinionem suam, pœnitentem qui vult sequi contrariam, quam ipse putat non sine fundamento licitè posse teneri, ut optime tradidit *Adrianus q. 5. Dub. 7.* dicens: « Si à pluribus » DD. contrarium teneatur, non debet Sacerdos adeo de se » præsumere, ut totum velit in suam opinionem (quæ forsitan » erronea est) coactare. » Hinc quando ex una parte pœnitens sibi efformat judicium de honestate alicujus actionis et alias Confessarius non habet certitudinem evidentem de illius falsitate, tenetur illum absolvere, utpote sufficienter dispositum. Et tunc potest, imò tenetur permittere, quòd pœnitens suam sequatur opinionem, si nequit abducere ab ea sequenda, quia (ut diximus) Confessarius non est controversiarum judex; alioquin, si v. g. pœnitens esset doctior Confessario, et vellet sequi opinionem, quam ipse non sine fundamento reputaret probabiliorē, aut etiam certam, posset Confessarius denegare illi absolutionem, si teneret opinionem contrariam, quæ esset forte in se erronea: sed hoc nullo modo videtur posse dici, cum dici nequeat quòd eo casu pœnitens peccet sequendo opinionem suam; at si non peccat, jam est dispositus, utque talis jus habet ad absolutionem.

Adde, quòd si Confessarius non posset absolvere eos, qui volunt sequi opinionem minus probabilem, contra suam quam ipse putat probabiliorē, multa videntur inconvenientia sequi. Ponamus enim casum, quòd aliquis simoniacè pecuniam acceperit; iste, secundum aliquos, tenetur restituere pretium acceptum ei qui dedit, secundum verò alios, Ecclesiæ, vel pauperibus; si

fortè hic ad duos Confessarios accederet, quorum unus obligaret ad restituendum dani, putans primam opinionem probabiliorē; alter ad restituendum Ecclesiæ, quia contrariam tenet sententiam, quæro in hoc casu, cui pœnitens parere deberet. cum teneretur utriusque sui Confessarii iudicio se conformare? Et si fortè paruerit primo, et postea confitetur secundo, num bis restitutionem facere debebit? Præterea si quilibet pœnitens teneretur sequi opinionem probabiliorē sui Confessarii, sequeretur quòd vix ullus Confessoriorum, vel Theologorum (adhuc rigidioris sententiæ) posset absolutionem sacramentalem recipere, nam vix unquam casus posset accidere, quòd horum aliquis inveniat Confessarium qui non habeat ut improbabilis. aut saltem minus probabiles, plures opiniones quas tanquam probabiliores ille tenet. Hinc alterum excogitemus casum: Duo Confessarii habent duas opiniones contrarias, quorum utriusque sua apparet probabilior: si unus velit alteri confiteri, deberet hic (juxta sententiam *Fagnani*, et *Sociorum*) suam deponere opinionem captivando intellectum, ut Confessario suo iudici constituto pareat. Contra verò, si alter postea huic confiteatur, deberet hic secundus Confessarius suam resumere opinionem, quæ sibi probabilior apparet; tunc enim deberet iudicare secundum suum proprium iudicium, et deberet illum obligare ut deponat opinionem quam sibi prius sequendam imposuit; et eni comœdia risu digna, quæ quotidie inter Confessarios eveniret. Quis putabit Christum Dominum ad hæc onera in Sacramento Pœnitentiæ Confessarios et pœnitentes voluisse obligare? Præterea, facile sequeretur, quòd cum accederet aliquis Confessarius ad recipiendum hoc Sacramentum, deberet ille qui ejus Confessionem excipit, inquirere de omnibus opinionibus quas pœnitens tenet, et quibus dirigit suos pœnitentes, ad hoc, ut si inveniat eum habere aliquam opinionem, quæ videtur sibi minus probabilis, obliget ad illam deponendam; et merito videretur Confessarius teneri sic inquirere, quia prudenter dubitare debet, quòd ille inter tot millia opinionum, facile plures opiniones habet, quas Confessarius putat minus probabiles, et ideo deserendas. Ex his omnibus concluditur, quòd Confessarius non est quidem iudex opinionum quæ versantur circa obligationem pœnitentium, modò illæ non appareant ipsi evidenter falsæ; sed tantum est iudex dispositionis eorum, nempe quòd doleant et proponant Deum non offendere, et credant tuta conscientia, ac non temerè, aliquam opinionem sequi. Unde *Cabassutius*, quamvis hic Auctor rigidioris disciplinæ sit fautor, verum (in *Theor. Jur. l. 3. c. 13. n. 14.*) loquens jam de Confessariis qui compellunt suos pœnitentes ad deponendas proprias opiniones, ut suas sequantur, sic ait: « Præscribat sibi quisque quascumque liberit austeræ vitæ » leges, caveant tamen tetrici isti Censores aliorum apud Deum » licitam libertatem tyrannicè opprimere. »

Sed dicet: Iudex fori externi debet iudicare juxta opinionem probabiliorē unius partis, quamvis altera pars opinionem pro-

habilem pro se habeat: ergo Confessarius non potest absolvere pœnitentem qui vult sequi opinionem probabilem contra suam probabiliorē. Respondetur: Longè dispar est ratio inter iudicem fori externi, et sacramentalis; in foro enim externo, cum agatur de veritate rei, nimirum, an ager sit unius vel alterius partis, Iudex qui tenetur unicuique jus suum tribuere, debet quidem rem adjudicare ei qui jus probabilius habet, nec potest certè adjudicare alteri, qui pro se opinionem habet minus probabilem; istius enim probabilitas non potest efficere quòd res probabilis revera non sit illius qui jus probabilius habet; et per consequens injustè ageret Iudex si ipsi rem non adjudicaret. Confessarius verò, quoties sua opinio non est evidenter certa, non potest (ut diximus) obligare pœnitentem ad illam sequendam; unde tunc non solum potest, sed etiam tenetur eum absolvere, permittendo, ut ille opinionem suam sequatur, semper ac pœnitens cum illa opinione efformet sibi conscientiam de honestate actionis, quia tunc jam satis est dispositus, et jus habet ad absolutionem per Confessionem peractam.

Et hanc sententiam dicunt *Laym. l. c. Lugo d. 23. n. 47. Bus. l. 1. d. 2. nu. 3. Sanch. l. c. nu. 30. cum Valenti. et Manuelli. ac Croix l. 1. n. 443. cum Suar. Carden. etc.* locum habere, etiamsi Confessarius opinionem pœnitentis uti falsam teneret; nam si opinio illa haberet aliquam existimatam probabilitatem, putà (ut ait *Sanchez*) si probabilis reputaretur inter DD. probatæ auctoritatis, et pœnitens verè censeret illam esse probabilem, tunc non poterit Confessarius ei denegare absolutionem. Idem docet *Sotus loco supra cit.* ubi sic ait: « Quis Sacerdos existimet » opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet sibi » non licere ipsum absolvere, si quidem propter probabilitatem » excusabitur ille à culpa. » Hoc verò tum solum admittendum puto, cum opinio pœnitentis aliqualem habet probabilitatem, ita ut Confessarius, esto eam non habeat ut solidè probabilem, tamen non reputet omnino falsam; nam contra, si Confessarius habet pro sua opinione principium certum, cui nullum videt patere responsum, et clarè cognoscit opinionem pœnitentis (quamvis aliqui DD. eam teneant) nisi falso fundamento, ac rationes illius procedere ex fallaci æquivocatione, tunc dico cum *Navarro et S. Antonino locis supra cit.* Confessarium non posse pœnitentem absolvere, quem videt pertinaciter velle sequi opinionem evidenter erroneam. Utrum autem Confessarius teneatur monere pœnitentem, qui in bona fide velit uti aliqua opinione improbabili, si prævidet opinionem non profuturam? Vide dicenda num. 610.

Cæterum, cum vertamur in hoc dubio, ubi alii (sed pauci) dicunt peccare Confessarium, si absolvat pœnitentem qui vult sequi opinionem minus probabilem; alii verò auctores gravissimi, et quamplurimi tam ex antiquis quam ex recentioribus, dicunt peccare, si non absolvat; stante hac communi sententia, tot auctoritatibus et rationibus roborata, non video quomodo possit

Confessarius tuta conscientia absolutionem denegare volenti sequi opinionem, quæ ipsi pœnitenti probabilis apparet, imò fortè probabilior, si non directè, saltem reflexè, ut communiter sentiunt auctiores probabilistæ, qui sequendo opinionem probabilem in concursu probabilioris, existimant amplecti sententiam reflexè probabiliorem, utpote gravioribus fundamentis et communissima Doctorum auctoritate firmatam.

605. — Quær. II. An in defectu opinionum expediat Confessario uti opinionibus rigidioribus, aut benignioribus? Rectè ait *Croix lib. 6. p. 2. n. 1737*, quòd si pœnitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est tutius, tenetur Confessarius (per se loquendo) eum dirigere secundum sententias tutiores: quia, cum hoc sit majoris perfectionis, tenetur quidem Confessarius incumbere majori profectui sui pœnitentis. Spectat autem ad prudentiam Confessarii deinde perpendere, utrùm tutioris, vel minùs tutæ sententiæ usus suo pœnitenti sit profuturus. Ideo dixi *per se loquendo*, quia licet id per se sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias; unde *Gerson. de vita spir. p. 3. Lect. 4. Coll. 10.* scripsit: «Fit ut per tales assertiones publicas nimis duras et strictas, præsertim in non certissimis, nequaquam eruantur homines à luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatiùs, immergantur.» Idcirco in praxi Confessarius potiùs (quoad fieri potest) debet esse benignus quam rigidus cum pœnitentibus. Unde *S. Gregorius Nazianz. Orat. 26.* sic dixit: «Hortamur Sacerdotes, ut cum pœnitentibus leniter agant, ex illo Apostoli ad Gal. 6: Instruite in spiritu lenitatis.» Et *S. Bernardus Serm. de S. Andrea*, loquens de Confessario, inquit: «Habeat in voluntate compati et liberare eum: et nitatur aliquid detrahare severitati, imitans dulcedinem Domini sui. Additque *Serm. 42. in Cant.* Mallem aliquando tacuisse et dissimulasse quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.» *S. Odilo Abbas* (apud *Ribadiner, p. 2. die 1 Januarii*) reprehensus de nimia benignitate in administrando Sacramento Pœnitentiæ, respondit: «Etiam si damnandus sim, malo tamen de divina misericordia, quam ex duritia damnari.» *B. Humbertus Generalis PP. Prædicatorum* (in *Glossa Prol. Constit. Ordin. lit. 1.*) dixit, salutem animarum pluries impediri per nimiam austeritatem opinionum, sic loquens: «Terrentur enim homines ex hoc in tantum ut salutem negligant; idcirco relaxanda est quantum fieri potest austeritas, et agendum benignè, quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiæ mitiores tenentur.» *S. Bernardinus Senensis* (tom. 1. *Fer. 2. post. Dom. Quinquages. Serm. 3. art. 2. cap. 1. in fine*) scripsit: «Secundum Scotum et Hostiensem, quando sunt diversa jura et opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum et bonos mores (nempe quæ scandalum aliquod vel periculum afferant formaliter peccandi), cæteris paribus, humanior præferenda est.»

Sapienter autem dicit *Holz. de Pœn. n. 740.* quòd Confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illæ potiùs inducunt pœnitentem ad vitandam peccatum. Secus verò, si illæ potiùs conducant ad legis transgressionem, prout sunt (ut bene advertunt *Ronc. de Pœnit. c. 2. qu. 3. et Sporer. l. 1. n. 48 et 49.*) opiniones illæ, quæ, licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valde periculosæ, sicut in materia sexti præcepti sunt opiniones aliquæ de tactibus, osculis, choreis, comœdiis, de reprimendis motibus sensualibus, et similibus; item in materia simoniæ, et usuræ, ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, sed in praxi magnum periculum involvunt; item quando agitur de compensatione faciendi, vel de accusatione prosequenda contra offensores, ubi facile est periculum injustitiæ, aut vindictæ.

606. — «3. Moraliter ei constare debet de bona dispositione pœnitentis, aliàs absolvendo peccabit mortaliter.» (Vide dicta n. 459.)

«4. Non licet absolvere 1. Qui nullam præbet materiam: qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cujus erat oblitus.» (Vide dicta n. 448, ubi oppositum tenuimus.) 2. Qui cum possit, non est paratus restituere, et proximas peccandi occasiones fugere. V. *Navar. c. 15. Suar. d. 32. sect. 2. 3.* Ignorantem ea, quæ omnes scire tenentur, v. g. decem præcepta, et quæ ad fructuosam confessionem, et communionem spectant, unde talis communiter prius est instruendus, vel aliò mittendus ad instructionem.» (Vide dicta Tom. 1. l. 2. ex n. 3. et in Praxi Confess. in fin. hujus operis n. 22.)

607. — «5. Rudiores ordinariè juvandi sunt.» (Ex cap. Omnis de Pœnit. ubi dicitur: Sacerdos sit discretus, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati. Item in Rit. Romano habetur: Si pœnitens numerum, et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis... interrogationibus quemquam delineat, præsertim juniores... de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne... peccare discant.) nisi sint incapaces instructionis, vel ob pœnitentium multitudinem fieri non possit, nec videatur expedire, ut mittantur; vel sint peregrini, qui mox communicare, et abire debeant; tunc enim, si aliqui bona fide agant, et temporis angustia, vel pœnitentium multitudo longum examen, vel instructionem non permittat, sufficere aliquando integritatem formalem, docet *Laymann. c. 13. n. 10.* qua scilicet auditis aliquibus peccatis, absolvantur, cum onere redeundi ad confessionem pleniorum.»

Sed hæc opinio videtur expressè damnata ab *Inn. XI Prop. 59.* Notamus autem hæc plura ad praxim utilia, quoad interrogandos pœnitentes rusticos. I. Rustici, qui putantur non satis examinati, communiter non sunt dimittendi ad se melius exami-



nandum; ita *Salmant. de Pœnit. c. 12. n. 26. cum Lugo Vasq Diana, Dic. et P. Segneri* (in suo *Confessar. Instr.*) oppositum merito putat intolerabilem errorem. Hinc rectè ait *Spor. n. 798. Laym. c. 13. n. 10. cum Suar. et Holz. n. 731. cum Banbestub.* et aliis passim, quòd Confessarius examinare debet ordinariè rusticos; nam licèt isti dimittantur, ut se meliùs præparent, vix tamen paratioribus unquam redibunt, imò absterriti à difficultate examinandæ conscientiæ, facilè à Confessione se retrahant. II. Non est obligatio interrogandi eos, qui videntur satis instructi, et diligentes in dicendis peccatis cum suis circumstantiis; *Salmant. cum Aversa l. c. n. 23.* III. Confessarius non sit nimis anxius in interrogando, sed interroget tantùm de iis quæ probabiliter pœnitenti conveniunt juxta suam conditionem; *Salm. cum Suar. n. 21.* Aliàs, ut ait *Suarèz*, interrogatio erit onerosa pœnitenti. IV. Meliùs est examinare singula quæ pœnitens dicit, quam omnia in finem reservare, ita rectè *Salm. n. 25. cum Lugo et Dicast. V.* Cavere debet Confessarius, ne acriter reprehendat pœnitentem, dum ille confitetur, ne fortè deterritus, alia peccata reticeat; unde sic advertit Rituale: « Confessarius... audita Confessione, perpendens peccatorum... magnitudinem... opportunas » corpeptiones... adhibebit. » Non tamen erit incongruum, si intra Confessionem aliquando humaniter gravitatem criminum pœnitenti exponat, dummodo illico animum ei præbeat ad reliqua confitenda.

608. — « 6. Si Confessarius notet pœnitentem ignorare aliqua » necessaria ad hoc Sacramentum, tenetur eum instruere, et » admonere ratione sui officii, quantum fieri potest, v. g. si nesciat » illa, quæ necessitate mediè sunt ad salutem necessaria, debet » ea docere; item obligatos ad deponendum odium, ad restitutionem honoris, famæ, aut bonorum, aut ad occasionem peccatorum tollendam, aut amovendam, vel reparanda scandala, » aliave damna illata, aut ad corripiendos delinquentes, juvenidos » indigentes, ad denuncianda delicta vel delinquentes in præjudicium communitatis, vel innocentium: et denique, si quam » censuram incurrerint, etc. tenetur ea de re monere, et hortari » ad satisfactionem, quam si recusent, negare absolutionem: quia » alioqui se ipsorum criminum participem, et sacrilegii reum » faciet. *Aversa qu. 16. sect. 12.* »

Hic adverte cum *Bus.* cui consentiunt *Sporer n. 793. et Laym. c. 13. n. 10. cum Suar. et Llamas*, quòd Confessarius tenetur quantum potest ad disponendum suum pœnitentem, qui indispositus accedit. Quocirca nescio quando à culpa excusari possint desides illi Confessarii, qui statim ac noverint pœnitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim, quòd Confessarius tenetur ex rigorosa obligatione caritatis eum disponere quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis, et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curæ esse debet, quòd

alii pœnitentes expectent: nam tunc Confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantùm sui pœnitentis, pro quo tantùm illo tunc, non verò pro aliis, rationem est Deo redditurus.

609. — « 7. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili, » et mortaliter culpabili est in malo statu: quia aliàs nec ipsi nec » Sacramento consulet, cum pœnitens sit indispositus. Si verò » ignorantia sit invincibilis, v. g. si bona fide teneat rem alienam, » aut sit in matrimonio irritò, tenetur quidem monere et instruere quando speratur fructus, nec timentur incommoda » graviora: quæ si prudenter metuantur, aut fructus non speretur, non tenetur, imò non potest. *Card. de Lugo de pœnit. d. 22. n. 24.* nisi silentium officiat bono communi, quia debet » tur, non tenetur, imò non potest. *Card. de Lugo de pœnit. d. 22. n. 24.* nisi silentium officiat bono communi, quia debet » suadet, ut secundùm suam ignorantiam operetur, v. gr. Cæcæ, » ut reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit suum esse » maritum, cum non sit. *V. Sanch. lib. 2. de matrim. d. 38.* » Nec obstare, etiamsi sit in præjudicium tertii particularis, ait » *Lugo, et Tamb. de exped. conf. l. 2. c. 4.* Hinc si Confessor prævideat pœnitentem non restitutum, si ipsi detegatur nullitas » tituli, quem pro se esse putat, non esse illi talem nullitatem » à Confessario non interrogato detegendam. Quòd si tamen » pœnitens ipse dubitet, ac roget, tenetur dicere veritatem, » quia tacere esset errorem approbare: prudenter tamen, non » plus dicendo, quàm rogatur; v. gr. si roget Titius, an post » votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat, » possitque, ac teneatur reddere debitum, respondeat, quòd sic » tacendo obligationem non petendi debiti. Vid. *Laym.* hic, et » *Lugo. loc. cit.*

» 8. Quando Confessarii Principum, Prælatorum, aliorumque » magnatum sciunt ipsos non satisfacere officio, v. g. circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum » gubernationem, circa elemosynas ex bonis ecclesiasticis faciendas, etc., regulariter tenetur confessarius monere pœnitentem » de sua obligatione: aliàs si absolvit, suis humeris peccata illa » imponit, et cæcus cæcum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. » Ratio est, quia in talibus rarò est ignorantia invincibilis; rarò » item contingit, ut illa secum non afferant scandalum in subditis existimantibus illa licere: vel certè non afferant dampnum commune. Si tamen videat ignorantiam esse invincibilem, » neque ex illa sequi scandalum, aut dampnum commune: contra » verò admonitionem fore in majus dampnum pœnitentis, aut » allaturam scandala, vel incommoda, potest secundùm paulò » ante dicta dissimulare, nisi interrogetur. Ita *Lugo d. 22. n. 37.*

» 9. Si etiam pœnitens teneretur, licèt sub peccato mortali, » ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur tunc æquo animo » accepturus, et alia vice meliùs suscepturus, posset prudens » Confessor tunc illum relinquere in bona fide excusante à pec-

» cato, et monitionem differre in tempus opportunius, ne terretur  
 » à Confessione absteineat, graviusque detrimentum incurret.  
 » *Tamb. c. 14. Lugo d. 22. s. 2. n. 27.*  
 610. — « 10. Minus rectè dispositus excitandus est ad dolorem,  
 » et propositum emendationis, proposita peccati fœditate, boni-  
 » tate Dei et periculo damnationis, etc. Item remedia opportuna  
 » præscribenda contra peccata futura. »

Quæritur, an Confessarius prævidens monitionem pœnitenti  
 non esse profuturam, teneatur nihilominus eum monere? Cer-  
 tum est teneri, si ignorantia sit culpabilis, vel sit circa aliquod  
 medium ad salutem necessarium, alias pœnitens esset certè  
 indispositus. Dubium igitur vertit, an monitio facienda sit circa  
 alia, quæ non sunt de necessitate mediæ, et cum ignorantia est  
 inculpabilis? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Adrian.*  
*ap. Suar. de Pœnit. d. 32. sect. 4. n. 5. item Wigand. tr. 2. n. 32. et*  
*Conc. p. 695. §. 2. per totum. Idem tenent Gonzal. et Eliz. ap. Croix*  
*l. 6. p. 2. n. 1758, si ignorantia sit circa præcepta juris divini,*  
*secus si juris humani. Rationes hujus sententiæ patebunt ex*  
*objectionibus ad secundam sententiam. Secunda* tamen sententia  
 communis et vera docet, quòd si pœnitens laborat ignorantia  
 inculpabili (sive sit juris humani, sive divini), et non speratur  
 fructus, imò prudenter judicatur monitio esse magis obfuturam,  
 quàm profutura, tunc Confessarius potest et tenetur eam omite-  
 re, relinquendo pœnitentem in sua bona fide. Ita cum *Busemb.*  
*Suar. l. c. nu. 4. cum P. Soto, et Corduba, Laym. l. 5. tr. 6.*  
*c. 13. n. 5. Sanch. de Matr. l. 2. d. 38. n. 1. et 10. Lugo*  
*d. 22. n. 24. Nav. Man. c. 22. n. 83. Bon. de Matr. q. 3. p.*  
*ult. n. 7. Camus relect. p. 5. Anacl. p. 620. n. 52. Pal. p. 18.*  
*§. 2. n. 7. cum Vasq. et Conc. Ronc. p. 94. q. 4. R. 2. Spor.*  
*p. 272. n. 795. Tamb. l. 3. c. 4. §. 1. Elbel p. 344. n. 471. Vioa*  
*q. 8. art. 5. n. 4. Escob. l. 16. n. 633. cum Henr. Guttier.*  
*Medina, Holz. t. 1. p. 12. n. 60. cum March. Croix l. 6.*  
*p. 3. n. 540. et Salm. c. 12. n. 34. cum Pontio, Aversa, Vill.*  
*Diana, Gabr. etc. Et idem docet Habert (rigidioris disciplinæ*  
 fautor) *t. 6. p. 466. q. 3. ubi loquens de matrimonio nullo*  
 propter aliquod impedimentum, dicit: « Si adversus malum  
 » occultum, et invincibiliter ignoratum, nullum appareat reme-  
 » dium, et gravia incommoda prævideantur, dissimulandum  
 » est (à Confessario) impedimentum, et conjux in bona fide  
 » relinquenda. » Idem sentit *Antoine* (recentior inter rigidos  
 auctores) *p. 534. qu. 3. ubi ait: « Si probabile periculum sit,*  
 » ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel  
 » grave scandalum, etc., differenda est monitio, et petenda  
 » dispensatio. »

Id probant *1. ex c. Si quis 2. de Pœnit. dis. 7.*

Sed hic textus revera non facit ad casum, nam ibi loquitur  
 S. Aug. tantùm de peccatore qui vult differre pœnitentiam usque  
 ad finem vitæ, et ideo sic dicit: « Si scirem tibi nihil prodesse,  
 » non tibi darem (id est pœnitentiam). Item, si scirem tibi

» prodesse (nempe dilationem pœnitentiæ) non te admonerem,  
 » non terrerem. Ergo tene certum, dimitte incertum. » Quid  
 igitur hic textus refert ad rem? Probant *2. ex c. Quia circa de*  
*Consang. ubi Innoc. III, consultus de quibusdam, qui ex subrep-*  
*titiâ dispensatione contraxerant, sic respondit Episcopo inter-*  
*roganti: « Dissimulare poteris, cum ex separatione grave videas*  
 » scandalum imminere. » Sed hic alius textus nec etiam satis  
 probat, quia saltem non est certum, quòd Papa sic respondens  
 nolisset dispensare in illo impedimento (quamvis *Tournely...*  
*p. 317. cum pluribus intelligit ibi nullam adfuisse dispensatio-*  
 nem); tantò magis quòd aliquando potest Pontifex ex urgentis-  
 sima causa etiam deobligare ab obligatione præstandi novum  
 consensum, prout *Clemens XI 2 April. 1701* egit cum qui-  
 busdam Populis Indiarum, ut refert *Bened. XIV. Notif. 87.*  
*n. 80.*

Potius igitur nostra sententia firmatur ex auctoritate D. Ber-  
 nardi, qui *Serm. 42. in Cantic.* sic ait: « Mallem aliquando tacuisse  
 » et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quàm ad  
 » tantam reprehendissem perniciem. » Conqueritur ergo S. Doctor  
 per suam monitionem cognovisse majorem evenisse ruinam,  
 quàm si dissimulasset reprehendere id quod cognovit malè agi.  
 Maximè autem sententia probatur ex illa validissima ratione,  
 scilicet quòd de duobus malis minus est permittendum, ut majus  
 evitetur; unde in concursu peccati materialis et formalis, magis  
 præcavendum est formale, quod solum punit Deus, cum ex solo  
 peccato formali reputet se offensum. Ratio hæc magis patet  
 ex responsionibus ad objectiones, quas mox recensemus.

Obijcitur I. illud *Ezechielis c. 33. v. 8.:* « Si me dicente ad  
 » impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut se cus-  
 » todias impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur,  
 » sanguinem autem ejus de manu tua requiram. » Sed quis non  
 videt hîc sermonem fieri de impio, qui est in mala fide, et quem  
 tenetur utique Confessarius corripere, ut resipiscat? Et sic intel-  
 ligendi alii textus Scripturæ, ac SS. Patrum, qui in contrarium  
 afferuntur.

Obijcitur II. Confessarius est Doctor: ergo ex vi sui officii  
 tenetur omnino instruere ignorantes, et legem manifestare. Res-  
 pondetur, quòd Confessarius non solum est Doctor, sed etiam  
 Medicus, unde ut Medicus, cum prævidet monitionem vergere  
 in ruinam pœnitentis, debet ab eâ abstinere: et licet sit etiam  
 Doctor, attamen, cum munus Confessarii sit munus caritatis, à  
 Christo Dom. tantùm institutum in bonum animarum, debet  
 quidem tradere doctrinam, sed illam tantùm quæ est proficua,  
 non quæ nociva est pœnitentibus. Alias si ex munere doctoris de  
 omni veritate teneretur instruere pœnitentes, deberet ab eis  
 removere ignorantiam invincibilem adhuc juris humani, etiamsi  
 prævideret monitionem obfuturam; sed hoc vel nemo dicet, vel  
 nimis improbabiler dicet.

Obijcitur III. quòd in eo casu ignorantia pœnitentis non est

invincibilis, sed vincibilis; idque sic probant; Tunc adest vincibilis ignorantia, quando alicui vel occurrit dubitatio de præcepto, vel aperta est via præceptum addiscendi; sed huic ignorantiam jam aperta est via, quando quidem Confessarius paratus esset ad instruendum, si prævideret monitionem profuturam; ergo Confessarius tenetur monere talem pœnitentem, utpote vincibili ignorantiam laborantem. Sed respondetur: Ad constituendam ignorantiam vincibilem, non solum requiritur, ut pateat via ad veritatem præcepti assequendam, sed etiam omnino requiritur, ut occurrat dubitatio de præcepto, alias ignorantia semper esset invincibilis; ignorantia enim invincibilis, ut definitur à *D. Th. 1. 2. qu. 76. a. 2.* est illa, quæ studio superari non potest. Cum autem dubitatio de aliquo præcepto non occurrit, ignorantia studio superari certè non potest; quomodo enim studium quis adhibere potest ad inquirendum præceptum, de quo nullam notitiam ne confusè quidem per dubitationem habet? Unde rectè cum aliis communiter supponit *P. Segneri (in suo Confessar. Instructo c. 7.)* tunc utique adesse ignorantiam invincibilem: *Quando la persona non ha principio di dubitare, e conseguentemente non ha nè anche maniera di vincere il suo errore.* Concludendum igitur, quòd cum alicui non occurrit dubitatio, ignorantia est quidem invincibilis: licet enim per se loquendo adsit via sciendi aliquam obligationem, illa tamen non patet ei, cui de obligatione nulla occurrit dubitatio. Alias, si talis pœnitens censendus esset laborare ignorantia vincibili, deberet dici, quòd etiamsi ipse non confiteretur, et etiamsi pœnitens monitus respiceret, sed Confessarius propter incitiam vel oblivionem non advertat ad eum monendum, adhuc pœnitens damnaretur, quia adhuc esset in mala fide, et in peccato formali, sed hoc non videtur ab ullo unquam posse dici. Quòd autem confessarius advertat, vel non, ad faciendam monitionem, hoc merè per accidens se habet quoad pœnitentem, à cujus sola cognitione et voluntate pendet, quòd ignorantia sit vincibilis, aut invincibilis.

Objiciunt IV. Quòd talis pœnitens, qui si moneretur, non acquiesceret doctrinæ Confessarii, haberet voluntatem obfirmatam in errore, unde tanquam indispositus nequit absolvi. Sed respondetur, et quæritur qualisne dispositio in pœnitente attendi debeat ut ei absolutio denegetur? num indispositio præsens sive actualis, vel futura seu interpretativa, scilicet, quòd si ille in tali occasione poneretur, peccaret? non quidem interpretativa, alias plurimi absolvi non possent qui hinc et nunc de aliquo peccato, puta de neganda fide non cogitant, sed, persecutione adveniente, facillè illam negarent. Item dicere debemus cum Pelagio (cujus error damnatus est ab Ecclesia) quòd Deus in pœnam peccatorum futurorum aliquos infantes non sinit ad Baptismum pervenire, et aliquos pervenire vult in præmium bonorum, quæ operaturi essent si vixissent. Quare minimè dici debet, quòd pœnitens est indispositus, eò quòd si moneretur non pareret

Confessario, sed quòd esset indispositus si moneretur. Sed Confessarius non debet attendere ad indispositionem interpretativam quam pœnitens haberet, sed ad actualem quam nunc habet. Et ideo, sicut non licet proximum exponere ad occasionem in qua positus ille succumberet, ita Confessarius, cum prævidet ex monitione ruinam pœnitentis, tenetur ab ea abstinere, esto pœnitens relinquendus sit in peccato materiali, eò quòd unum peccatum formale omnibus præponderat materialibus peccatis.

611. — Ex his inferitur I. cum *Laym. n. 5. Sanch. n. 8. Lugone n. 25. Salm. n. 34. Holzm. n. 60. Pal. §. 2. n. 7. Habert, Antoine ll. cc.* et aliis communiter (contra *Concinam*), quòd si confessarius noverit pœnitentem invalidè contraxisse Matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiae, scandali, aut incontinentiae, si nullitatem manifestet; tunc debet omittere monitionem, et illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio: nisi dispensatio (ut rectè aiunt *Laym. num. 6. Pal. et Salm. ll. cc.*) de facili, et statim obtineri possit ab habente facultatem, et etiam ab Episcopo (rectè dicit *Palauis*), ut liberetur pœnitens à peccato materiali. Vide dicenda de *Matr. Dub. 3. n. 1123*. Utrum autem hoc casu possit Confessarius obligare conjugem negantem debitum ad illud reddendum? Negat *Bon. de Matr. q. 3. p. ult. n. 6. cum Soto, et Hurt.* quia id esset consulere fornicationem; tantum (ut ait) poterit in genere dicere, quòd conjuges tenentur reddere debitum. Affirmant verò communius et probabilius *Lugo, et Sanch. ll. cc. Fill. tr. 10. n. 98. Croix l. 6. p. 3. n. 542. et Escob. l. 16. num. 630. cum Conc. Henr. Led. et Cord.* Ratio, quia stante persuasione conjugis quòd Matrimonium sit validum, tenetur ille reddere, ut dictamen suæ conscientiae sequatur.

612. — Quid si Matrimonium sit contrahendum? *Holz. t. 1. p. 12. n. 61.* ait omnino tunc monitionem esse faciendam, etiamsi certè non sit profutura, et certè obfutura, quia magis præcavenda est nullitas Sacramenti, quam peccatum, aut infamia pœnitentis. *Holzm.* citat etiam *Spor.* pro hac sententia de *Consec. c. 1. n. 9.* Sed *Spor.* loquitur ibi (et rectè) tantum de casu quo aliquis vellet ducere consanguineam: tum quia tunc revera abest infamia, tum quia pœnitens post Matrimonium facillè poterit cognoscere ejus nullitatem, et sic facillè incidere in peccata formalia; præter alia pericula relinquendi filios illegitimos, etc. E converso *Sanch. dict. d. 38. n. 7. in fine, et Lugo d. 22. n. 24.* absolutè dicunt adhuc in eo casu omittendam esse monitionem, quando ipsa probabiliter censetur non profutura. Probabilius tamen mihi videtur dicendum cum *Palao p. 18. §. 2. n. 9. et Salm. c. 12. n. 35.* quòd regulariter loquendo, omnino monitio tunc facienda est, tum quia ex Matrimonio nullo frequenter plura inconvenientia oriuntur; tum quia sæpe post tale Matrimonium ignorantia cessare solet, et tunc facillè adest periculum peccandi formaliter. Unde bene ait *Laym. c. 13. n. 6.* quòd eo casu monitio facienda est, si aliqualis saltem spes adsit profectus. Et idem quòd de Matrimonio nullo dicit *Spor. de*

*Consc. c. 1. n. 29.* de contractu illicito incundo. Si verò Confessarius certò moraliter desperet de fructu, tunc merito dicit *Croix l. 6. p. 3. n. 540. cum Aversa* (quibus jam videntur adhærere *Pal. Salm. et Laym.*) quòd omittere debeat monitionem, donec obtineat dispensationem; quia melius est permittere peccatum materiale, quàm præbere occasionem certi peccati formalis. Nec obstat ratio *Holzmanni*, nam (ut dicit *Sanch. Pontius, Vasq. Salas, Salon*, et alii citati *Tom. 1. l. 1. n. 32.*) Sacramenta non exposcunt majorem reverentiam, quàm præcepta divina. Unde si in præceptis divinis permitti potest Materiale peccatum, ut ipsemet *Holzmanni* admittit numer. 60. cur non poterit permitti materialis irreverentia Sacramenti in tanta necessitate, ut peccatum formale vitetur.

615. — Sed hîc discutiendus est casus valde facilis eventus, et difficilis solutione. Rogatur: quid agendum, si sponsi accedant ad Ecclesiam ad contrahendum Matrimonium, et alter eorum manifestet Confessario impedimentum occultum, dum omnia sunt parata, et non possit sine scandalo et infamia Matrimonium differri? *Sanch. de Matr. lib. 2. d. 40. n. 8. Boss. p. 1. n. 1206. et Bon. eod. tit. q. 3. p. 15. n. 6. cum Guttier.* suadent, ut pœnitens votum emittat castitatis ad tempus, putà ad mensem. Sed hoc remedium, ut aiunt *Roncag. p. 172. q. 2. et Auctor. Instruct. pro novis Confes. p. 2. c. 1. n. 31.* merito videtur esse periculosum, propter suspicionem quam facile apud alios ingerere potest; tanto magis quòd passim apud Casuistas tale remedium præscriptum invenitur. Unde *Lugo d. 22. n. 24. et præfatus Auctor. Instruct. etc.* dicunt tunc consultius esse, quòd Confessarius relinquat sponso in bona fide, et sinat nuptias contrahere; et huic consentit *Laym. de Pœn. c. 13. n. 6.* si omnino desperetur de fructu monitionis. Communissimè verò alii DD. et probabilissimè docent in eo casu posse Episcopum dispensare; ita *Sanchez dict. D. 40. n. 3 et 7. Bon. n. 4. Cabass. Tom. 1. l. 3. c. 27. n. 4. Pignatell. t. 3. Consult. 33. Suar. de leg. l. 6. c. 14. in fine. Spor. de leg. p. 50. n. 353. Conc. de Matr. pag. 343. n. 5. Pontius. l. 9. c. 6. n. 6. Dian. p. 8. tr. 3. R. 80. Pal. p. 18. §. 2. n. 9. Salm. de Matr. cap. 14. n. 11. Viva q. 6. art. 1. n. 8. Elbel p. 500. n. 493. cum Bon. Fill. Mastr. et Croix de Matr. n. 838. cum Vasq. Sylveio, Barbosa, Hurt. Reg. Vill. Salas, Boss. Molfes. Machad. et aliis plurimis cum Card. (qui dicit esse sententiam moraliter certam) et *Pyrrho, ac Corrad.* (qui testatur ita declarasse Sixtum V), et communem vocat *Bened. XIV. de Synod. l. 7. c. 31. n. 2.* (contra rigidissimum *Fagnanum*, qui in *c. Nimis, de Filiis Preb.* negat, etiamsi id oporteat ad legitimandam prolem in articulo mortis; adversus communem DD. cum *Pignatell. t. 3. Cons. 33. qui n. 8.*, et aliis id extendit etiamsi impedimentum fuerit publicum). Ratio, vel quia tunc præsumendus est Pontifex delegare Episcopo facultatem dispensandi, quam requisitus certè ei non denegaret; vel quia (ut ratiocinatur *Sanch. num. 3 et 7.*) Episcopus potest in sua Diœcesi quidquid potest Pontifex in tota*

Ecclesia, nisi aliquid Pontifex sibi reservavit (juxta id quòd plures dicunt *de Matr. vide infra n. 980. dub. 1.*); unde, si Episcopus dispensare nequeat in iis impedimentis, id ex eo provenit quia Pontifex reservat; sed cum reservatio fiat propter caritatem et ob bonam Reip. gubernationem, non est verisimile Pontificem dispensationem sibi reservare in casu tantæ necessitatis, quando aliter scandala vitari non possent; hoc enim esset contra caritatem. Ergo in eo casu intelligitur cessare reservatio, et ideo Episcopus ex sua potestate ordinaria potest tunc dispensare, sicut potest in aliis legibus Pontificiis, quando aditus ad Papam non patet. Et eo casu probabiliter dicunt idem *Sanch. n. 14. Elbel l. c. Bon. n. 6. cum Valent. Vasq. Salas, Henr. ac Salm. c. 14. n. 12. cum Con. Pal. Basil. etc.* quòd Episcopi legitime possint prædictam facultatem dispensandi delegare aliis, etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, quia hæc facultas conceditur Episcopis ratione Dignitatis, unde accipit conditiones potestatis ordinariæ. (Vicarius autem Episcopi ratione sui officii hanc facultatem certè non habet, prout notant *Salm. ib.*) Imò addit *Pignatell. t. 3. Consult. 33. n. 5.* ibique fuse probat, quòd eo casu censetur omnino cessare lex qua prohibetur tale conjugium contrahi: omnis enim lex (ut ait) ordinatur ad bonum publicum, ut revera est commune apud omnes *ex c. 2. de Observ. Jejun.* ubi dicitur quòd necessitas careat lege, et *ex c. 2. dist. 4.* ubi S. Isidorus ait: «Erit autem lex honesta, possibilis secundum naturam, loco temporisque conveniens, utilis, manifesta quoque, etc.» Unde quando lex evadit perniciosa, utique non obligat, ut docet *D. Th. 2. 2. q. 120. art. 1.* ubi dicit, quòd cum aliquid est contra commune bonum, *malum est sequi legem positam.* Idem *Cajet. ib. Nav. c. 16. n. 37. Soto. de Just. q. 6. a. 8. Pignatell. tom. 3. Consult. 33. n. 5. cum Covarr. Led. et aliis passim: idem Salm. de Leg. c. 1. n. 15. et Pal. tr. 3. p. 1. n. 4.* qui probat cum *Suar. Bon. Vasq. et Salas*, quòd lex bono communi non conveniens, non est lex, neque obligationem inducit. Et ideo ait *Pignatellus*, tunc alium inferiorem legislatore posse declarare, quòd lex impedimenti cesset, et non obliget, cum in eo casu, si adhuc Pontifex vellet legem obligare, talis voluntas respiceret malum, quia esset causa scandali, quòd non est præsumendum. Unde dicit *Ronc. p. 172. q. 2.* (cujus opinionem ait *Auctor Instr. pro novis Confes. p. 2. n. 32. ex Jordano, et Pignatell.* ut supra, non esse rejiciendam tanquam improbabilem et non tutam in praxi) quòd si aliquando nec etiam ad Episcopum aditus pateret, et nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum infamiæ, aut scandali, posset Parochus vel alius Confessarius declarare, quòd lex impedimenti eo casu non obligat, quia eadem ratio (ut supra) tunc urget, nempe quòd cessat lex, quando potius est nociva, quàm utilis. Et licet hic non cesset finis legis in communi, sed in particulari, cum tamen cessat finis legis in contrarium, lex etiam cessat, ut omnes conveniunt cum *Salm. de Leg. c. 4. n. 6.* Notant tamen præfati Auctores, quòd esto tunc per-

mittatur contrahi Matrimonium, tamen quantocius (saltem ad majorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesie debitam) recurri debet ad S. Pœnitentiarium, ut ab illa dispensatio obtineatur.

614. — Infertur II. quòd ubi non speratur fructus, omittenda est monitio etiam de restitutione facienda, ut dicunt *Laym. c. 13. n. 4. Lugo d. 22. n. 26. Ronc. p. 94. q. 4. R. 2. Sporer de Pœn. n. 795. Vioq. q. 8. art. 5. n. 5. Elbel. p. 344. num. 471. cum Tamb. Sanch. lib. 2. d. 38. n. 8 et 10. cum Cano, Henr. Led. Met. et Cord. Holz. tom. 1. de Consc. c. 3. n. 53. cum Henno, et communi, ac Salm. c. 12. n. 34. cum Vasq. Suar. Con. Pontio, Vill. Aversa, etc. (contra Concinam, Hab. ll. cc. et Antoine p. 534. q. 3. qui duo ultimi in assignanda ratione circa monitionem de Matrimonio nullo, et de restitutione facienda, apertè sibi contradicunt.) Ratio est, quia Confessarius, cum prœvidet quòd monendo de restitutione, pœnitens non parebit, et in peccatum formale incidet, magis prœcavere debet ejus spirituale damnum quàm damnum alterius temporale. Bene tamen advertunt *Vioq.*, et *Ronc.* non facile judicandum quòd pœnitens, cognita veritate, monitioni non obtemperabit.*

Infertur III. omittendam esse monitionem etiam quando timeatur scandala aliorum, infamie, rixæ, et similia; ita *Suar. d. 32. sect. 4. n. 3. Sanch. dicta D. 38. n. 10. Laym. c. 13. n. 5. Lugo d. 22. n. 7. Pal. §. 2. n. 8. Ronc. pag. 94. q. 4. R. 2. et Salm. c. 12. n. 34. cum Vasq. Con. Coar. Dicast. et Granada.* Quia semper prætatur vitare mala formalia aliorum, quàm materialia pœnitentis.

615. — Excipiendum est tamen I. quando damnum redundaret contra bonum commune; licet enim Confessarius teneatur ratione sui officii principaliter incumbere bono pœnitentis, nihilominus, cum ipse sit pars Reipublicæ, et in bonum Reip. Christianæ Minister constitutus, tenetur præferre bonum publicum bono privato pœnitentis; ita cum *Busemb. ut supra, Lugo d. 22. num. 30. Ronc. l. c. R. 1. Salm. c. 12. nu. 37. cum Aversa, Dic. et aliis communiter.* Hinc omnino monendus est Parochus qui erroneè, etsi ex ignorantia invincibili, circa mores populum instrueret. Item monendus qui bona fide putaret se sacerdotem cum non esset, ob sacramenta quæ invalidè conferret. Item ignorans nullitatem Matrimonii, si de illa publica sit fama. Item bene addunt *Salm. n. 40. cum Busemb. ex Lugo d. 22. n. 3.* (cujus doctrinam uti saluberrimam Confessariis sequendam proponit Pontifex in Bulla mox citanda) Confessarium debere admonere Episcopos, Prælatos, Principes, Governatores, Confessarios, et similes, qui ex ignorantia invincibili perperam se gerunt circa collationem Beneficiorum, electionem Ministrorum, subditorum gubernium, largitionem eleemosynarum de superfluis Beneficiorum, administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etc. Ratio, quia raro contingit hujusmodi ignorantiam esse inculpabilem, vel non esse perniciosam aliis, qui facile licita sibi putant quæ à superioribus fieri observant. Imo bene advertit N. SS. P. Benedictus XIV. in sua Bulla Apostolica. edita 26.

Jun. 1749 (in *Bullar. t. 3. n. XIX. §. 20.*), monendum esse pœnitentem, « si in iis versetur facti circumstantiis, quæ Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non » sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ » ab iis, qui Ecclesie Sacramenta frequentant, impunè exerceri » animadvertit. » Præterea bene addit *Lugo*, quòd si Confessarius rationabiliter dubitat, an hujusmodi pœnitentes suo debito satisfaciant, tenetur eos de illo interrogare.

616. — Excipiendum II. si pœnitens interroget, tunc enim Confessarius tenetur detegere veritatem, nec potest dissimulare; quia, cum ille jam incœperit laborare ignorantia vincibili, dissimulatio Confessarii esset erroris approbatio; ita *Suar. d. 32. sect. 4. n. 2 et 3. Laym. c. 13. n. 6. Pal. n. 10. Lugo d. 22. n. 29. Salm. c. 12. n. 36.* et alii communiter cum *Sanch. D. 38. n. 14.* qui excipit, si pœnitens non interrogaret cum dubio, sed ex scrupulo; quia tunc (ut ait), dissimulante Confessario, ille etiam remaneret in bona fide. Sed hoc meritò non admittunt *Lugo*, et *Salm. ll. cit. cum Soto, Led. Lop. etc.* quia stante interrogatione facta, pœnitens faciet postea auctoritate Confessarii, quod antea faciebat ex ignorantia. Rectè verò dicunt *Sanchez. n. 8. Suar. Laym. et Sporer ll. cit.* quòd cum pœnitens interrogat, Confessarius non plus respondere debet quàm ab ipso interrogat: ex. gr. si quis obstrictus voto castitatis interroget, an Matrimonium propter votum fuerit invalidum, et an teneatur uxori reddere debitum, Confessarius affirmet utrumque, tacens de obligatione non petendi, etiamsi noverit Matrimonium ob aliud quod impedimentum dirimens esse nullum.

Excipiendum III. si pœnitens brevi sit monitioni obsecutus, quamvis in principio non acquiescat; sic enim sapienter loquitur *Laym. c. 13. n. 5. in fine*: « Confessarius considerare debet quantum et quàm diuturnum incommodum ex monitione timeatur; fieri enim quandoque solet, ut pœnitens initio conturbatus animo salutarem monitionem respuat, postea verò mente sedata eandem cum fructu recipiat. » Imò dicit *Lugo D. 22. n. 39. cum Adriano, Med. Cano, et Corduba*, monendum esse pœnitentem, etiamsi scandalum sit passurus, quando scandalum quod timetur brevi mansurum putatur, et spes sit quòd monitio postea brevi habebit effectum suum. Sed hoc melius intelligendum locum habere, prout tradit Benedictus XIV in præfata Bulla Apostolica l. c. casu quo, ut ait, « dissimulante Confessario, peccator in pravo opere obfirmaretur cum scandalo » aliorum; vel quando quis in proxima peccati occasione versatur, » sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus ac » morosis delectationibus assentiri consuevit. »

Utrum autem facienda sit monitio in dubio, an sit profutura vel obfutura? Resp. si non timetur de damno, omnino quidem fieri debet; si verò dubitatur tam de damno, quàm de fructu secuturo, tunc Confessarius pensare debet damnum et utile, item gradum timoris damni, ac spei utilitatis, et eligere id quod judicat

præponderare; ita *Lugo d. 12. n. 31. et Salm. c. 12. n. 39. cum Dicast. et Aversa*. Cæterum in dubio regulariter mihi videtur dicendum, quod mala formalia potius vitanda sint quam materialia. Hinc loquens *P. Concina* de correctione fraterna (in tract. de Eleemos. c. 3. n. 9.), dicit, quod in dubio, an correctio sit profutura vel nocitura, omitti debeat, quia (ut ait) imprudenter agit qui dubius operationi morali se committit.

617. — « Resp. 2. Ut Confessarius licite hoc Sacramentum administret, debet esse in gratia, alioqui peccabit mortaliter » ( Vide dicta n. 31. ) ; item debet esse talis, ut per hoc non exponatur proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior constat ex dictis de Sacramentis in genere. An verò audient plures una quasi vice in mortali tot numero peccata committat, alii negant, ut *Rod.*; alii affirmant, ut *Bon. hic.* ( Vide dicta Tom. 4. l. 5. n. 50. v. Qu. 6. ubi id omnino negatur. ) Pars posterior patet.

Unde resolvitur hic Casus:

« Confessor conscius sibi peccati mortalis tenetur, antequam audiat, vel saltem absolvat pœnitentem » ( Vide dicta de hoc lib. 6. n. 36. ) ; ipse confiteri, vel conteri de suo peccato. Si tamen vocatus improvisò ad moribundum recolligere se tam subito non possit ad contritionem eliciendam, vel bona fide putet se elicuisse, non peccat absolvendo. *Præpos. Lugo, Tamb. l. 3. c. 2. §. 3.* ( Vide dicta n. 33. )

618. — « Resp. 3. Si malè absolvit, committendo defectum essentialem, v. g. si non protulit formam, vel absolvit à reservationis non subditum, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scandalo, infamia, fractione sigilli, et nocumento suo possit: sin minus, non tenetur. Si non absolvit à censura, potest ab eadem ( si, vel quando habuerit potestatem ) absolute absentem. » ( Vide dicenda de Censur. num. 117. ) *Bonac. de Cens. in comm. d. 1. q. 3. p. 6. ex Suar. Fill. t. 11. c. 10. qu. 6. Reg. Nav. Rodr.*

« Si non interrogavit sufficienter numerum, speciem, vel alias circumstantias, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad pœnitentiam agendam; monere enim extra Confessionem non debet, cum iudicium sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idem pœnitens, debet moneri de defectu commisso, quia alioqui hæc confessio non erit integra, cum quædam non sit debite confessus.

« Dixi, si non interrogavit: quia si positivè dixit, non teneri confiteri numerum, speciem, etc. debet monere, si sine gravi scandalo et detrimento potest; quia est causa, quod alter præceptum grave, scilicet confitendi illa peccata, violet. *Lugo d. 22. sect. 3.*

« Si neglexit monere de restitutione, moneat, siquidem commode potest, ( vel in confessione, vel extra, obtenta prius ab ipso venia; ea verò negata, ad nihil ultra teneri docet *Tamb.*

» *l. 3. c. 8. Sanch contra Suar.* ) quia tenetur ex caritate: si non commode potest. Deo commendat. *Laym. l. 5. t. 6. c. 9. Henr. Suar. Sylo. Mercer. in 3. p. q. 9. art. 1. Dian. p. 4. R. 198. et p. 1. t. 4. R. 109.* Quod si tamen ( ex gravi, seu mortali culpa contra jus alterius ) dixisset, eum non teneri ad restitutionem, vel aliter ( v. g. opinionem falsam persuadendo ) esset causa efficax, cur non restituat, vel aliunde detrimentum accipiat ipse, vel alius; tenetur ipsemet restituere, nisi moneat tempestivè, priusquam pœnitens fiat impotens; quia actione sua fuit injusta causa damni. Si verò sine gravi culpa id fecit, tenetur nihilominus monere pœnitentem, si commode potest; alioqui ipse obligatur, sicut casu priorè. Si non commode potest, excusabitur. *V. Suar. Con. d. 8. d. 77. Bon. Dian. t. 2. m. R. 1. Lugo d. 22. s. 3. n. 61. et supra l. 3. t. 5. c. 2. d. 1. art. 2. cas. 12.*

619. — Hic distinguere oportet plura dubia, quæ hoc punctum concernunt. Dubitatur 1. Ad quid tenetur Confessarius, si erravit circa valorem Sacramenti? Si erravit sine culpa, conveniunt omnes non teneri cum gravi incommodo famæ vel honoris monere pœnitentem de errore; ita *Lugo d. 22. n. 58. Salm. cap. 12. n. 56. Sporer p. 274. num. 803. Viva. q. 8. art. 5. n. 10. Elbel p. 332. n. 437.* et alii passim. Ratio, quia tunc Confessarius tenetur ad monitionem tantum ex caritate, quæ non obligat cum gravi incommodo. Hoc tamen valet pro Confessario delegato; aliter enim videtur dicendum de Parocho, juxta dicta *Tom. 1. l. 2. n. 40. v. Strictius*, eò quod Parochus tenetur ex justitia reparare grave damnum spirituale subditorum. Rectè autem addunt præfati AA. quemcumque Confessarium teneri advertere pœnitentem de nullitate absolutionis ei collatæ, si ille sit in articulo mortis, vel in gravi periculo non ampliùs se confitendi. Sed quid, si Confessarius cum culpa gravi erravit circa valorem Sacramenti, an tunc teneatur monere cum gravi suo damno? Prima sententia negat, et hanc tenent *Bonac. q. 7. p. ult. n. 4. Suar. d. 32. sect. 6 et 7. cum S. Anton. Syloest. Nav. et Cord. et probabilem censent Salmant. c. 12. n. 56. cum Vasq. Hurt. Aversa, etc.* Ratio, tum quia tale præceptum non videtur obligare cum tanto dispendio; tum quia, sicut ipse pœnitens non teneretur cum tanto incommodo sua peccata confiteri si monitus esset; ita nec Confessarius. Excipit tamen *P. Suarez*, si Confessarius deceperit pœnitentem, relinquendo illum in occasione proxima peccandi. Secunda verò sententia, quam sequimur, affirmat, et hanc tenent *Lugo, Viva, Spor. et Elb. l. cc. item Tamb. Meth. Conf. l. 3. c. 8. n. 5. ac Leand. ap. Salm. ioc. cit.* Ratio, quia, licet Confessarius ex caritate onus susceperit audiendi Confessionem pœnitentis, tamen, postquam audivit, tenetur ex officio, et ex quasi contractu cum pœnitente invito ritè ipsi ministrare Sacramentum; unde, si invalidè ministraverit ex sua culpa, tenetur utique etiam cum gravi suo damno ( petita licentia ) illum de errore monere; et sic respondetur primæ

ratiōi oppositæ. Respondetur item secundæ, quòd pœnitens, si monitus esset, posset sine Confessione aliter sibi providere eligendo actum contritionis; at Confessarius non potest ipsum inscium relinquere in tanto gravi suo damno carentiæ gratiæ Sacramentalis. Diximus, *petita licentia*, nam probabilius (contra alios) dicunt *Coninck, Bon. et Sporer. ap. Croix l. 6. p. 2. n. 1785*, quòd si ex monitione gravis sequeretur offensio pœnitentis, non tenetur tunc Confessarius, nec potest monere, quia sigillum læderetur juxta dicenda n. 622. Item probabile videtur cum AA. primæ sententiæ, quòd si pœnitens iterum alteri confessus fuerit, tunc non tenetur Confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate primæ Confessionis. Ratio, quia tunc jam moraliter certò pœnitens supponitur justificatus; et ideo sicut ille non tenetur cum gravi dispendio procurare integritatem Confessionis, ita nec Confessarius. Et idem potest dici, si pœnitens Eucharistiam deinde susceperit, quia (ut diximus de *Sacram. in genere n. 6. cum D. Thoma*, et aliis communiter) Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta, per accidens primam gratiam confert.

620. — Dubitatur II. Quid si error non fuerit circa valorem, sed circa integritatem Confessionis, nempe si Confessarius neglexerit interrogare de speciebus, et numero peccatorum? Respond. : Si Confessarius in hoc negativè se habuit non interrogando, tunc non tenetur monere de errore, nisi intra Confessionem, ut cum *Busemb. dicunt Lugo d. 22. n. 75. Sporer n. 804. item Suar. et Arriaga apud Croix n. 1779*. Et hoc etiamsi Confessarius culpabiliter interrogare neglexerit. Ratio, quia obligatio faciendi Confessionem integrè directè afficit pœnitentem, non Confessarium; unde, licet Confessarius teneatur intra Confessionem interrogare pœnitentem de speciebus, et numero peccatorum, ut efformet iudicium de statu causæ et pœnitentis, finito tamen iudicio, cessat in Confessario huiusmodi obligatio. Si verò ipse positivè induxit pœnitentem, ne explicaret ille species sive numerum, tunc, si cum culpa gravi id fecerit, tenetur etiam extra Confessionem cum licentia pœnitentis eum monere de errore, sed sine scandalo, et sine gravi suo damno; ut bene aiunt *Lugo n. 73. et Sporer l. c.*; nam sicut grave damnum excusat pœnitentem ab integritate Confessionis, ita etiam Confessarium. Quòd si Confessarius in hoc non graviter peccaverit, tunc multò minor causa sufficit ad eum excusandum à monitione faciendâ. Hinc rectè aiunt *Lugo l. c. Tamb. l. 3. c. 8. n. 3. cum Fill. ac Suar. Arriaga apud Croix dict. n. 1779*, quòd Confessarius, qui bona fide deobligavit pœnitentem ab explicanda specie sive numero, regulariter non tenetur admonere extra Confessionem, quia regulariter (dico semper) sine incommodo et rubore id tacere non potest.

621. — Dubitatur III. Ad quid tenetur Confessarius, si positivè deobligavit, vel non monuerit pœnitentem de restitutione faciendâ? Respondetur: Si illum positivè deobligavit cum sua

culpa gravi, omnes dicunt teneri ad monitionem, etiam cum gravi incommodo, vel intra Confessionem, si pœnitens brevi ad confitendum redeat; vel extra petendo licentiam, si non redeat. Aliàs non monendo, vel monendo postquam pœnitens factus sit impotens, tenebitur ipse Confessarius ad restitutionem; casu quo (intelligendum) pœnitens jam restituisset, si fuisset monitus. Ita communiter *Lugo d. 22. n. 61. Pal. p. 18. §. 3. n. 6. Bonac. de Restit. q. 7. p. 4. §. ult. n. 22. Viva de Pœn. q. 8. a. 5. n. 10. Elbel p. 233. n. 439. Sporer p. 274. n. 805. et Salm. c. 12. n. 50. cum Gran. Gabr. Bonasp. et aliis passim*. Ratio, quia Confessarius suo injusto consilio jam fuit causa damni. Si verò sine culpa gravi pœnitentem deobligavit, non tenetur jam cum gravi suo incommodo illum de restitutione monere; tenetur verò, si commodè potest, ut dicunt *Salm. n. 51. cum Aversa, et Dicast.* Imò tenetur etiam cum aliquali suo incommodo, ut rectè aiunt *Lugo numer. 66. et Elbel, Viva, ac Sporer il. cc.* quia ex caritate quisque tenetur cum levi incommodo reparare grave damnum proximi.

An autem Confessarius, si tunc omittat monere, cum possit sine gravi suo incommodo, teneatur ipse ad restitutionem? Negat *Sanch. Cons. l. 1. c. 3. dub. 5. n. 2.* eò quòd Confessarius (ut ait) tunc non tenetur ex iustitia monere, cum non sit causa positiva damni, sed tantum negativa, tacendo scilicet manifestari pœnitenti ejus cognitam obligationem; tenetur ergo ad monendum tantum ex caritate, quæ non obligat ad restitutionem. Et consentit huic opinioni *Cajetanus v. Restitutio c. 7. in fine*, ubi sic dicit: « Si data opera (Confessarius) docuit falsa, putans esse » vera, non tenetur lege iustitiæ. » Et idem ait *Nao. ap. Sanch. l. c.* Sed communis et veriùs affirmant *Lugo n. 63. Sporer, Elbel, Viva il. cc. et Salm. n. 51. cum Aversa, Dicast. etc.* item *Aragon. et Salon. apud Sanchez*. Ratio, quia, licet Confessarius sine culpa saltem gravi pœnitentem deobligaverit à restitutione debita, tamen, cum suum consilium pergat influere in damnum creditoris, cognito errore, tenetur ipse ex iustitia causam damni auferre, si commodè potest, aliàs obligatur restituere, cum hic et nunc ipse sit causa damni, prout si quis sine culpa gravi accendit ignem in segetem alienam, tenetur postea (si commodè potest) ex iustitia illum extinguere. Vide dicta *Tom. 3. l. 3. n. 994.* Bene autem advertunt *Busemb.* ut supra, *Lugo n. 64. et Bonac. l. c.* quòd cum Confessarius jam monuerit pœnitentem, priusquam ille fieri impotens, tunc ad nihil tenetur, etiamsi culpabiliter antea eum deobligaverit à restitutione; quia consilium tunc solum influebat ex auctoritate Confessarii, unde, revocato consilio, cessat sua auctoritas influere.

Sed quid si pœnitens tempore Confessionis erat dispositus ad restitutionem, si monitus fuisset, et postea, mutato animo, nollet monitus restituere cum posset? *Antoine, pag. 544. qu. 10. R. 2.* dicit quòd tunc Confessarius ad nihil tenetur, quia tunc Confessarius sua monitione jam aufert causam damni, et ideo si pœnitens non restituit, id ex ejus malitia provenit. Sed meritò sapien-

tissimus *Lug. d. n. 64*, non excusat Confessarium eo casu à restitutione: ratio, quia, esto is qui auctoritative dat pravum consilium, revocato consilio, ad nihil amplius teneatur, ut communiter docent DD. *Tom. 2. lib. 3. n. 559*. hoc tamen procedit, quando damnum non est adhuc factum; non verò cum ex consilio damnum est jam illatum alteri. Quando autem Confessarius positivè, et culpabiliter deobligat pœnitentem dispositum ad restituendum, tunc ipse est causa, ut actu damnum creditori inferatur, cum alias si non deobligaret, jam actu fieret restitutio. Unde, si damnum jam actu inferatur, Confessarius, etiamsi postea quærat inducere pœnitentem ad restituendum, si ille renuat, non excusabitur ipse à restitutione, cum ipse fuerit causa damni illati.

Hoc, si Confessarius positivè restitutionem impedit. Si verò negativè se habuit, negligendo monere pœnitentem de restitutione tunc distinguendum: Si inculpabiliter id egerit, non tenetur quidem cum gravi suo incommodo monere pœnitentem; sed tenetur cum aliquo, ut diximus, quia caritas obligat quemquam ad reparandum cum levi suo incommodo grave nocentem proximi. Et in hoc advertit *Lugo d. 63. incommodum mensurandum esse respectivè ad damnum*; quod si sit gravissimum, aderit fortè obligatio illud reparandi etiam cum notabili incommodo. Si verò Confessarius culpabiliter neglexit monere de restitutione, meritò dicunt *Lugo, Elbel, II. cc. teneri cum majori suo incommodo ad monitionem faciendam*. An autem omittendo hanc monitionem, teneatur ipse restituere? Si inculpabiliter omittit, conveniunt omnes ad nihil teneri. Sed dubium est, si culpabiliter omittat, an teneatur ad restitutionem? *Prima sententia absolute affirmat, et hanc tenent Nao. t. 17. n. 22. Fill. tr. 32. c. 3. q. 12. n. 79. item P. Nao. Mol. Sayr. Med. Arag. etc. apud Bon. de Rest. d. 1. q. 2. p. 11. n. 15*. Quia (ut aiunt) Confessarius ex officio tenetur pœnitentem docere de sua obligatione, alias non docendo, ipse est causa damni. *Secunda sententia, quam tenent Less. l. 2. c. 13. n. 77 et 78. et Antoin. p. 544. q. 10. R. 3* censet Confessarium delegatum non teneri: teneri verò Parochum, quia Parochus ex officio obligatur impedire, ne sui subditi damnum aliis inferant. *Tertia verò sententia communissima, quam tenent Suar. d. 22. sect. 6. n. 9. Pal. p. 1. 8. §. 3. n. 6. Sanch. Dec. l. 1. c. 6. n. 5. l. 2. c. 11. n. 23. Cabass. l. 6. c. 13. n. 11. Azor. 3. p. l. 4. c. 16. q. 3. Elbel n. 440. Salm. de Pœnit. c. 12. n. 52. Croix n. 1781. cum Vasq. Dian. p. 1. tr. 1. R. 1. Bon. l. c. cum Sa. Valent. et Reg. Lugo d. 22. n. 67. cum Conc. Maldero, et communi (ac probabilem putat ipse Less. l. c.), docet Confessarium, sive delegatum sive Parochum, non teneri ad restitutionem. Ratio, quia delegatus tenetur ad monitionem ex sola caritate, quæ non obligat ad restitutionem. Parochus autem, cum ipse sit constitutus tantum pro bono spirituali subditorum, tenetur quidem ex suo munere damna ipsorum spiritualia impedire, non autem temporalia aliorum. Et hoc verius pato dicendum (quidquid confuse dicat *Croix l. c.*), etiamsi*

Confessarius studiosè negligat monere pœnitentem, ut ipse non restituat; quia adhuc tunc deest positivus influxus in damnum aliorum, qui omnino requiritur ad obligationem restitutionis. ut fatetur idem *Croix l. 3. p. 2. n. 148*. et communiter docent DD. juxta dicta *Tom. 2. l. 3. n. 584*.

622. — Dubitatur IV. an Confessarius possit loqui extra Confessionem cum pœnitente de defectu commisso in Confessione, sine ipsius licentia? *Prima sententia dicit non solum posse, sed etiam teneri, et hanc tuentur Suar. d. 33. sect. 5. n. 3. Petroc. t. 4. p. 96. n. 3. Spor. n. 822. et Fill. Turr. Hurt. Meratius, Lohn, etc. apud Croix n. 1776. et probabilem putant Laym. c. 14. n. 15. Pal. p. 18. §. 3. n. 6. Escob. l. 16. n. 675. Bon. p. 15. §. ult. n. 21. et Salm. c. 14. n. 44*. Ratio, quia talis monitio supplet, et perficit eandem Confessionem inchoatam, quæ imperfecta manserat; unde, etiamsi pœnitens licentiam negaret, poterit Confessarius ei manifestare defectum, cum esset tunc ille irrationabiliter invitus. *Secunda verò sententia cui subscribo, id negat, eamque tenent Sanch. de Matr. l. 3. dist. 16. n. 3. Lugo dist. 23. n. 139.* (qui ait contrariam repugnare communi sensui Theologorum) et probabiliorem censent *Croix, Pal. Escob. II. cc. cum Soto, Vict. Fagn. Rodr. Philarc. et Salm. ib. cum Sylvia, Val. Bonac. Reg. Aversa, Gab. Megala, Graff. et Dian.* Ratio potissima, quia, licet monitio illa fiat ad reparandum defectum præteritæ Confessionis, attamen, cum non sit cum illa conjuncta, et judicium jam fuerit completum, evadit illicita, eo quod esset quædam peccati exprobratio, et ideo odiosam Confessionem redderet. Hoc tamen intelligendum, si Confessarius judicium jam perfecit, absolutionem impertiendo; nam si non absolverit, vel quia oblitus fuerit absolutionem dare, vel quia eam malè protulerit, tunc valde probabiliter dicit *Croix dicto n. 1776. cum Stoz, et Arriaga, bene posse Confessarium, non petita licentia, dicere pœnitenti eum non absolvisse; tunc enim revera nulla intervenit peccati exprobratio*.

625. — Quæ et quanta sit obligatio Confessarii audiendi pœnitentes?

« Respondetur 1. Quivis Sacerdos etiam simplex, quando non est alius paratus tenetur in extrema necessitate, v. g. in periculo mortis, audire et absolvere volentem confiteri. Ratio est lex caritatis. »

« Resp. 2. Parochus, et quivis Sacerdos curatus tenetur audire confessionem sui subditi, non tantum in casu necessitatis, aut præcepto confessionis urgente, sed etiam, saltem per se, vel alium, quoties pœnitens id rationabiliter petit; v. g. si sit in gravi aliqua difficultate spirituali, vel velit promereri Jubilæum, etc. quia tenetur ejus bonum spirituale promovere. *Suar. Vasq. Lugo, etc.* Si tamen nimis frequenter, vel intempèstivè peteret, excusaretur. *Avers. q. 16. sect. 11.* Quòd si etiam semel tantum, vel bis negaret, aut differret, non peccaturum graviter, ob levitatem materiæ, docet *Suar. contra Bon. Admittitque*



» *Aversa l. c.* si non petat ex urgenti occasione, v. g. solemnibus festis, etc. ( *Vide dicta hoc lib. 6. n. 58.* ) »

» Resp. 3. Quotiescumque pœnitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri illum audire, contra *Sylo. Reg. etc.* » docent *Azor. Suar. Con. Bon. Molf. Lugo etc.* Sed rectè limitat *Avers. l. c.* si non adsint alii Confessarii delegati, et » Parochus non legitime impediatur.

» Resp. 4. Reliqui Sacerdotes, per se loquendo, non tenentur » audire confessiones; si tamen cœperint, tenentur absolvere, nisi » quid obstat, neque possunt remittere ad alium: quia pœnitens » eo ipso habet jus ad absolutionem, nec potest fructu, et gratia » Sacramenti privari. *Avers. loc. cit.* »

624. — Rogatur I. An Confessarius non Parochus teneatur cum periculo vitæ absolvere moribundum existentem in mortali? Prima sententia negat teneri, et hanc defendunt *Nav. Man. c. 24. n. 9. Coninch. 25. n. 89. item Soto, Mald. et Sa, ap. Lugo d. 22. n. 12.* qui probabilem putat. Ratio, quia dum proximus potest absolute à periculo damnationis se liberare, eliciendo actum contritionis, non est in tanta necessitate, ut alter teneatur ei succurrere cum periculo vitæ. Limitat verò *Coninch. l. c.* si talis infirmus sit in extrema necessitate, nempe si ignoret contritionem esse sibi necessariam, vel nesciat eam elicere: quod revera censeo in rudibus ut plurimum accidere. Secunda tamen sententia, quæ mihi magis arridet, affirmat, eamque tenent *Suar. d. 9. sect. 2. n. 3. et d. 32. sect. 7. n. 1. Tourn. p. 282. et Valent. ac Lorca ap. Lugo n. 12.* Ratio, quia esto in rigore loquendo posset moribundus per contritionem sibi providere, tamen non potest negari, quòd magno periculo exponatur ille suæ æternæ salutis, si absque absolutione relinquatur; et sicut cum certa est damnatio proximi si non absolvatur, teneris certam mortem subire, ita dico, cum proximus est in probabili periculo damnationis, teneris ei subvenire cum probabili periculo mortis, ex lege caritatis, quæ obligat in pari periculo exponere vitam temporalem ad salvandam vitam proximi spiritualem. Si tamen Sacerdos nesciat, eum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitæ, ut dicunt *Tolet. et Verricel. apud Tourn.* qui non reprobant.

625. — Rogatur II. An simplex Sacerdos, qui degit in Oppido ubi talis esset penuria Confessariorum, ut incolæ gravi laborarent necessitate spirituali, utrum hic tutus sit in conscientia, si negligat Confessiones excipere, vel, cum possit, ad eas excipiendas se habilem reddere? Apud nullum auctorem de re moral tractantem hoc dubium inveni discussum, tantùm ad manus mihi pervenit quidam libellus, cui titulus ( *Parroco de Villa p. 308.* ) et cujus auctoris doctrinam ac pietatem varia ejus Opuscula satis comprobant; ubi hæc habentur: *Chi ha talento per Confessare, e vede nella sua terra la mancanza della Confessione, e conosce o che non si frequenta, o si strapazza, è tenuto ad amministrare tal Sacramento; e se non è d'età molto avanzata, è tenuto in coscienza ad abilitarsi al meglio che può.* Assert idem auctor

auctoritatem Patris Pavone Societatis JESU, viri admodum docti et pii, qui in suis operibus sic scripsit: *L'obbligo come Sacerdote è di ubbidire al mio Prelato, quando mi comanda che confessi, e non ho legittimo impedimento, perchè il Preiato quò comandarmi, ed io non ho ragione di tener ozioso il talento... Di più ho obbligo di offerirmi al Vescovo, e di chiederli facoltà di confessare, quando io mi accorgo essere in grave bisogno il popolo per mancamento de' Confessori.*

Breviter dicam super hoc puncto quid sentiam. Certum est, quòd Sacerdotes sunt à Deo constituti, ut salutem animarum incumberent; sicut enim divinus Pater misit Filium suum, ut salvaretur mundus per ipsum, ita Christus Dominus misit Sacerdotes, ut in suum Officium succederent, et pro eo legatione fungerentur, ut ait Apostolus *1. Cor. 3* et ipse Christus Dominus ( *Joan. 20. 21.* ): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Ideo Concilium Trident. sess. 23. c. 14. requirit, ut promovendi ad Presbyteratum, « ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessariam » est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta... idonei com- » prebentur. » Præcipua autem Sacerdotum obligatio est ministrare Eucharistiæ et Pœnitentiæ Sacramenta, ad hoc enim sacrificandi et absolvendi à peccatis confertur eis duplex potestas. Imò specialiter ad hoc munus absolvendi Christus Dominus Spiritum sanctum infudit, ut ipse testatus fuit *loc. cit.* dicens: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, in- » sufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum » remiseritis peccata, remittuntur eis. » Ergo, si Christus misit Sacerdotes præcipuè ad salvandas animas, absolvendo eas à peccatis, sequitur hoc esse proprium Sacerdotum munus, ac consequenter ipsos teneri saltem in gravi populorum necessitate suam potestatem exercere, et ad hoc se habiles reddere, ne dicatur, quòd in vacuum gratiam Dei receperint ( *2. Cor. 6.* ). His positis, non video quomodo Sacerdotes illi, qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt, possint esse tuti in conscientia, et excusari ab exprobratione Domini, ac à supplicio damnationis inflicto servo illi otioso qui talentum abscondit, ut habetur *Matth. 25. 18.* quem textum Interpretes ( ut *Cornelius à Lapide, Calmet et Tiranus, cum S. Ambrosio* ) propriè explicant de eis, qui possunt sua opera procurare animarum salutem, et negligunt: « Notent » hoc ( ait *Cornelius* ) qui ingenio, doctrina, aliisque dotibus » sibi à Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem, ob » desidiam, vel metum peccandi: ab his enim rationem repositet » Christus in die Judicii. » Nec dicant hujusmodi Sacerdotes satis suam obligationem explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando, quin Sacramentum Confessionis ministrent; nam illis tenentur subvenire in eo, quo indigent ad propriam salutem. Si enim proximus indiget cibo, in cibo debes ei subvenire, non in vestibus. Sæpe autem accidit in Oppidulis, quòd plures fortè non egeant instructione, aut monitione, quia fortè jam sunt satis instructi et parati ad Confessionem;

sed deest ipsis Sacerdos, qui eorum Confessiones excipiat. Nec valet dicere, quod Sacerdos simplex, si teneretur Confessiones excipere, teneretur tantum ex caritate, sed hæc non obligat cum gravi incommodo, prout esset labor insumendus ad acquirendam scientiam satis necessariam ad excipiendas Confessiones. Nam respondetur, quod licet exercitium Confessiones excipiendi sit opus caritatis, tamen non oritur ex simplici motivo caritatis, sed ex proprio Sacerdotis Officio, cui ex Christi institutione hæc obligatio est annexa, eique satisfacere debet Sacerdos, quando urget populi necessitas. Hæc mihi dicenda videntur: cæterum sapientiorum iudicio ea sedulius consideranda relinquo.

## DUBIUM VI.

## Quæ scientia et prudentia requiratur in Confessario.

626. De obligatione intelligendi peccata pœnitentis. — 627. De Scientia Confessarii ad debitum iudicium formandum de peccatis? — 628. Quando excusetur Confessarius minus idoneus? An Regulares teneantur intervenire Congregationibus casuum conscientiarum? *ibid. v. Nota.* — 629. De prudentia Confessarii circa interrogationes: et de obligatione interrogandi quoad peccata ommissa? — 650. Quid si ei constet peccatum, quod pœnitens negat? Et quid si illud sciat ex Confessione complicitis? — 651. Hæc diligentius discutiuntur. — 652. De interrogationibus in materia castitatis.

626. — « **RESP. I.** Ut Sacerdos ritè absolvat, debet, quantum moraliter fieri potest, omnia peccata pœnitentis intelligere, quia alioqui is frustra teneretur recensere. »

Unde resolves:

« 1. Peccat, qui absolvit eum, cujus peccata per negligentiam non satis intellexit, quia fert sententiam, incognita causa. Validam nihilominus esse absolutionem, sive propter somnum, etc. ut dictum supra *c. 1. dub. 3. ar. 4.* sive propter cantum, vel linguam impeditam pœnitentis (sine hujus tamen culpa) aliqua non intellexerit, docet *Dian. 3. p. t. 4. R. 109. et p. 4. t. 4. R. 198.* Item *Laym. l. 5. t. 6. c. 9. ex Henr. Suar. Sylo. Merc. in 3. p. eò quod essentia et effectus Sacramenti consistere possit absque integra et specifica peccatorum explicatione, si sine culpa pœnitentis omittantur. V. Dian. l. c.*

« 2. Si tamen pœnitens post confessionem intelligat, unum, vel plura mortalia non fuisse intellecta, debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud eundem, sive apud alium Confessarium. *Laym. Dian. ll. cc.*

« 3. Confessarius absolvens ex ignorantia, quem absolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirum ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant, et indebitè absolvendo. *Tann. in t. 2. p. d. 4. q. 9. d. 1. n. 12. Lugo d. 16. s. 4. n. 185.*

627. — « **Resp. 2.** Ut Confessarius validè absolvat requiritur

» et sufficit cognoscere peccata, saltem sub confusa ratione peccati. Ut verò licitè, requiritur ea scientia, ut possit ferre prudens iudicium in hoc foro; ideoque debet scire 1. quæ sint mortalia, quæ venialia, saltem ex genere suo. \*) *Nota hinc ex Lugo d. 22. n. 70. Spor. n. 783. Holzm. n. 727. et Salm. de Pœnit. c. 12. n. 4. cum Gran.* non esse necessarium, ut Confessarius in omnibus iudicet, quæ sint peccata gravia, vel levia; sufficit, si sciat hoc iudicare in iis quæ communiter occurrunt: reliqua autem audiat, et absolvat. *Insuper docent Salm. l. c. cum Suar. Sanch. Dic. Con. etc.* quod licet in aliquo casu Confessarius non discernat, quæ sint gravia, aut levia: si pœnitens bona fide dicit peccatum suum, Confessio valet: et quamvis postea advertatur fuisse mortale, non est cur repetatur in alia Confessione. \*) 2. Species, et circumstantias necessariò explicandas. 3. Spectantia ad restitutionem honorum, et famæ. 4. Casus reservados, et excommunicationes saltem communiore. 5. Censuras, et irregularitates communiore, pro Sacerdotibus. 6. Requisita in pœnitente ad bonam dispositionem. 7. Remedia peccatis opportuna. Circa quæ omnia notantur hæc tria.

« *Primò* sufficere, si ea sciat mediocriter, ita ut saltem norit prudenter de omnibus dubitare, et doctiores se, vel libros consulere. \*) (*Meliùs dicunt Salm. de Pœn. c. 12. n. 7. cum Suar. et communi,* satis esse, si Confessarius intelligat, quæ frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare. \*) »

« *Secundò* majorem minoremque requiri, ac sufficere scientiam pro diversitate locorum, et pœnitentium. *Bon. dist. 5. q. 7. p. 2. §. 2.*

« *Tertiò*, graviter peccare tum eum, qui sine sufficienti scientia huic muneri se ingerit, tum eum, qui talem sine necessitate constituit, aut, cum possit corrigere, tolerat. *Laym. lib. 5. c. 13. Bon. l. c. Lugo.* »

628. — Excusatur tamen Confessarius, qui caret sufficienti scientia, si adsit necessitas, nimirum si aliter pœnitentes deberent diu carere Confessione, ut evenit in captivis; Ita *Lugo d. 22. n. 74. et Salm. de Pœn. c. 12. n. 12. cum Suar. etc.* Et idem dicunt *Lugo ib. et Aversa ap. Salm. l. c.* pro parvis oppidis, aut triribus, ubi (ut aiunt), si haberi nequeunt docti Sacerdotes, deputari possunt minus docti, quales possint haberi. Admonendi tamen hi sunt de obligatione addiscendi.

Cæterum, qui ad hoc munus excipiendi Confessiones inhiant, non facile sibi suadeant, quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiæ moralis; pro qua certè non sufficit aliquam percurrere Summulam earum quæ circumferuntur; nec satis est generalia principia hujus facultatis scire, ut quidam, qui (Casuistas contemnent) Litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est Christianæ Reip. cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam est summopere difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, of-

ficiorum, et artium; tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quæ non nisi apud Casuistas allatæ inveniuntur, et maximè apud Recentiores, cum hujusmodi leges in dies prodeant; demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio: nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia: et in hoc difficilium consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione, vel plurium accurata lectione librorum, qui res examinant et dilucidant.

Nota obiter hic, quòd Episcopus non possit cogere Confessarios regulares ad interveniendum in Congregationibus Casuum conscientia, ex Decl. S. C. quam refert P. Zacharia apud Croix l. 6. p. 1520. Sed contra adest Decr. S. C. Disciplinæ respectu ad superiores regulas Italiæ datum 8 Nov. 1752, et approbatum à Benedicto XIV. (V. Append. appositam in calce To. IV Bullarii præfati Bened. XIV Vol. 12. edit. Mechl. p. 251.) ubi provisum fuit, ut in omnibus Conventionibus Regularium in quibus sunt Confessarii ab Episcopo approbati, omnino fiat Lectio, et conferentia casuum conscientia, juxta Decreta Clementis VII et ut ubi conferentia non fit, teneantur prædicti Confessarii assistere conferentiæ casuum ab Episcopo statutæ.

« 1. Si pœnitens advertat, Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere, se peccasse mortaliter.

« 2. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit suam conscientiam djudicare non posse, tenetur confessionem repetere apud peritorem: quia graviter peccaret sic confitendo.

629. — « Resp. 3. Prudentia requiritur tum in instructione, tum monitione, curatione pœnitentis, tum in interrogatione. Et quidem si prudenter judicet integrè esse confessum, v. g. quia bene instructus potest, et solet adhibere diligentiam debitam (Vel quia de brevi est confessus)°, non tenetur quidem quam interrogare, alias tenetur, ut habet communis (Dian. tamen p. 2. tr. 15. R. 7. ex Navo. et Valer. negat esse mortale, non examinare aliquam circumstantiam ex oblivione. Vide etiam C. de Lug. d. 22.): quia tanquam judex debet curare integritatem judicii, et tanquam medicus, ut morbi, et vulnera perfectè detegantur; cavendo interim 1. Ne examen sit curiosum de non necessariis, unde Confessarii existimatio, Sacramenti dignitas, et pœnitentis profectus minuatur. 2. Ne sit indiscretum, v. g. de iis, quæ moraliter certum est à tali non solere committi, vel ex quibus discat peccare pœnitens, vel de inverecundis inverecunde, vel de numero nimis anxie, si ex dictis probabiliter æstimari possit. 3. Ne sit intempestivum, et sinatur prius se explicare quantum potest, ne importunitate treareatur. Quod verò quidam monent, expedire ut pœnitens inter confitendum non interrumpatur, id C. de Lugo d. 22. n. 15. universim non probat: præsertim si confessio non sit brevis, quia facillè aliqua excidunt è memoria. (Vide dicto num. 607. in fn.)° »

Unde resolves:

« 1. Si Sacerdos advertat pœnitentem, etiam post sufficientem diligentiam, peccatum aliquod, aut circumstantiam necessariam omittere, probabilius ac verius est, per se loquendo, teneri interrogare; etsi neget Sa, v. Confessor, et Medin. docens, si diligenter examinata conscientia unius sit oblitus, non teneri Confessarium illud revocare in memoriam, nisi cedat in damnum proximi; quod Vasq. qu. 93. d. 7. num. 3. videtur dicere esse probabile: verum alii rejiciunt. V. C. de Lugo d. 22. (Et rectè quidem rejiciunt, ut tenendum cum communi sententia, quam docent Suar. d. 23. sect. 3. n. 7. Laym. c. 13. qu. 5. et Pal. p. 18. §. 2. n. 3. cum Tol. Navo. Con. Graff. Henr. et aliis ex cap. Omnis, et ex Rituali Romano allatis n. 607.)°

630. — « 2. Etsi Confessarius cui evidenter constat peccatum pœnitentis, quod tamen ipse neget, non debeat illum absolute: quando verò ex aliorum relatione, vel suspitione id habet, standum est pœnitentis confessioni, cui in hoc foro, tam pro, quam contra se fides habetur: (Suar. t. 4. d. 32. sect. 3. Fag. p. 2. l. 6. c. 4. n. 38. citati à Dian. p. 3. t. 4. R. 105.) In utroque tamen casu prudentis Confessarii est, 1. Cautè, et à longè, tum propius interrogare. 2. Si nihilominus neget, prudenter judicare, an non potuerit oblivisci, vel confessus esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excusari, ita ut debeat absolvi. Dian. l. c. ex Sylo. Navo. Tol. etc. 3. si peccatum illud norit ex confessione complicitis, non uti illa scientia nisi in genere, quærendo, an non aliud conscientiam gravet, et excitando ad majorem contritionem, ob periculum indirectæ revelationis, aut etsi complex dederit veniam, ob periculum scandali. V. Laym. c. 14.»

631. — Diligentius hic videndum, quid debeat agere Confessarius cum pœnitente, de quo sciat, vel suspicetur aliquod peccatum, quod ille non confitetur? Distinguendum, si sciat extra Confessionem, et noverit ex propria scientiâ, puta furantem aspiciendo, vel audiendo blasphemantem, sine dubio non debet absolvere, si ille negat; modo non adsit prudens dubium, an alteri fuerit confessus, vel justam habeat causam tacendi; ita communiter omnes cum Bus. Laym. c. 14. n. 35. Suar. d. 52. sect. 3. n. 9. Lugo d. 22. num. 21. Conc. p. 69. n. 23. Sporer num. 802. Mazzott. p. 431. Viva qu. 8. art. 5. num. 2. Elbel num. 454. Holz. num. 721. et alii passim. Si verò Confessarius id habet ex suspitione, vel ex aliorum relatione, dicunt etiam communiter Suar. Laym. Holz. Spor. et Mazz. li. cc. quòd post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere negantem: tunc enim putare debet quòd ille aut fuerit peccati oblitus, aut alteri confessus, vel quòd habeat justam causam reticendi, aut relatores deceptos fuisse: quia in hoc foro (ut docent omnes cum D. Thoma Quodlib. 1. a. 12.) omnino pœnitenti credendum

est tam pro se, quàm contra se. Sed non alienum à ratione mihi videtur id quòd dicit *Elbel l. c.* nempe quòd si Confessarius notitiam habeat alicujus peccati ex certa relatione aliorum, tunc non posset absolvere pœnitentem illud negantem: revera enim, si istius crimen mihi referrent testes tam graves, qui de eo me redderent moraliter certum, et ex alia parte certus essem quòd pœnitens non potuerit oblivisci, nec ullam causam reticendi habeat, tunc non audeam huic absolutionem impertiri: nam regulam illam quòd credendum sit pœnitenti, dico procedere quidem in re dubia, non verò in re moraliter certa; moralis etenim certitudo vera certitudo est.

Si autem Confessarius noverit peccatum ex Confessione alterius, tunc utique non poterit specialiter pœnitentem de illo interrogare, nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantùm poterit generatim interrogare; et hoc dico, quòd Confessarius non sit nimis in interrogationibus repetendis, quia in hoc etiam esset periculum revelationis. Ita communiter *Laym. Spor. Bus. etc.* ut supra. Non improbabiler tamen dicunt *Nao. Man. c. 8. num. 17. v. 21. cum Sylo. et Laym. Spor. ac Holzm. II. cit.* quòd si aliquid peccatum sit commune talibus personis, possit de eo speciatim interrogare, prout in sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel saltem in pravas cogitationes. An autem possit Confessarius casu quo complex se confitens neget peccatum, illum absolvere? Affirmant posse, et debere *Lug. dict. num. 21. Anacl. p. 618. n. 42. cum Gob. et Herinca, ac Dian. p. 5. tr. 11. R. 21. Elbel autem p. 14. n. 44.* censet debere absolvere sub conditione. Sed melius meo iudicio sentit *Croix num. 1969*, citans *Suar. Dic. et Ills.* quòd eo casu nullo modo absolvat, sed tantùm aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis. Et huic adhæret *Vioa l. c.* dum dicit, quòd cum Confessarius prudenter judicat pœnitentem sacrilegè negare peccatum, non debet eum absolvere.

652. — « 3. Interrogationes in materia castitatis debent esse » pauca, et cautæ, ne vel occasionem det investigandi, aut tra- » ducendi confessionem, aut ignorantem doceat, aut offendat, » aut se, vel illum periculo exponat. Ac si hæc timeat, potius » debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hæc » materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: » rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati » fatentur: quòd illas non æquè agnoscant, aut advertant. Vide » *Laymann hic cap. 13. Conin. dist. 7. dub. 7. Fagund. præc. 4.* » *l. 4. c. 2. Dian. p. 3. t. 4. R. 99.*

## CAPUT III.

## DE ADJUNCTIS PŒNITENTIÆ.

## DUBIUM I.

## Quid sit sigillum Confessionis, et qui ad illud teneantur.

653. An in hac materia sigilli liceat uti opinione probabili? — 654. Quo- modo servari debeat sigillum? — 655. Quot peccata committat qui sigillum violat? — 656. Non est obligatio sigilli ex Confessione ficta, neque ex secreto commissio extra Confessionem? — 657. I. Quid, si pœnitens discesserit indispositus? II. Quid in dubio, an dixerit aliquid intra vel in ordine ad Confessionem. — 658. In quibus casibus non frangatur sigillum? — 659. An Confessarius possit et teneatur dare pœnitenti non absoluto schedulam Confessionis factæ, vel absolutionis acceptæ? — 640. Quæ cadant sub sigillo? Cadunt. I. Peccata pœnitentis etiam venialia. II. Peccata complicitis. An liceat interrogare de complice (*Remissivè ad num. 491.*) — 641. Dub. 1. An liceat monere complicem ex licentia pœnitentis? Dub. 2. Quomodo cadit sub sigillo etiam objectum peccati? III. Cadit penitentia imposita. IV. Cadunt peccatorum circumstantiæ. An cadant virtutes, et revelationes? — 642. An cadant defectus naturales pœnitentis? — 643. Quid, si tales defectus per se pateant, nempe si pœnitens sit blæsus, surdus, etc.? — 644. Quid, si sit scrupulosus? Et quid, si Confessarius advertat intra Confessionem pœnitentem esse surdum? — 645. Qui teneantur ad sigillum? Tenetur, I. Confessarius. — 646. Quomodo debeat Confessarius respondere, si interrogetur, an audierit aliquid peccatum, vel an absolverit? — 647. II. Superior requisitus pro licentia peccati reservati. III. Interpres. IV. Qui audit Confessionem furtive aut casu, vel ex necessitate, putà in naufragio, etc. V. Is, cui sacrilegè revelatum est peccatum. VI. Confessarius fictus. VII. Doctor consultus. VIII. Scriptor Confessionis. IX. Confessionem scriptam legens. X. Juxta aliquos etiam pœnitens, sed hoc improbabiler — 648. Fusius discutitur quæstio I. An Doctor consultus à Confessario de licentia pœnitentis teneatur ad sigillum? — 649. Qu. II. An teneatur is, quem consultit pœnitens pro Confessione faciendâ? — 650. Qu. III. An qui legit Confessionem alterius scriptam? — 651. Quomodo debeat esse licentia data à pœnitente ad loquendum? Debet esse I. Expressa. II. Libera. III. Non revocata. IV. Sufficit autem, si detur voce. V. Vel si detur factò, scil. si pœnitens incipiat loqui. — 652. An Confessarius possit loqui de peccatis cum pœnitente statim post absolutionem? An possit monere pœnitentem de errore in Confessione commissio? (*Remissivè ad num. 622.*) — 653. An possit loqui intra Confessionem de auditis in aliâ? — 654. An frangat sigillum Confessarius, dicendo se audivisse in aliquo loco tale peccatum? Dub. I. An violet sigillum manifestans peccata alicujus loci? Dub. II. Quid, si dicat, Religiosum alicujus Conventus, vel Ordinis commisisse tale peccatum? — 655. An liceat uti notitia Confessionis ad externam gubernationem? Vide

sitatis validè fieri Ordinationem ab uno Episcopo, ut asserunt *Croix n. 2147. Salm. c. 4. n. 4.* cum aliis fere communiter, contra *Pal. et Avers.* Sic enim communiter dicunt fecisse Apostolos, cum Episcopus ordinabant: et sic fecisse plures Pontifices testatur *Cardenas*, et plures apud *Croix n. 2147*, ubi adest etiam decretum S. C. quo dicitur talem Ordinationem esse validam.

Ad quæsitum autem alii dicunt tres omnino requiri, et ita sentiunt *Tourn. t. 10. p. 186. et Holzm. num. 76.* item *Bellarmin. Vasq. Con. Pal. Baro.* etc. apud *Salm. c. 4. n. 6.* Sic enim scripsit *Damasus Papa in Epist. 4. contra Chorepisc.* « Quod enim Episcopi non sint, qui minus quam à tribus sint ordinati Episcopis, omnibus patet. » Alii tamen negant, ut *Sanch. S. Anton. Azor, etc. cum Salm. c. 4. n. 8.* Ratio, quia in Pontificali Rom. unus tantum Episcoporum dicitur consecrator, alii verò assistentes; in aliis enim Sacramentis unus tantum minister requiritur. Et probant ex *Can. 1. Apostolorum apud Clement.* ubi ex Decreto *Simonis Apostoli* dicitur: « Si aliquis ab uno Episcopo ordinatus fuerit, is qui ordinatus est deponatur. » Si deponendus est, ergo est vere ordinatus. Utraque sententia est probabilis, unde in praxi omnino prima sequenda est, ut patet ex *Prop. 1. damnata ab Innoc. XI.* Et ratio est, quia cum valde sit probabilis sententia (ut diximus *num. 738.*) Episcopatum esse verum Sacramentum distinctum à Presbyteratu, tenemur utique in eius Ordinatione tutiorem partem sequi ad vitandum damnum commune; nam alias Sacerdotes ab hoc Episcopo ordinati manerent dubie ordinati.

736. — « 1. Potest Episcopus extra diœcesim suis subditis conferre primam tonsuram; quia non est Ordo. *Bon.* et alii, cum *Dian. p. 4. tom. 4. R. 143.* contra *Sanch. Barbo. etc.* » Sed hoc non est certum. Quæritur igitur an Episcopus possit conferre Tonsuram in aliena Diœcesi sine licentia Episcopi loci? Negant *Sanch. Cons. l. 7. cap. 1. dub. 50. n. 2.* cum *Salzedo et Barbosa in Trid. sess. 6. c. 5. de Reform. cum Garcia, Campanile, Acunna, et Narbona.* Quia in *Trident. l. c.* vetitum est Episcopis exercere Pontificalia in aliena Diœcesi sine licentia ejus Ordinarii, et cum prima Tonsura sit Ordo ut putant, non potest conferri sine Pontificalibus. Affirmant verò cum *Busemb.* ut supra, *Bon. p. 2. num. 3. Toletus. lib. 1. c. 48. n. 7. alias c. 49. num. 4.* et *Azor. Henr. Vili. Moll. etc. ap. Baron. et Lopez, Barbat. ac Rebuff. apud Sanch. ll. cc.* Ratio, quia cum sit sententia communior et probabilior inter Theologos, quod Tonsura non sit Ordo, ideo bene potest et solet conferri privatim sine Pontificalibus, ad quod non requiritur licentia Episcopi loci.

737. — « 2. Quando dubium occurrit an Ordo sit verè collatus, v. gr. quia materia fuit dubia, iterari potest et debet sub conditione. Quando verò sunt rationes utrimque probabiles pro nullitate, et validitate, ait *Dian. p. 5. tom. 3. R. 47. ex Gran.* posse iterari sub conditione; imò debere, si sit Episcopalis, vel Sacerdotalis; v. gr. si Sacerdos, vel Episcopus non teli-

gisset vasa sacra, aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem, qui immediate tetigit patenam, sed non hostiam. Eum verò, qui non tetigit calicem et patenam, dum forma proferebatur, sed paulo post, posse quidem ad majorem animi sui quietem sub conditione iterum ordinari, non tamen esse necessarium, docet *Lugo resolut. mor. lib. 1. p. 33.* Rectè autem notat *Dian. l. c.* etiamsi quis timeat ne invalidè ordinatus sit, aut non recorderetur se tetigisse Sacra vasa, aut se non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse Ordinem, cum sola oblivio, vel timor non sufficiat ad prudens ac rationabile dubium, vel probabilitatem.

738. — Quæritur, quomodo supplendi sint defectus commissi in Ordinatione? Distinguendum: Si defectus est circa accidentalalia, nempe si defuerit unctio manuum Presbyteri initiandi, tunc quamprimum suppleri debet ab eodem Episcopo, si fieri potest: ita *Sanch. Cons. lib. 7. c. 1. dub. 13. n. 4. Elbel. n. 28. Croix. n. 2200 et 2201. ac Salm. cap. 2. n. 25. cum Soto, Trull. et Aversa.* Alias taliter ordinatus, si non curaret hujusmodi defectum suppleri, vel ante suppletionem in Ordine suscepto ministraret, peccaret graviter; non verò incurreret irregularitatem, ut rectè advertunt *Salm. l. c. et Sanch. num. 5. cum Sylo. Soto, Tamb. Ang. et Arm.* quia est irregularis qui ministrat in Ordine quem non habet; sed hic verè Ordinem habet. An autem qui ministraret ante suppletionem, quæ fieri deberet, alicujus defectus dubie essentialis circa valorem Ordinationis incurreret irregularitatem? Videtur negandum: nam qui est dubie ordinatus, non potest dici absolute non ordinatus. Notandum autem hic 1. cum *Salm. num. 26. Sanch. et Soto*, hoc non intelligi, quando defectus esset in re levi, sed tantum in gravi, nempe si defuisset unctio manuum, aut etiam addunt *Salm.* citantes *Sanch.*, si presbyterandus non protulisset verba consecrationis cum Episcopo, sed hoc non dicit *Sanch.* imò *l. c. n. 5.* tantum dicit, quod si initiandus non dixerit Canonem, talis cæremonia non esset repetenda. Notandum 2. cum *Croix n. 2200, et Aversa*, quod si defectus fuerit occultus, occulte supplendus est, ad vitandum scandalum, et turbationem aliorum.

Si verò defectus est circa essentialia, nempe circa materiam et formam, tantò magis est supplendus. Sed hæc quæres, an totum Sacramentum sit tunc supplendum? Resp. I. Si Sacramentum constet duplici materia et forma, ut in Ordinatione Sacerdotii (juxta probabilem plurium sententiam), nempe calice cum vino, ac patena cum hostia, atque impositione manuum; tunc si defectus est in parte antecedenti, nimirum in traditione calicis et patenæ, utique totum Sacramentum est iterandum, quia potestas supra corpus Christi mysticum fundatur in potestate supra corpus Christi reale; secus verò, si defectus est in parte posteriori, quia potestas ad corpus Christi verum, jam tradita est independentè à parte subsequenti. Ita *Salmantic. cap. 2. num. 31. et Croix num. 2204.* et alii passim. Resp. II. Si

tantum pars materiae fuerit, vel dubitetur an fuerit ommissa, in Ordinatione sacerdotis, et Episcopi, totum equidem Sacramentum est iterandum; hinc si tradita sit patena cum hostia, et calix sine vino, ordinatio tota repeti debet, tradendo utramque materiam ut dicit *Elbel. n. 28. et Croix n. 2005. cum Aversa*, et aliis pluribus; sic omnino tenendum juxta dicta n. 750. Dicunt autem *Salm. c. 2. n. 32.* hoc quidem tenendum in Ordinatione Presbyteratus, et Episcopatus, non autem aliorum Ordinum; quia in eis, si adest probabilitas pro valore Ordinis suscepti, non requiritur suppleri defectum, cum in Sacerdotio postea suscipiendo omnis illorum potestas recipiatur. Sed non admittendum saltem pro Ordine Diaconatus; nam in *cap. Presbyter, de Sacrament. non iterand.* loquens Pontifex de Ordinatione Diaconorum, dicit quod si impositio manuum sit ommissa, omnino sit repetenda; etsi probabile sit solam traditionem Libri esse de essentia.

739. — An autem hujusmodi defectus, tam essentialis quam accidentales, debeant suppleri tempore designato ad collationem Ordinum? *Salm. c. 4. n. 79. cum Granad. etc.* dicunt posse suppleri quocumque anni tempore. Communius vero affirmant *Croix n. 2200. et Sanch. l. c. n. 7. cum Innoc. Panorm. et Arm. ex cit. c. Presbyter*, ubi, cum fiat sermo de impositione manus in Ordinatione Presbyteri, vel Diaconi, sic dicitur: « Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum. » Mihi autem videtur sic distinguendum: Si defectus sit circa valorem Sacramenti, tunc supplendus est tempore ab Ecclesia statuto, ut censet secunda sententia, et hoc videtur non posse negari ex textu mox allato. Secus vero dicendum, si esset defectus accidentalis. Probabiliter vero dicit *Tumb. l. 7. c. 5. §. 2. nu. 13. cum Gran. et Quintanad. et Croix d. n. 2200. cum Aversa, et Gob.* et aliis universim ut asserit, quod si ob solum dubium iteretur Ordo sub conditione, vel caeremonia aliqua, poterit iterari quovis die, et a quovis Episcopo; eodemque die poterunt simul conferri Ordines tam majores quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem.

766. — « Resp. 4. Episcopus non potest ordinare, nisi subditos, vel ratione originis ( si scilicet in ejus diocesi sint nati ), vel ratione domicilii, ex voluntate istic perpetuo habitandi; vel ratione beneficium in sua diocesi existentis. *Dian. p. 8. t. 2. res. 8. Laym. Praep. etc. commun. \* ( Vel, adde, ratione familiaritatis seu famulatus, ex Trid. sess. 23. c. 9. de quo vide dicenda n. 780. Ordinandus autem non subditus sine licentia sui Ordinarii, suspenditur per annum a collatione Ordinum, ut habetur in c. Nullus, et cap. Eos qui, de Temp. Ordin. ) \* Quocumque autem horum modorum sint subditi, licite eos ordinat, ut habetur in c. Cum nullus, de tempore ordin. in 6. et ex communi, Henriq. Less. lib. 2. cap. 34. d. 19. »*

761. — Notandum autem est I. ex Trid. sess. 23. Can. 7. de

finitum esse, solos Episcopos esse ordinarios Sacramenti Ordinis ministros: Episcopus vero tantum electus et confirmatus, licet possit praebere licentiam subditis, ut ab alio Episcopo ordinetur, nequit tamen ordinare, nisi sit etiam consecratus; Episcopus autem consecratus etiam si sit degradatus, et Episcopatum renunciarit, valide ordinare potest; est commune cum *D. Th. suppl. q. 3. ar. 2. Salm. cap. 4. n. 13. 14 et 15.* Sed hic plura sunt discutienda.

762. — Quær. 1. an Pontifex possit praebere simplici Sacerdoti facultatem ad conferendos Ordines? Distingue: quod Tonsura, et Ordines minores a quolibet Sacerdote conferri possint ex commissione Pontificis, est commune cum *S. Th. Soto, Sanch. Vide Salm. c. 4. n. 19.* Negant tamen hoc communiter de Presbyteratu, tanquam de ministerio excellentissimo, qui a solo Principe Ecclesiae supremam facultatem habente, prout est Episcopus debet impetiri. Ita *S. Th. d. q. 38. ar. 1. ac Palaus, Aversa, Nunn. et Granad. cum Salmant. n. 25. contra Escob. n. 228. cum Innoc. IV, Vasq. Angl. Hurt. etc.* qui dicunt nihil ob stare, quin Papa possit simplici Sacerdoti facultatem tribuere ordinandi etiam Sacerdotes; et probant ex Concilio Antioch. *Can. 10.* ubi, postquam dictum fuit Chorepiscopos posse ordinare Subdiaconos, statim additur: « Nec Presbyterum vero, neque Diaconum aut deant ordinare, praeter conscientiam Episcopi, » id est ipso ignorante; ergo poterant ipso sciente et consentiente. Dicunt autem Chorepiscopos esse simplices Sacerdotes, in quo consentiunt *Morinus, et Thomassinus apud Tourn. t. 10. p. 204. v. Una.* Sed recte respondent idem *Tourn. p. 205. Bonac. p. 4. n. 3. et Pal. p. 14. n. 9. cum Bellarm. Conc. et Laym.* Chorepiscopos fuisse vere Episcopos, sed suffraganeos, qui non poterant ordinare sine consensu Episcopi civitatis; et probant ex eodem Concilio Antioch. *d. Can. 10.* relato a *Tournely loc. cit.* ubi ante verba supra relata dicitur: « Qui Chorepiscopi nominantur, quamvis ut Episcopi consecrati sint, etc. »

Quaestio igitur est de Diaconatu, et Subdiaconatu. Alii affirmant, ut *Croix, n. 2212. Holzm. n. 85. v. Dices. 3. cum Vasq. Tann. Henno, et Herinc. Ronc. p. 125. c. 2. q. 1. cum Diana, Pal. p. 14. n. 10. cum Victor. et Major. et Escob. n. 225. cum Rodr. Trull. Hurt. Gab. Aversa, Ang. etc.* et probant ex indulto concessio Abbatibus Cisterciensibus ab Innocentio VIII, an. 1489, cujus Bullam testantur observasse *Victor. Vasq. et Rodr. apud Frassen. tom. 12. p. 103.* qui refert verba Bullae, nimirum: « Ne Monachi pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus extra Clastrum discurrere cogantur, tibi et successoribus, ut Religiosis Subdiaconatus, et Diaconatus Ordines conferre possint, auctoritate Apostolica indulgemus. » Alii vero negant, ut *Sot. Bell. Con. et cum S. Th.* qui expressè docet 3. part. qu. 3. art. 1. ad 5. Papam non posse committere simplici Sacerdoti, ut majores Ordines conferat. Alii demum probabiliter, cum *Salm. c. 4. n. 28. Led. Gran. Avers. Suar. etc.* negant de Diaconatu

cujus ministerium est immediatè ad corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo; affirmant verò de Subdiaconatu, quia ejus munus non habet relationem tam immediatam ad Christi corpus. Neque huic obstare dicunt *Salm.* doctrinam *D. Thomæ*; nam (ut aiunt) *S. Doctor* tantum ibi exclusit Ordines majores, qui semper in Ecclesia pro sacris habitis sunt, ut inseritur ex verbis ipsius Angelici, qui loquitur de Ordinibus, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi; sed notum est (ut ostendit *Tourn. tom. 10. p. 150.* utque diximus *tom. 3. l. 3. n. 831.*) quòd Ordo Subdiaconatus non fuerit computatus inter sacros, nisi Seculo XI ab Urbano II, ut habetur in *cap. A multis, de etate, et qualitat. præfic.* neque Subdiaconatus immediatam habet relationem ad corpus Christi, ut loquitur *D. Thomas*; soli enim Sacerdotes possunt Eucharistiam conficere, soli Diaconi eam deferre, aut ministrare. De indulto autem concessio Cisterciensibus conferendi etiam Diaconatum, dabitur *Salm. n. 29.* cum pluribus aliis; vel censendum dicant, in hoc Papam secutum fuisse probabilem opinionem eorum qui dicunt in hoc bene posse Pontifices dispensare.

763. — Quær. 2. An Abbates possint conferre Tonsuram et Ordines minores aliis quàm sibi subditis Regularibus? Olim bene poterant ex privilegio eis concessio in VII Synodo, ut habetur in *cap. Quoniam, Dist. 169.* Attamen *Trid. sess. 23. c. 10* sic sancivit: « Abbatibus... non liceat in posterum... cuiquam, » qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre... non obstantibus quibusvis privilegiis... consuetudinibus, etc. » Hoc tamen Decreto non obstante, dicunt *Escob. n. 210. Sanch. Con. l. 7. c. 1. dub. 19. n. 20. cum Coö. Archid. Felin. etc. ac Salm. c. 4. n. 35. cum. Molf. Leand. et Aversa* probabilissimum esse Abbates (saltem primates qui Episcopalem habent jurisdictionem, ut limitant iidem *Sanch. n. 23. et Salm. l. c. cum Molf. Aversa, etc.* contra alios, qui cum *Escob.* omnibus Abbatibus id concedunt) posse etiam hodie Ordines minores conferre non solum sibi subditis, sed adhuc secularibus qui Litteras dimissoriales à suis Prælatiis acceperint. Admittunt verò *Salm. n. 38. cum Laym. Azor. Tamb. Leand. etc.* quòd Abbates mitrati, et ab Episcopo benedicti, vel potestatem habentes Pontificalia exercendi, ut ait *Philip. ap. Salm. n. 32.* possint ordinare seculares sibi subditos, vel alios habentes Litteras dimissorias à suis Prælatiis; quia hi ratione licentiæ suorum Prælatorum jam sunt subditi prædictorum Abbatum. Et sic testantur pluries decisum fuisse à *S. C. Barbosa, Diana,* et alii *ap. Salm. l. c.* Sed omnes istæ opiniones hodie non sunt amplius probabiles, dum in decreto *Sacr. Congr. Conc. edito 17. Januar. ann. 1642.* (quod referunt in extensum *Croix, n. 2199. et Fagn. in c. Aqua, de Consecr. Eccl. à n. 8. ad 19. et de quo etiam mentionem facit Bened. XIV de Synod. l. 2. c. 11. n. 12.*) approbante Urbano VIII, et inviolabiliter observari jubente, statutum fuit, reprobata omni contraria opinione Abbates, Benedictinos *Congr. Cassinensis* seu

alterius Congregationis, vel Ordinis, aut Instituti, habentes etiam jura Episcopalia, et facultatem Ordines minores conferendi, non posse ordinare, præter suos subditos regulares, alios sive regulares, sive seculares, etiam habentes dimissorias à suis Ordinariis. Et ibi imponitur suspensio tam ordinantibus, quàm concedentibus Dimissorias, si aliter egerint. Item hic notandum, quòd eadem *S. C. die 17. Decemb. 1718.* (ut refert idem *Bened. XIV, n. 15.*) declaraverit in quadam causa Abbatis *S. Rufilli*, quòd etiamsi constaret de territorio separato, in quo prædictus Abbas habebat jurisdictionem quasi Episcopalem, non posset concedere litteras dimissorias suis subditis, eò quòd obstabat *Trident. sess. 23. c. 10.* ubi dictum fuit: « Nec... Abbates, et » alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias... Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed harum... Ordinatio ad Episcopos, intra quorum diocesis fines existant, » pertineat. » Sunt tamen excipiendi (ut advertit præfatus *Benedict. XIV, n. 16.*) aliqui Abbates, qui ex privilegio speciali post Tridentinum obtento possunt suis subditis secularibus litteras dimissorias concedere, ut sunt Abbas *Cassinensis* ex privilegio *Sixti V,* et Abbas *Cavensis* ex privilegio *Pauli V,* et alii qui sunt adnotati in *Cancellaria Cardinalis Urbis Vicarii.*

An autem Abbates, non existentes in aliena Diocesi, sed habentes propriam et omnem jurisdictionem Episcopalem, possint dare Dimissorias suis subditis secularibus? Affirmant *ap. Croix l. 6. p. 2. num. 2234. Aversa, cum Molfes.* qui assert *Declarationem S. C. et Marchin.* qui assert *Decisionem Rotæ.* Sed *P. Zacharia ibid.* refert oppositum sancitum fuisse aliàs tam à *S. C.* quàm à *S. Rota.* Cæterum Abbates qui possunt Ordines minores conferre ex privilegio, bene etiam possunt dare Dimissorias, ut de mandato *Clement. VIII* censuit *S. C. ap. eumd. Croix l. c. n. 2236.*

764. — Hic dubitatur 1. An Abbates qui possunt suos subditos regulares, et professos ordinare, possint etiam ordinare novitios suos? Negant *Palau numer. 14. et Barbosa, Sayr. Rodr. etc. apud Escob. n. 211,* quia novitii non possunt dici proprie regulares et subditi, dum ad seculum liberè possunt redire. Sed probabilius affirmant *Laym. c. 9. nu. 2. Sanch. Dec. l. 6. c. 10. n. 22. Escob. num. 213. cum Suar. et Salm. c. 4. n. 39. cum Leand. et Pelliz. et probabile putat Croix mun. 2199,* quia nomine Regularium in favorabilibus veniunt etiam novitii.

765. — An autem tales novitii debeant ordinari ab Episcopo loci novitiatus, an verò originis, aut domicili? *Suarez, et Henr. ap. Croix n. 2199.* tenent ordinandos esse ab Episcopo originis, vel domicili. Sed *Sanch. Dec. l. 4. c. 39. num. 20. Pal. p. 11. n. 8. et Delbene dub. 3. sect. 8. n. 7.* et idem tenet *Fagnan.* cum aliis in *c. Cum inter vos, de Sent. et re jud. n. 8.* censent bene posse ordinari ab Episcopo loci, ubi est novitiatus, quia novitii ibi degentes jam habent animum ibi perpetuò manendi. Ultra-

que sententia est probabilis, ut rectè dicunt *Croix l. c. et Mazz. l. 3. p. 242.* Modò ( omnino addendum dico ) novitius per notabile tempus jam manserit in novitiatu, et juramentum præstet ibi quantum in se est et perpetuò manendi, juxta dicenda *n. 770. ad V.*

766. — Dubit. 2. An Abbates ordinantes non subditos validè ordinent? Negat *Suar. Aversa cum Croix n. 2191.* Sed verius affirmant *Sanch. Pell. Tamb. etc. cum Salm. c. 4. n. 40.* Quia talis facultas jam invenitur Abbatibus concessa in corpore juris, ex *d. c. Quorumdam, Dist. 69.* Concilium autem Trident. et Decretum S. C. supra relatum videntur interdixisse tantum exercitium talis facultatis; quæ de re Abbates illicitè ordinant, sed non invalidè. Et sic ( ut refert *Bened. XIV. de Synodo l. 2. c. 11. n. 13.* ) declaratum fuit à S. C. die 23 Nov. 1641. et confirmatum die 16 Martii 1726, ubi dictum fuit hujusmodi ordinatos ab Abbatibus privilegium habentibus, indigere tantum absolute et rehabilitatione à Sede Apostolica, sed non reordinatione, tanquam validè ordinatos. Idque magis patet ex Decreto approbato ut supra ab Urb. VIII, ubi imponitur suspensio Ordinatis ab hujusmodi Abbatibus, ergo ipsi jam habentur pro validè ordinatis.

767. — Notandum II. Probabile esse Ministrum conferentem in mortali Ordines minores non peccare mortaliter, quandoquidem satis probabile est, quòd tales Ordines non sint Sacramenta juxta dicta *n. 736.* Certum est autem, quòd tam conferens ( etiam Ordines minores ) innodatus aliqua censura, graviter peccabit, et incurret irregularitatem exercens actum ordinationis, quam suscipiens cum censura pariter peccabit, et incurret suspensionem ab Ordine suscepto. Vide *Salm. c. 4. n. 71.*

768. — Notandum III. Regulares ex *c. Cum Nullus, §. fin. de Temp. Ord. in d.* debere suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diocesi est Monasterium, ubi tunc commorantur. Et quamvis S. Pius V concesserit privilegium Religiosis, ut possent ordinari ab alio quàm ab Episcopo loci, ubi degunt; attamen ( ut refert *Conc. p. 35. n. 10.* ) Gregorius XV hoc privilegium revocavit; hæcque revocationem confirmarunt Clemens VIII et Benedictus XIII in Bulla, *In suprema*, edita 23 Septembris 1724, et novissimè N. P. Benedictus XIV in Bulla quæ incipit, *Impositi nobis*, an 1747. Item notandum, quòd S. C. ( ut refert *Ronc. cap. 2. quæst. 3.* ) de mandato Clementis VIII edidit Decretum, ubi declaratum fuit, quòd si ille Episcopus non habeat Ordinationem, tunc Superior poterit subditis Dimissorias dare ad quemcumque alium Episcopum: præcipitur tamen ibi Regularibus, ne ex industria differant Ordinationes suorum subditorum in id tempus, quo Episcopus Diocesanus non est habiturus Ordinationem, vel abfuturus est, contra id quòd ait *Gob. ap. Croix n. 2193.* Et præcipitur observantia hujus Decreti sub pœna privationis vocis, et officii. Hæc omnia confirmavit *Bened. XIV* in mox citata Bulla, et insuper statuit, quòd si

Episcopus Diocesanus fuerit absens, vel non habuerit Ordinationem, non possit Religiosus ab alio ordinari, nisi ostendat attestationem Vicarii Generalis, Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi; aliàs tam ordinans, quàm sic ordinatus incurrunt censuras et pœnas quas incurrunt qui ab aliquo Episcopo ordinantur sine Dimissoriis. Item statuit, quòd talis Regularis examinari debeat ab Episcopo ordinante. Item quòd privilegia alicujus Ordinis, ut ejus Religiosi ordinentur à quocumque Episcopo, debeant esse nominatim, non verò per communicationem. Item quòd Regulares nequeant aliò discedere, ut ordinentur, et postea redire ad pristinum domicilium ad hoc, ut examinentur ab Episcopo loci. Dicit autem *Ronc. cum Fag. et Passer.* quòd si Monasterium sit in loco nullius Diocesis, possint ejus Religiosi ordinari ab Episcopo viciniore. Omnes autem Regulares exempti à Prælatiis suis Dimissorias accipiunt. Vide dicenda *n. 790.*

769. — Notandum IV. Ad licitè Ordines suscipiendos requiritur ex *Trid. sess. 23. c. 3 et 8.* ut initiandus ( etiam prima Tonsura, ut DD. communiter intelligunt, cum *Salm. c. 4. n. 43.* ) ordinetur à proprio Episcopo, vel ab alieno, sed de ejus licentia. Sin autem, ipse peccat graviter, et suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti, donec proprius Episcopus voluerit; et ordinans incurrit suspensionem à collatione Ordinum per annum: et interim, si suspensio sit notoria, sive de facto, sive de jure, sui subditi Clerici ( non autem laici ) possunt ordinari sine ejus licentia ab *Episcopis vicinis*, ut expressum habetur in *c. 2. de Temp. Ord. in 6.*

770. — Hic autem maximè advertere oportet ea, quæ statuuntur super hac materia in Bulla *Speculatores*, edita an. 1694, ab Innoc. XII, quam in extensum affert *Croix n. 2166.* et sunt sequentia:

I. Non sufficit, quòd quis statim ab aliquo Episcopo Beneficium sit accepturus, ut ab eo ordinari possit, vel primam Tonsuram accipere.

II. Initiatus Tonsura vel Minoribus à proprio Episcopo, non potest ulterius ordinari ab alio titulo Beneficii, nisi exhibitis prius litteris Testimonialibus Episcopi tam originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate et moribus.

III. Nulli Episcopo etsi Cardinali liceat externum, sibi non subditum ratione originis, vel domicilii, ad Clericalem Tonsuram promovere prætextu cujusvis Beneficii ecclesiastici ei statim conferendi, seu ad quod à Patronis præsentatus, seu nominatus fuerit. Præterea, ut quis possit ordinari titulo Beneficii ab Episcopo non proprio, requiritur ut Beneficium actu possideatur, et de se sufficiat ad congruam sustentationem sine supplemento Patrimonii. Quare non bene *Salm. de Ord. c. 4. n. 51.* cum aliis dicunt sufficere Beneficium etiam tenue pro titulo ad suscipiendos Ordines. Quamvis ( ut rectè notat *Croix n. 2177. cum Bon. Barbos. et communi*, contra *Less. etc.* ), quoad alios effectus, sufficiat quodcumque tenue Beneficium, ut quis subditus fiat.



Unde autem desumatur congruitas Beneficii quoad effectum Ordinationis, vide dicenda n. 815. v. Not. 1.

IV. Qui fortuito nascitur alicubi, debet ordinari ab Episcopo loci, ubi pater natus est ( nisi pater postea ibidem, ubi natus est initiandus, contraxerit domicilium. ) Debet tamen obtinere litteras Testimoniales, si illic, ubi natus est, tandiu moratus sit, ut ibi potuerit contrahere impedimentum. Sicut pariter indiget Testimonialibus Episcopi originis, qui in loco suæ originis similiter impedimentum contrahere potuerit.

V. Ille tantum censendus est subditus ratione domicilii, qui aliquo venit animo perpetuo ibi manendi, et hunc animum probet vel per habitationem decennii, vel per ædificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, manendo simul ibi per aliquod notabile tempus; debetque jurare se hunc animum tunc habere.

VI. Ut Episcopus possit aliquem ordinare titulo familiaritatis, oportet ut per triennium eum aluerit secum in suo actuali servitio, eidemque intra mensem conferat Beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, cum Testimonialibus Episcopi originis, et domicilii.

VII. Episcopus originis, sive domicilii potest à suis subditis, etiam cum sua Dimissoria ab alieno Episcopo ordinatis, petere ut intra aliquod tempus exhibeant Ordinum susceptorum Testimoniales, in quibus inseratur observata esse, quæ in hac Bulla præscribuntur; alias potest eos suspendere ab exercitio susepti Ordinis.

771. — « 1. Qui in una diocesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, à quovis trium illorum Episcoporum potest Ordines, vel Dimissorias accipere. *Præp. qu. 1. d. 14. Laym. l. 5. t. 9. c. 9. Dian. p. 8. t. 2. R. 8 et 9.* ubi cum *Aversa*, et aliis 3. contra *Barb.* dicit, etsi ab uno eorum acceperit Ordinem unum, posse alterum ab alio accipere. ( *Vide dicta n. præced. infra n. 11.* ) »

772. — « 2. Potest quis ordinari ut originarius, ubi ipse, vel pater ejus est natus. *Barb. Zerol. Aversa*, et alii novem eum *Dian. p. 8. t. 2. R. 12.* Non tamen ordinari ab Episcopo, in cujus diocesi natus est fortuito: v. g. quia mater ibi itineris, vel negotiorum causa degebat, quia non contrahit ibi jus originis, sed ubi parentes domicilium habent; ibi enim natus esse censetur. *Sanch.* et alii octo, cum *Dian. p. 8. t. 2. R. 11.* contra *Hurtad.* ( *Vide n. præc. n. 14.* ) »

773. — « 3. Qui in diversis Episcopatibus habet duo domicilia, in quibus æqualiter, etsi non mathematicè, habitat, potest ab utriuslibet loci Episcopo ordinari; quia utrique est subditus ratione domicilii. *Præpos. loc. cit. Sanch. Aversa*, etc. cum *Dian. p. 8. t. 2. R. 14.* Ejus tamen filius ab illo tantum, in cujus diocesi est natus. Quod si fortuito extra utriusque diocesim sit natus, ab utrovis potest ordinari; quia uterque censetur ejus Episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno, quam

» de alio. *Præp. Dian. l. c.* Natus autem ex fornicatione, matris » potius, quam patris domicilium sequitur. *Præp. Dian. l. c.* » *R. 18.* »

774. — Potest quis ordinari ab Episcopo Beneficii, licet Beneficium sit simplex, modo sit perpetuum, et initiandus illud jam possideat. Et idem dicitur de habente Commendam perpetuam, quæ transeat in titulum. *Ita Sanch. Trull. Av. Phil. etc. cum Salm. c. 4. num. 51 et 52. comm. Dicunt Tamb. de Ord. c. 8. n. 21. cum Dian. et Bord. ac Salm.* cum iisdem Authoribus, quod sufficiat Beneficium etiam tenue: sed hoc expressè reprobatur in d. Bulla *Speculatores n. 770. ad n. III.* ex qua requiritur Beneficium sufficiens ad sustentationem de se, sine supplemento patrimonii, vide apud *Croix n. 2168.* Et hic notandum cum *Croix n. 2178.* non sufficere titulum servitii mensæ, vel Ecclesiæ, aut Missarum: quia revera hæc non sunt Beneficia. An autem ex Beneficio detrahenda sint onera Missarum? S. C. ( ut refert *Bened. XIV. Notif. 26. n. 6.* ) die 17 Jul. an. 1723 respondit, id relinquendum arbitrio et conscientiæ Episcopi. Nota verò, quod in nostro Regno Beneficium, ut quis possit cum eo ordinari, debet ascendere, detractis oneribus, saltem ad medietatem taxæ statutz pro patrimonio. *Vid. infra n. 830.*

775. — Sed dubit. 1. an Episcopus Beneficii possit dispensare in interstitiis cum aliquo, eodem modo quo posset dispensare cum eo Episcopus domicilii? *Negant Nav. et alii;* sed verius affirmant *Barb. Alleg. 4. n. 54. et Salm. c. 4. n. 53. cum Garc. et Trull.* quia, cum talis Ordinandus jam fiat subditus Episcopi Beneficii quoad Ordines, sit etiam subditus quoad omnia concernentia Ordines; modo, intelligendum, accedat necessitas vel utilitas ( respectivè ad Ordinem qui confertur ) Ecclesiæ, cui Ordinandus adscribitur, juxta dicenda n. 795.

776. — Dubit. 2. an ritè Episcopus ordinet aliquem cui ideo contulit Beneficium, ut possit eum ordinare? *Negant Quaranta, Barb. etc.* apud *Salm. c. 4. n. 54.* quia talis collatio esset in fraudem. At valde probabile est quod possit, ut tenent *Tamb. de Sacr. Ord. c. 8. n. 21. cum Leandr. Bord. Dian. et aliis;* et huic sententiæ favent *Salm. c. 4. n. 53. cum Trull.* Ratio, quia nullo modo fraudat legem qui utitur jure suo, ex Reg. juris in 6. *Non censetur dolo facere, qui utitur jure suo.* Habetur autem in c. *Cum nullus, de temp. Ord.* quod indistinctè concessum sit Episcopis ordinare alienos ratione Beneficii.

777. — « 4. Qui plura habet in diversis diocesibus beneficia, potest à quolibet illorum Episcoporum ordinari. *Garc. Præp. l. c. etc. Dian. p. 8. t. 2. R. 25.* ( *Idem dicunt Salm. c. 4. n. 45. cum Pal. Trull. etc. In expositis autem spectatur locus, in quo expositi sunt; Salm. ib.* ) »

« Studiosi qui in Universitate habitant, etiam ultra decennium, animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeo ab ejus loci Episcopo ordinari non possunt. Imò si isthuc ducant uxorem, nec filii eorum; sicut enim is non

» dicitur Episcopus domicilii respectu patris; ita ut nec Episcopus originis respectu prolis, quæ nata fingitur in domicilio patris. *Dian. p. 8. t. 2. R. 15 et 17.*»

778. — Notandum 1. quòd, licet ad alios effectus, etiam ad suscipienda Sacramenta, ut domicilium acquiratur, sufficiat, quòd quis incipiat alicubi habitare animo ibi perpetuò manendi; ad effectum tamen suscipiendi Ordines, ultra prædictum animum requiruntur alia in Bulla *Speculatores* enumerata d. n. 770. *infra n. V.* et præcipuè juramentum de ipso animo perpetuò ibi manendi.

Notandum insuper, quòd, ut quis ordinari possit ratione domicilii, requiratur, ut præstet juramentum de domicilio ibi contracto, ex Decl. S. C. quam refert *P. Zachar. ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 2166.* Adhuc autem filiusfamilias vivens seorsum à patre potest domicilium acquirere, ex *l. Placet, et l. Non utique, B. Ad Munif. Idemque* decrevit S. C. (ut testatur *P. Zachar. ad n. 2180.*) de infante seu impubere. Bene tamen advertunt *Sanch. de Matr. l. 3. d. 23. nu. 1 et 2. Bonac. p. 4. num. 11 et 12. Pal. p. 15. et Salm. c. 4. n. 48. cum Aversa, Trull. Dic. et Philib.* quòd si quis post domicilium contractum habeat animum aliò se transferendi, bene posset ordinari ab Episcopo loci in quo commoratur: ad domicilium enim perdendum, non solum requiritur animus discedendi ab illo, sed etiam actualis recessus; ut patet ex plurib. Declar. Sac. Congr. ut refert *P. Zachar. apud Croix l. 6. c. 2. n. cit. 2176.*

779. — Notandum 2. quòd Barones, eorumque filii gaudeant domicilio suorum feudorum, etsi ibi non habitent, ac propterea ordinari possunt ab illorum Episcopo. Ita *Barb. Avers. apud Croix n. 2180.* Idem dicant *Salm. l. c. cum Sanch. Trull. Barb. Gob. Rebuff. apud Croix ibid.* de Senatoribus, et officialibus perpetuis alicujus loci, eorumque filiis: sed meritò hæc ait *Croix ibid.* non esse conformia intentioni Bullæ *Speculatores* relatæ, ubi, ut vidimus, requiritur, ut Ordinandus ratione domicilii per notabile tempus ibi permanserit, et habeat animum, ac juret ibi perpetuò manendi.

780. — Fit etiam aliquis subditus Episcopi quoad Ordines suscipiendos ratione familiaritatis, seu famulatus: modò (ut sancivit *Trid. sess. 23. c. 9.*) « per triennium secum fuerit commoratus, et Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferatur. » Putat hinc *Vasq.* sufficere, si Episcopus animum habeat conferendi Beneficium quamprimum vacaturum; sed communiter dicunt *Avers. Phil. aliique cum Salm. c. 4. n. 55.* Beneficium debere esse jam vacans; licet ante Ordinationem non conferatur, ut *Sanch. Led. cum Salm. n. 55.* Per relatam tamen Bullam *Speculatores* sufficit, si Beneficium conferatur intra mensem. Vide *n. 770. ad n. VI.* Declaravit autem S. C. non posse Episcopum titulo familiaritatis aliquem ordinare, etiamsi det ei pensionem, aut patrimonium. Vide *P. Zachar. ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 2167.* Nomine autem familiarium in-

telliguntur omnes, qui Episcopo famulantur, et vivunt ejus expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modò degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope; secus si distent per decem leucas, ut dicunt aliqui: vel duas dietas, juxta alios apud *Salm. l. c.*

Dicit autem *Barb. de offic. Episc. Alleg. 5. n. 12 et 13. cum Garc. et Armendar.* qui hoc referunt decisum à S. C. (contra *Escob. n. 330.* qui citat pro se *Marchin. et Leand.*) Episcopum posse ordinare suum familiarem triennalem etiam ad titulum patrimonii, vel pensionis pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ, cui ille est adscribendus; imò *Vasq. et Gabr.* censent posse eum ordinare, etiamsi non habeat patrimonium; sed hanc opinionem *Barb. ibid.* meritò falsam vocat. Præterea, *Renzi de Ord. c. 1. sect. 3. q. 13. et Barb. num. 8. cum Garc. Riccio, et Molf.* (qui etiam decisum à S. C. asserunt) sufficere aiunt triennium adhuc inceptum antequam fuisset Episcopus. Advertunt tamen communiter *Renzi l. c. cum Pal. Tamb. Marchin. et Leand. ac Barb. n. 9. cum Molf. et aliis.* tempus triennale debere esse continuum; hoc verò intelligendum moraliter, unde censet *Renzi ib.* non interrumpi triennium, si familiaris per aliquod tempus aliò discedat; idque probat ex *c. fin. de Verb. sign. n. 6.* ubi interrogatus à Papa, quis veniret nomine Clericorum suorum, respondit, venire Clericos familiares continuo domesticos commensales, etiamsi aliquando pro suis negotiis abesse contingat. Item advertunt *Renzi q. 12. Sanch. l. 7. c. 1. dub. 27. n. 3. et Barb. n. 14. cum Nav. Sayr. Ugol. et aliis pluribus,* non posse Episcopum dispensare super interstitiis cum familiari ordinando ad titulum Beneficii statim conferendi, quia hic nondum est subditus, et ita refert decisum à S. C. *Garcia ap. Renzi l. c.* Bene tamen poterit dispensare post collatum Beneficium, quia ratione Beneficii collati jam fit subditus, ut dicunt *Piasec. et Campanile apud Barb. n. 15.* et pariter id à S. C. decisum refert *Pitton. de Episc. n. 292. die 26 Maii 1594.* Sed intelligendum (ut diximus *n. 775.*), si adsit necessitas vel utilitas Ecclesiæ.

Quæritur, an famuli famulorum Episcopi possint ex hoc eodem titulo ab illo ordinari? Affirmant *Sanch. Cons. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 24. Dian. p. 4. tr. 4. R. 145. Salm. c. 4. n. 57. Avers. Henr.* modò absit fraus, nempe, si ad hoc Episcopus permittat familiares suos plures famulos habere, ut possit eos ordinare; et modò omnes expensis Episcopi alantur, ut advertunt *ibid. Salm. cum Henr.* Ratio, quia hi omnes revera tunc tanquam famuli ipsius Episcopi reputantur.

## DUBIUM II.

## Quæ requirantur in Ordinando.

781. Quinam validè aut invalidè ordinentur? — 782. An validè ordinentur infantes? — 783. Quæ requirantur, ut quis licitè ordinetur ap. Busemb. — 784. I, ut sit viator, non neophytus, non infamis, hermaphroditus, irregularis, etc. An autem remaneant ordinati

» dicitur Episcopus domicilii respectu patris; ita ut nec Episcopus originis respectu prolis, quæ nata fingitur in domicilio patris. *Dian. p. 8. t. 2. R. 15 et 17.*»

778. — Notandum 1. quòd, licet ad alios effectus, etiam ad suscipienda Sacramenta, ut domicilium acquiratur, sufficiat, quòd quis incipiat alicubi habitare animo ibi perpetuò manendi; ad effectum tamen suscipiendi Ordines, ultra prædictum animum requiruntur alia in Bulla *Speculatores* enumerata d. n. 770. *infra n. V.* et præcipuè juramentum de ipso animo perpetuò ibi manendi.

Notandum insuper, quòd, ut quis ordinari possit ratione domicilii, requiratur, ut præstet juramentum de domicilio ibi contracto, ex Decl. S. C. quam refert *P. Zachar. ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 2166.* Adhuc autem filiusfamilias vivens seorsum à patre potest domicilium acquirere, ex *l. Placet, et l. Non utique, B. Ad Munif. Idemque* decrevit S. C. (ut testatur *P. Zachar. ad n. 2180.*) de infante seu impubere. Bene tamen advertunt *Sanch. de Matr. l. 3. d. 23. nu. 1 et 2. Bonac. p. 4. num. 11 et 12. Pal. p. 15. et Salm. c. 4. n. 48. cum Aversa, Trull. Dic. et Philib.* quòd si quis post domicilium contractum habeat animum aliò se transferendi, bene posset ordinari ab Episcopo loci in quo commoratur: ad domicilium enim perdendum, non solum requiritur animus discedendi ab illo, sed etiam actualis recessus; ut patet ex plurib. Declar. Sac. Congr. ut refert *P. Zachar. apud Croix l. 6. c. 2. n. cit. 2176.*

779. — Notandum 2. quòd Barones, eorumque filii gaudeant domicilio suorum feudorum, etsi ibi non habitent, ac propterea ordinari possunt ab illorum Episcopo. Ita *Barb. Avers. apud Croix n. 2180.* Idem dicant *Salm. l. c. cum Sanch. Trull. Barb. Gob. Rebuff. apud Croix ibid.* de Senatoribus, et officialibus perpetuis alicujus loci, eorumque filiis: sed merito hæc ait *Croix ibid.* non esse conformia intentioni Bullæ *Speculatores* relatæ, ubi, ut vidimus, requiritur, ut Ordinandus ratione domicilii per notabile tempus ibi permanserit, et habeat animum, ac juret ibi perpetuò manendi.

780. — Fit etiam aliquis subditus Episcopi quoad Ordines suscipiendos ratione familiaritatis, seu famulatus: modò (ut sancivit *Trid. sess. 23. c. 9.*) « per triennium secum fuerit commoratus, et Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferatur. » Putat hæc *Vasq.* sufficere, si Episcopus animum habeat conferendi Beneficium quamprimum vacaturum; sed communiter dicunt *Avers. Phil. aliique cum Salm. c. 4. n. 55.* Beneficium debere esse jam vacans; licet ante Ordinationem non conferatur, ut *Sanch. Led. cum Salm. n. 55.* Per relatam tamen Bullam *Speculatores* sufficit, si Beneficium conferatur intra mensem. Vide *n. 770. ad n. VI.* Declaravit autem S. C. non posse Episcopum titulo familiaritatis aliquem ordinare, etiamsi det ei pensionem, aut patrimonium. Vide *P. Zachar. ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 2167.* Nominem autem familiarium in-

telliguntur omnes, qui Episcopo famulantur, et vivunt ejus expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modò degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope; secus si distent per decem leucas, ut dicunt aliqui: vel duas dietas, juxta alios apud *Salm. l. c.*

Dicit autem *Barb. de offic. Episc. Alleg. 5. n. 12 et 13. cum Garc. et Armendar.* qui hoc referunt decisum à S. C. (contra *Escob. n. 330.* qui citat pro se *Marchin. et Leand.*) Episcopum posse ordinare suum familiarem triennalem etiam ad titulum patrimonii, vel pensionis pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ, cui ille est adscribendus; imò *Vasq. et Gabr.* censent posse eum ordinare, etiamsi non habeat patrimonium; sed hanc opinionem *Barb. ibid.* merito falsam vocat. Præterea, *Renzi de Ord. c. 1. sect. 3. q. 13. et Barb. num. 8. cum Garc. Riccio, et Molf.* (qui etiam decisum à S. C. asserunt) sufficere aiunt triennium adhuc inceptum antequam fuisset Episcopus. Advertunt tamen communiter *Renzi l. c. cum Pal. Tamb. Marchin. et Leand. ac Barb. n. 9. cum Molf. et aliis.* tempus triennale debere esse continuum; hoc verò intelligendum moraliter, unde censet *Renzi ib.* non interrumpi triennium, si familiaris per aliquod tempus aliò discedat; idque probat ex *c. fin. de Verb. sign. n. 6.* ubi interrogatus à Papa, quis veniret nomine Clericorum suorum, respondit, venire Clericos familiares continuo domesticos commensales, etiamsi aliquando pro suis negotiis abesse contingat. Item advertunt *Renzi q. 12. Sanch. l. 7. c. 1. dub. 27. n. 3. et Barb. n. 14. cum Nav. Sayr. Ugol. et aliis pluribus,* non posse Episcopum dispensare super interstitiis cum familiari ordinando ad titulum Beneficii statim conferendi, quia hic nondum est subditus, et ita refert decisum à S. C. *Garcia ap. Renzi l. c.* Bene tamen poterit dispensare post collatum Beneficium, quia ratione Beneficii collati jam fit subditus, ut dicunt *Piasec. et Campanile apud Barb. n. 15.* et pariter id à S. C. decisum refert *Pitton. de Episc. n. 292. die 26 Maii 1594.* Sed intelligendum (ut diximus *n. 775.*), si adsit necessitas vel utilitas Ecclesiæ.

Quæritur, an famuli famulorum Episcopi possint ex hoc eodem titulo ab illo ordinari? Affirmant *Sanch. Cons. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 24. Dian. p. 4. tr. 4. R. 145. Salm. c. 4. n. 57. Avers. Henr.* modò absit fraus, nempe, si ad hoc Episcopus permittat familiares suos plures famulos habere, ut possit eos ordinare; et modò omnes expensis Episcopi alantur, ut advertunt *ibid. Salm. cum Henr.* Ratio, quia hi omnes revera tunc tanquam famuli ipsius Episcopi reputantur.

## DUBIUM II.

## Quæ requirantur in Ordinando.

781. Quinam validè aut invalidè ordinentur? — 782. An validè ordinentur infantes? — 783. Quæ requirantur, ut quis licitè ordinetur ap. Busemb. — 784. I, ut sit viator, non neophytus, non infamis, hermaphroditus, irregularis, etc. An autem remaneant ordinati

irregulares, etc. quos Episcopus protestatur se non intendere ordinare? — 783. II. Animus clericandi. Dub. 1. An peccet suscipiens Ordinem, nolens ascendere ad superiorem? Dub. 2. An peccet Clericus in minoribus, si uxorem ducat? Dub. 3. An peccet suscipiens Tonsuram ad effugiendum forum? — 786. III. Ut sit confirmatus. — 787. IV. Ut habeat Litteras dimissorias. Not. 1. Episcopi regulariter tenentur per seipsos ordinare. Not. 2. Licentia data non expirat morte concedentis. Not. 3. Episcopus confirmatus potest Dimissorias concedere, non verò suspensus, etc. Not. 4. Potest Episcopus eas dare etiam in aliena Diocesi existens. Not. 5. Non potest verò Vicarius Generalis. — 788. Not. 6. Quid de Capitulo Sede vacante? Not. 7. Quid de Abbatibus? Not. 8. A quibus debeant habere Dimissorias Regulares? Not. 9. Quid, si Papa det licentiam cum clausula, ut quis ordinetur à suo Ordinario tantum? Not. 10. Potest Episcopus ordinare habentem Dimissorias. Not. 11. An Ordinatio debeat fieri à certo Episcopo designato? Not. 12. Sufficit licentia oreteus. — 789. Dub. 1. An Episcopus possit ordinare alienum sub spe ratihabitionis? Dub. 2. An Episcopus ordinans possit dispensare cum alieno super irregularitate, etc. — 790. V. Examen de scientia, juxta qualitatem Ordinis suscipiendi. — 791. Qu. 1. Quæ debeat scire sacerdos præsertim circa Sacramentum Pœnitentiæ? Qu. 2. An illiterati sint irregulares? Qu. 3. An in Regularibus minor scientia requiratur? — 792. Quid ultra notandum circa examen? VI. Titulus sustentationis, de quo infra ex n. 813. — 793. VII. Ut Ordines suscipiantur tempore debito. Utrum in Festis liceat ordinare in Minoribus plusquam duos? — 795. IX. Ut serventur interstitia. — 796. An qui eadem die suscipit duos Ordines sacros, incurrat suspensionem? Quid, si in Sabbato suscipit unum, alium in Dominica? Dub. 1. An hæc suspensio sit lata sententiæ? Dub. 2. An incurrat suspensionem qui suscipit duos Ordines sacros, non servatis interstitiis? — 797. An liceat eadem die suscipere quatuor Ordines minores cum Subdiaconatu? Dub. 1. An excuset consuetudo contraria? Dub. 2. An taliter ordinatus incurrat suspensionem? Dub. 3. An Regulares possint ordinari extra tempora? Dub. 4. An ipsi tunc possint ordinari in quovis Festo duplici? Quid de initiandis in tribus diebus festivis? — 798. X. Ut servetur locus debitus, et existentia Episcopi in propria Diocesi. — 799. XI. Ætas debita; alias incurritur suspensio. Dub. 1. An eam incurrat qui ordinatur ante ætatem ex ignorantia crassa? Dub. 2. An mala fide ordinatus ante ætatem, possit, ea completa, Ordinem exercere? Dub. 3. An incurrat irregularitatem suscipiens Sacerdotium ante ætatem? An autem irregularitatem incurrat, qui ordinatur irrelitus censura? Vid. ibid. v. Utrum. — 800. Quomodo computanda ætas? Dub. 1. An possit ordinari mane, qui vespere complet ætatem? Dub. 2. An computandus annus bissextilis? — 801. XII. Exercitium Ordinis suscepti. XIII. Sumptio Eucharistiæ. XIV. Probitas vite. — 802. XV. Vocatio divina. Quæ sint ejus signa? — 803. An peccet graviter qui sine vocatione ordinatur? An peccet Episcopus hunc ordinans? — 804. Hæc vocatio tantò magis requiritur ad Episcopatum, et Parochiam suscipiendam. — 805. Quæ sint Officia Ordinatorum?

781. — « RESP. 1. Ad validam ordinationem requiritur et sufficit, ut mas sit baptizatus. S. Thom. sup. qu. 39. a. 1. Con. d. 20. d. 10. Vasq. Fill. t. 9. c. 4. quæst. 2. »

Unde resolves :

« 1. Incapax Ordinum est, et quidem jure divino I. Fœmina. Vasq. Reg. Fill. l. c. (Ita S. Th. suppl. q. 39. a. 1. Salm. de Ord. tr. 8. c. 5. n. 6. et alii communiter; estque de fide definitum in c. Nova. de Pœn. et rem.) II. Hermaphroditus, in quo sexus fœmineus prævalet. Fill. l. c. Quòd si autem in eo incipiat prævalere post Ordinationem validam, non potest validè consecrari, vel absolvere, licet characterem sacramentalem retineat. Lug. resp. mor. l. 1. d. 21. III. Non baptizatus, ib.

« 2. Validè ordinantur 1. Perpetuò amentes, cæci, muti, privati manibus, etsi jure naturali sint inhabiles. 2. Irregulares, etsi jure ecclesiastico sint inhabiles, maneantque ab eorum usu suspensi. 3. Pueri in cunis qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti, nisi id ratificaverint. Tol. Henr. Azor. l. 13. c. 14. Bon. l. c. »

782. — Quær. an validè ordinentur infantes? Negant Pal. Dur. et Petroc. Sot. ap. Salm. c. 5. n. 22. Sed verius affirmat D. Th. sup. q. 39. a. 2. ubi docet, quòd omnia Sacramenta quæ non requirunt actum proprium suscipientis, sed in eis datur aliqua spiritualis potestas (ut sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo) validè suscipiantur ante usum rationis; imò Ordo etiam licitè suscipitur (loquendo de Ordinibus minoribus) si adsit necessitas, et spes profectus. S. Doctorem sequuntur communiter Sanch. Cons. l. 7. c. 3. dub. 32. n. 2. Renzi p. 344. q. 2. et Salm. c. 5. n. 23. cum S. Bonac. Scoto, Dom. Soto, Gonet, Vasq. Val. et aliis; et hoc communi sensu DD. definitum testatur Ben. XIV in Bulla Inter sollicitas, edita 4 Maii 1745. Idque probat D. Th. ex c. Ex un. de Cler. per salt. prom. ubi dicitur, quòd si aliquis Subdiaconatum receperit ante usum rationis, debet ordinari ante Diaconatum, si non constet de illius susceptione, secus si constet. Dicit tamen ib. idem Angelicus, quòd pueri ante usum rationis non possunt validè suscipere Episcopatum.

783. — « Resp. 2. Ut ordo licitè, et secundum jura Ecclesiæ ritè sumatur, aut non incurrat censura, requiritur in recipiente, præter statum gratiæ, I. Ut non sit neophytus (Qui autem non esset baptizatus certo Ordinem non reciperet, ut constat ex Conc. Nicæno Can. 19. et ex c. Veniens, de Presb. non baptiz.) vel infamis, vel hermaphroditus, vel irregularis, suspensus, excommunicatus.

« II. Animus clericandi: Trid. sess. 23. c. 4. sine quo, si primam Tonsuram, vel Ordines minores accipiat, videtur peccare, saltem venialiter (nisi justa causa excuset), quia fraus est levis; vide supra l. 4. c. 2. d. 1. a. 3. Similiter venialis inconstantia videtur sine justa causa statum Clericalem deserere.

» III. Ut sit confirmatus. *Trid. sess. 23. c. 4.* et quidem secundum *Bonac. d. 8. p. 5. n. 10.* sub mortali: secundum *Sotum*, et *Conin.* sub veniali. IV. Litteræ dimissoriæ, etiam pro prima Tonsura, Episcopi proprii, sive originis, sive beneficii, sive domicilii. *V. Dian. p. 3. t. 4. R. 194.* V. Examen coram Episcopo de scientia necessaria ad usum cujusque Ordinis; nam *Trid. s. 23. c. 4.* pro prima Tonsura requirit, ut sciant fidei rudimenta, item legere, et scribere: et de quibus probabilis sit conjectura, quod Clericatum elegerint non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent. Pro minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro Subdiaconatu, et Diaconatu, cognitionem eorum, quæ ad istos Ordines spectant. Pro Sacerdotio tantam scientiam, ut populum docere possint necessaria ad salutem, et administrare Sacramenta. VI. Titulus sustentationis, ut beneficii, vel Patrimonii, vel paupertatis, ut in Regularibus. *Trid. sess. 21. c. 2. V. Bonac.* VIII. Ordo inter receptionem unius et alterius; cuius inversio, v. g. suscipere Diaconatum ante Subdiaconatum, erit mortale: Episcopatus ante Sacerdotium erit etiam invalidus. VIII. Tempus: sic minores conferuntur quavis Dominica, vel festo quidem tali, quod ex præcepto Ecclesiæ celebratur etiam in foro, ut *Syloest. Azor. Barb. etc. communiter docent. Ac, licet Præpos. Fas. Tun. Guant. etc.* putent sufficere quodvis festum duplex in Ecclesia, eamque sententiam *Dian. p. 5. t. 13. res. 47.* vocet tutam in praxi, eam tamen ex Decr. Urbani VIII rejectam esse monet *C. de Lug. l. 1. resp. mor. d. 43.* Eosdem autem posse ex recepta Episcoporum consuetudine, etiam feria 6 vespere ante Sabbatum, quo omnes Ordines jure conferri possunt, notat *Dian. p. 2. t. 6. R. 28. ex Henr. Regin. etc.* Majores verò Sabbatis Quatuor Temporum, et Dominicæ Passionis, ac Hebdomadæ sanctæ. IX. Interstitia temporum. Sic majores non nisi post annum ab alterius susceptione conferri possunt, ex *Trid. sess. 23. c. 11. 13 et 14.* in quo tamen Episcopus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ potest dispensare. Eodem tamen die, non nisi de licentia Papæ, duo Ordines majores possunt dari; minores verò omnes, dispensante Episcopo, possunt dari eodem die, et si consuetudo sit, simul cum Subdiaconatu. *Nao. c. 25. Henriq. l. 10. c. 11. Vasq. Suar. Sa, v. Ordo. Laym. l. 3. t. 9. c. 8. X.* Locus, scilicet pro solemnii collatione, Ecclesia; pro privata, Sacellum. XI. Aetas, in qua ordinari Episcopus non potest dispensare; et sic pro prima Tonsura et minoribus requiritur saltem septennium completum, licet *Quint. t. 6. sect. 21.* contra *Sanch. etc.* putat sufficere inchoatum. Pro Acolythis an. 12 completus, *Fill. t. 9. c. 4. n. 28.* Pro Subdiaconatu vigesimus secundus, pro Diaconatu vigesimus tertius, pro Sacerdotio vigesimus quintus, omnes incepti: pro Episcopatu trigesimus completus. Vid. *Bon. d. 8. q. 1. Fill. tr. 9. c. 4. Laym. l. 5. tr. 9. c. 6 et 7. Dian. p. 3. t. 4. R. 192.* Si autem dubium sit, an quis ætatem requisitam habeat, v. g.

» pro Sacerdotio ad annum 25 ingressus sit, ordinari non potest. » *Sanch. Laym. Bard. d. 6. c. 11. p. 6. §. 2.* vide supra *l. 1. tr. 1. c. 2. dub. 3.* Peccat autem tam ordinans, quam ordinatus, si ordinetur qui non habet qualitates requisitas. »

784. — Omnia tamen hæc fusiùs discutienda. Ut quis igitur ritè Ordines suscipiat, requiritur I. Ut sit viator, quia Sacerdos vita functus non valide consecraret. Item, ut non sit neophytus, nec infamis, nec hermaphroditus, qui non est capax Ordinis, nisi in eo prævaleat sexus masculinus: alias non potest verè appellari homo: unde nec licitè, nec valide consecraret; imò nec licitè, etiamsi sexus masculinus prævaleret, quia esset monstrum, et ideo egeret dispensatione Pontificia. Vid. *Salm. c. 5. n. 15.* Item, requiritur, ut non sit irregularis, suspensus, vel excommunicatus.

Quæritur hîc, an cum Episcopus ante Ordinationem protestatur se non intendere ordinare irregulares, excommunicatos, aut alio modo indignos, utrum isti irregulares remaneant ordinati? Negant *Molf. ap. Escob. l. 23. num. 198.* Affirmant verò communius *Cabass. T. 1. l. 3. c. 16. n. 15. Ludov. Bail. et Escob. n. 200. cum Nap. Sa, Rodriq. Graff. etc.* quia verba illa dicuntur ad terrorem; quod arguitur ex eo quòd idem Episcopus post hanc protestationem ante ordinationem initiandos absolvit à quacunque excommunicatione, irregularitate, etc. Sed meliùs docet *N. SS. P. Bened. XIV* in celeberrimo Opere, *de Sacr. Miss. sect. 2. §. 70.* ubi ex Decreto S. C. Concilii dicit in hoc casu interrogandum esse Episcopum ordinantem de sua intentione, et si ipse asserat suam intentionem protestationi alligasse, Ordinationem absolutè iterandam esse; si verò Episcopi intentio sit dubia, Ordinatio est sub conditione repetenda. Et sic pluries S. C. censuisse faciendum refert *P. Zacharia ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 2231.* ubi tamen affert alias oppositas Declarationes S. C. quibus dixit validam esse Ordinationem quorundam ordinatorum cum falsis Dimissoriis, etsi præmissa fuerit protestatio Episcopi excludens voluntatem ordinandi eos, qui essent destituti conciliaribus requisitis.

785. — Requiritur II. Animo clericandi, ex *Trid. sess. 23. c. 4.* Hîc dubitatur 1. an peccet qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores? Certum et commune est non peccare graviter, etiamsi quis suscipiat Ordines majores, et non intendat suscipere Sacerdotium, ut rectè dicunt *Laym. de Ord. c. 7. sub finem; Salm. c. 5. n. 52. et Escob. n. 304.* et alii passim contra *Bannez, Marchin.* et alios paucos (*ap. Escob. num. 363.*), qui improbabiler asserunt esse mortale. Imò idem *Escob. n. 305. et Pat. p. 8. n. 8. cum Conc. et Bon.* probabiliter putant nullum esse peccatum, quia nullo jure præscribitur alicui ad superiores Ordines ascendere; nisi quis acceptet Beneficium requirens Sacerdotium, vel Ordinem sacrum, prout sunt Beneficia curata, seu ea quibus sunt annexa onera cantandi Missam, Evangelium, vel Epistolam, ut habetur ex *Trid. sess. 22. c. 4.* Cæterum idem Concilium *sess. 23. c. 4.* solum requirit in ordi-

nando intentionem præstandi Deo fidelem cultum. Idque confirmatur ex cap. 1. de Filiis Presbyter. ubi dicitur Episcopos posse dispensare cum illegitimo ad suscipiendos Ordines minores, non ad majores; ergo licitum est suscipere unum Ordinem sine animo ascendendi ad superiores. Ratio est, quia quilibet Ordo confertur ad hoc, ut ordinatus inserviat Deo, proprium munus exercendo: sufficit igitur munus illud acceptare sine intentione ulterius progrediendi. Aliter verò dicendum esset de novitio, qui Religionem intraret animo non perseverandi; hic enim difficulter excusari potest à culpa gravi, propter damna temporalia et incommoda quæ Religioni tunc frustra afferret, et etiam propter scandalum, quod aliis novitiis præberet; exemplum enim socii magnam alteri tentationem ingerit.

Dubitarum 2. An peccet Clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit? Per se loquendo certum est non peccare graviter, imò nec etiam leviter, si ob justam causam hoc facit, puta ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, ad subveniendum fœminæ pauperi, etc. alias non excusabitur à veniali; ita Bonac. de Matr. q. 3. p. 9. n. 2. Pal. de Ord. p. 9. n. 9. Escob. n. 311. cum Tol. Azor. Val. Aug. Rodr. etc. ac Salm. c. 5. n. 51. qui dicunt hanc sententiam esse omnium, uno Cajet. excepto, qui voluit esse mortale. Dixi per se loquendo; nam utrum graviter peccet, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab ea recedit, ut seculo fruatur? Vide dicta Tom. 3. l. 4. n. 78. ubi diximus de hoc metuendum, ne fortè existat in malo statu.

Dubitum 3. An peccet qui minores Ordines aut primam Tonsuram suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad seculum? Adsunt tres sententiæ. Prima sententia, quam tenent Palaus p. 8. n. 7. et Escob. n. 308. dicit nullo modo peccare, quia utitur jure suo. Secunda verò sententia, quam tenent Salm. c. 5. n. 57. Led. et Vict. ap. Sanch. de Matr. l. 7. dist. 31. num. 17. item Marchin. Molf. Leand. et Trull. ap. Escob. n. 306. dicit peccare mortaliter, quia in Trident. sess. 23. c. 4. sic habetur: « prima Tonsura non initientur..., de quibus probabilis » conjectura non sit eos non secularis judicii fugiendi fraude, » sed ut Deo fidelem cultum præsent, hoc vitæ genus elegerint. » Cum ergo hoc crimen Concilium fraudem appellet, ideo nequit excusari à gravi culpa qui sic ordinatur, quia graviter defraudat Ecclesiam, abutendo suis sacris ministeriis ad fines temporales. Tertia demum sententia, quam tenent Laym. c. 7. n. 2. Sanch. l. c. cum Navar. Bon. p. ultim. n. 10. cum Val. et Con. Diana p. 10. tr. 16. R. 61. cum Vill. et March. item Hurt. Aversa, Nald. Homob. etc. ap. Escob. n. 307. dicit hunc non peccare mortaliter, quia ex Tridentino tunc intelligitur aliquis fraudem committere, quando suscipit Ordines, ut aliquod seculare judicium jam inceptum effugiat, et hoc quidem erit mortale; alioquin erit tantum veniale, ratione deordinationis finis ab Ecclesia intenti. Primam sententiam non satis probabilem puto, tertiam probabilem, secundam verò probabiliorē, quia æquè videtur fraudem

committere qui ordinatur ut effugiat judicium seculare in casu particulari, quam qui in genere pro omnibus casibus occurrentibus. Quomodo autem peccet qui accipit Beneficium animo illud dimittendi, vide dicta Tom. 3. l. 4. n. 113. Qu. I. ubi diximus hunc non peccare mortaliter ( nisi Beneficium habeat annexum Ordinem sacrum ), quia non constat hujusmodi deordinationem esse gravem.

786. — Requiritur III. Ut sit confirmatus. An autem id requiratur sub præcepto gravi? Affirmat Bonac. d. 8. p. 5. num. 10. cui consentiunt Tol. Tan. et Aversa ap. Mazzotta l. 3. pag. 254. quia hic peccaret in re gravi, tum contra usum Ecclesiæ, tum contra præscriptum Tridentini sess. 23. c. 4. ubi dicitur: « Prima » Tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmat. non susceperint. » Alii verò, ut Holzm. n. 218. cum Tamb. etc., censent hoc non esse de præcepto, sed de consilio. Alii tandem communiter, ut Suar. l. 3. d. 38. sect. 1. Navarr. c. 22. n. 9. Laym. tr. 3. c. 5. q. 4. Pal. de Confirm. p. 8. n. 6. Mazzott. l. c. Salm. c. 4. n. 73. cum Vict. et Philib. ac Barb. de Pot. Ep. Alleg. 2. n. 15. cum Azor. Val. Reg. Molf. Vioald. etc., probabilius dicunt Confirmationem non requiri sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi; quia, licet verba Tridentini potius indicent decentiam quam præceptum, tamen in hoc contraire non excusatur à levi saltem deordinatione.

787. — Requiritur IV. Ut habeat Litteras Dimissorias proprii Episcopi. Super hoc requisito plura sunt adnotanda. Notandum 1. id quod præscribit Tridentinum sess. 23. c. 3. ubi dicitur: « Episcopi per semetipsos Ordines conferant; quòd si ægritudine » fuerint impediti, subditos suos non aliter quam... probatos et » examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. » Inde regulariter Episcopus tenetur ipse suos subditos ordinare, nisi sit impeditus ex infirmitate, ut dicit Concilium, vel ex alia justa causa, ut rectè aiunt Salm. c. 4. n. 58. et Barb. in Trident. l. c. cum Led. Salsedo, Piasec. etc. quia causa infirmitatis ibi exprimitur exemplativè, non taxativè. Hinc probabiliter Croix n. 2243. id etiam admittit, si ordinandus alibi esset, aut ei incommodum foret ad suam Diæcesim accedere. Debet autem Episcopus proprius suum subditum examinare, ex Concilio ut supra; quamvis, sicut potest examen alteri committere, sic etiam poterit eum mittere ad alienum Episcopum, ut ille examinet. Episcopus verò ad quem ordinandus mittitur, potest quidem eum ordinare sine examine, sed potest etiam examinare, si velit, ut bene aiunt Salm. l. c. et Croix n. 2245. cum aliis. Et hoc utique erit tutius, ut ait Barbosa Alleg. 7. n. 22. cum Bonac. Piasec. et Campanile, qui imò censent teneri examinare ex eod. Trid. sess. 7. c. 11. ubi dicitur, quòd nemo ab extraneo ordinetur, nisi prævio examine.

Notandum 2. Licentia data alicui, ut ordinetur apud alienum Episcopum, non expirat morte concedentis, nisi à successore revocetur; ita communiter Sanch. de Matr. l. 8. d. 28. n. 83. Barb. Alleg. 7. n. 24. cum Suar. Salm. c. 4. n. 58. cum Bonac.

et Escob. n. 418. cum Henr. Quaranta, Rod. et commun. quia gratia semel facta, morte concedentis non expirat, ex c. Super gratia. De Offic. Deleg. in 6.

Notandum 3. Episcopus propriam Diocesim habens, si est jam confirmatus, esto nondum consecratus, bene potest Dimissorias concedere; quia hic est actus jurisdictionis, quam confirmatus secuta possessione jam habet. Ita Sanch. Cons. l. 7. c. 3. dub. 20. n. 31. et Salm. c. 4. n. 59. An autem Episcopus suspensus aut excommunicatus jam declaratus possit Dimissorias concedere, vel Confessarios approbare, et similia? Affirmant Led. et Trull. sed probabilius negant Barb. Alleg. 7. n. 4. Salm. n. 59. quia excommunicati omni jurisdictione carent. Hinc bene ait Barb. l. c. casu quo ordinandi probent suum Episcopum esse excommunicatum, vel suspensum, ritè possunt ordinari ab Episcopo viciniori, ex cap. 2. de Temp. Ord. in 6.

Notandum 4. Episcopus existens in aliena Diocesi bene potest ibi Dimissorias concedere, cum hic non sit actus jurisdictionis contentiosæ: ita Salm. c. 4. n. 60. cum Gao. et Barb. d. All. 7. num. 29. cum Armendar. qui id decisum refert.

Notandum 5. Vicarius Generalis nequit Dimissorias concedere nisi expressam de hoc facultatem habeat ab Episcopo, vel nisi Episcopus sit extra Provinciam, aut distans per duas, vel saltem unam diem, sive diem itineris à propria Diocesi, ut dicunt Salm. c. 4. n. 62. cum communi, et Pal. p. 15. n. 8. ac Barbos. All. 7. n. 9. cum Azor. Rebuff. Gutt. Molf. etc. ex c. Cum nullus, de Temp. Ord. in 6. ubi dicitur: « Episcopo autem in remotis » agente, ipsius Vicarius Generalis, Sede vacante, Capitulum, » seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur » pertinere, dare possunt licentiam ordinandi. » Probabiliter verò dicit Escob. n. 402. cum Joan. Andrea, Molf. March. et Leand. bene posse Vicarium ( ut diximus ) ex peculiari licentia Episcopi, expressa vel tacita, Dimissorias concedere; quod confirmatur ex Glossa in d. c. quæ ait: « Nisi habeant ( ab Episcopo ) speciale » mandatum ad hoc. »

788. — Notandum 6. Capitulum Sede vacante olim poterat Dimissorias concedere, ut patet ex dicto c. Cum nullus; sed hoc limitatum postea fuit à Trident. sess. 7. c. 10. ubi habetur: « Non liceat Capitulis, Sede vacante, infra annum... ordinandi » licentiam aut Litteras dimissorias... concedere; » nisi quis ( ut ibi additur ) sit arctatus ad Ordines intra annum illum suscipiendos, ob Beneficium requirens obsequium personale. Aliter Capitulum incurrit interdictum, et Vicarius illius suspensionem ab officio et Beneficio per annum; necnon sic ordinatus, si fuerit in Sacris, incurrit suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti ad arbitrium Episcopi futuri; si verò in Minoribus, privatur privilegii Clericalibus, sed hoc non ante judicis sententiam. Ita Salm. c. 4. n. 65. cum Sanch. Philib. Aversa, et Trull. Dicit autem Croix n. 2258. non posse dici arctatum qui tantum est presentatus ad Beneficium, nisi quis Beneficium jam habeat, vel jus

habeat ad illud, seu vocatus sit: sed contradicunt Salm. c. 4. n. 65. et consentit Barbosa All. 7. n. 11. cum Moneta, Riccio, et Garcia, asserens rectè dici etiam arctatum, qui ordinatus prima Tonsura est presentatus ad Beneficium: et Merola ap. Renzi pag. 359. q. 2. id refert decisum à S. C. etiam pro non adhuc Tonsurato, his verbis: « Vicarius Capitularis, Sede vacante, » infra annum potest concedere Litteras Dimissorias ad primam » Tonsuram ei qui est presentatus à personis laicis ad Beneficium Ecclesiasticum juris patronatus ipsorum, ut ille obtinere » valeat. » Rectè tamen dicit Croix l. c. cum Garcia, Ugolino et Riccio, non dici arctatum eum, cui aliquis vult resignare Beneficium requirens Ordinem quo ille caret. Hicque præterea notandum id quod habetur in Concordato nostri Regni c. 4. n. 9. ibi: I Vicarii Capitolari non potranno senza il voto del pieno Capitolo, da darsi per maggioranza de' voti segreti, concedere le lettere dimissoriali a' Laici, artati per ragion di Beneficio, o Cappellania, o pure a coloro, che avendo già la prima Tonsura, sono presentati a qualche Beneficio, o Cappellania, che actu requirant certum Ordinem: Coll' espressa condizione, che così nell' uno, come nell' altro caso colui, che chiede d'esser promosso, non sia stato altre volte rigettato dal Vescovo antecessore. Vide alia præscripta in dicto concordato n. 830.

Bene potest tamen Capitulum, Sede vacante, etiam intra annum dare Litteras Testimoniales alicui, qui aliunde licentiam habet ad Ordines suscipiendos; Salm. c. 4. num. 56. cum Sanch. Pal. Dic. etc. probabiliter etiam potest dare alicui licentiam, ut initietur prima Tonsura, eò quòd Tonsura non est Ordo. Ita Garcia, et Gallem. ap. Croix n. 2261. qui eis adhæret ex Declar. S. C. Id autem quod potest Capitulum, Sede vacante, non potest per seipsum facere, sed per suum Vicarium electum; Croix n. 2266. et sic refert decisum à S. C. die 3 Febr. 1604. Pitton. de Canon. n. 271. Item hinc notandum, quòd Sede vacante bene possit ordinari intra annum qui habet Dimissorias Episcopi defuncti, ut communiter dicunt Barbosa All. 7. n. 23. cum Nav. Gonzalez, et Henr. ac Croix num. 2259. cum Sanch. Laym. Tamb. etc. ex Declar. S. C. Idem dicitur de Regularibus intra annum afferentibus Dimissorias suorum Superiorum; his enim bene potest Capitulum licentiam concedere ut ordinentur ab aliquo Episcopo. Et sic etiam valent Dimissoriæ concessæ à Capitulo, Sede vacante, post annum, etiamsi sit jam ingressus novus Episcopus; Barb. num. 24. cum Mol. Gonzal. Fag. Led. Quaranta, etc. Præterea notandum quòd licet in Concilio Romano sub Bened. XIII. permissum fuerit Vicario Capitalari post annum luctus Ecclesiæ concedere Dimissorias, tamen in concordato nostri Regni facultas est ei sublata, nisi habeat expressam licentiam S. C. Concilii.

Quamvis autem Capitulum non possit intra annum Dimissorias concedere, dicunt tamen Sanch. l. 7. c. 1. dub. 26. n. 2. Tamb. de Ord. c. 9. §. 2. n. 9. et Barb. All. 7. n. 17. in Trident. sess. 7. c. 10. n. 5. cum Henr. Quaranta, Molf. Piasec. Furnar. etc. bene

posse dare alieno Episcopo licentiam Pontificalium, et pariter conferendi Ordines Clericis subditis ipsi Episcopo, vel subditis eidem Sedi vacanti, qui non à Metropolitano, nec ab Episcopo viciniori, sed à Papa debent habere licentiam ordinandi, ut refert decisum *Garcia ap. Barbosam l. c. in Trident.* Sed huic opinioni se opponit *Croix n. 2257.* dicens obstare verba Tridentini ut supra: « Non liceat infra annum ordinandi licentiam, aut Litteras Dimissorias... concedere; » gerundium enim ordinandi, dicit *Croix*, esse activum, unde non debere applicari Ordinandis, sed Episcopo. At venia *P. Croisii*, docetur à pluribus Grammaticæ peritis, huiusmodi gerundia modò sumi activè, modò passivè. Et ipsum Concilium pluries usurpavit gerundium in passiva significatione, ut *sess. 7. c. 11. et 12. de Benef. Facultates de promovendo à quocumque.* Et hinc juxta proprium sensum Tridentini to ordinandi veriùs intelligendum passivè, dum Concilium post verba, « non liceat capitulis ordinandi licentiam, aut » Litteras Dimissorias... concedere, » addit, » alicui qui beneficii » occasione arctatus fuerit. » Unde illud concedere refert tam licentiam ordinandi, quam Litteras Dimissorias subjecto alicui, nempe ordinando.

Notandum 7. Hodie non amplius locum habet id quod dicunt *Salm. c. 4. n. 67. cum Molf. et Philib.*, nempe quòd Abbates qui possunt suos subditos ordinare ( juxta dicta *n. 763.* ), possint etiam eis concedere Dimissorias ad suscipiendos Ordines à quocumque Episcopo, vel Abbate mitrato. Neque enim Abbates mitrati, adhuc si habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt alienos subditos ordinare, ex Decreto S. C. relato *n. 766.* Neque alii Episcopi, quam Diocesani ( ut mox videbimus ) possunt Regulares ordinare.

Notandum 8. Regulares exempti debent habere Dimissorias à Prælatiis suis, scil. Generalibus, aut provincialibus, ut dicunt *Salm. cap. 4. n. 68. cum Sanch. Diana, Philib.* et aliis communiter: alias peccant mortaliter, et suspensionem incurrunt. Præterea, ex Decreto Clementis VIII, ( relato in extensum apud *Croix n. 2236.* ) Dimissoriæ sunt dirigendæ ad Episcopum Diocesanum, nisi is sit absens, aut non teneat Ordinationem. Nec valet dicere cum *Sanch. Laym. Pal. etc. apud Croix loc. cit.* posse dari Regularibus Dimissorias ad quemcumque Episcopum, eò quòd mandatum Clementis non fuit receptum, ut asserit *Pal.* vel quia ( ut putat *Sanch.* ) Decretum illud valet tantum pro Regularibus eidem Episcopo loci subjectis. Nam in *c. 3. de temp. ord. in 6.* generaliter id vetatur, et præfatum Decretum fuit novissimè confirmatum et innovatum à Benedicto XIII et XIV vide dicta *n. 768.* A quo autem possint ordinari novitii? Vide dicta *n. 764. et 765.*

Notandum 9. Si quis obtineat facultatem à Pontifice suscipiendi Ordines extra tempora, sed cum clausula, à suo Ordinario tantum, bene potest cum istius Dimissoriis ab alio ordinari; ita *Sanch. l. 7. c. 1. dub. 25. n. 2. cum Navar. Mazzotta pag. 250.*

et *Croix n. 2242. cum Gobat.* Ratio, quia apponitur illa particula tantum, ne præjudicium inferatur proprio Episcopo; sed minime ipse præjudicatur, quando ipsemet concedit Dimissorias.

Notandum 10. Probabiliter Episcopus potest confirmare eum qui adducit Dimissorias sui proprii Episcopi pro Tonsura; ita *Croix n. 2239. cum Rebuffo.* Et idem ait *Croix ibid. cum Gobat.* si quis est dimissus ad suscipiendum subdiaconatum, cum non adhuc susceperit Ordines minores, quia tunc censetur dimissus etiam pro minoribus.

Notandum 11. Quamvis die 22 Jun. 1623. ( apud *Pitton. de Episc. n. 800.* ) S. Congregatio præposita negotiis Regni Neapolitani statuerit nullas esse Dimissorias non directas certo Ordinario; tamen anno sequenti die 16 Mart. contrarium fuit statutum per S. C. Episc. nempe quòd Episcopi Regni Neapolitani ritè possint extraneos ordinare cum Dimissoriis proprii Ordinarii, licet non sint directæ ad certum Episcopum. Hinc probabiliter dicunt *Mazz. p. 250. et Croix n. 2241. cum Gobat. et Quitent.* quòd si quis est dimissus ad certum Episcopum qui sit designatus in gratiam ipsius ordinandi, bene poterit ab alio Ordines suscipere, ex regula Juris 61 in 6, ubi: « Quod ob » gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. »

Notandum 12. Ut quis ordinetur ab alieno Episcopo, non requiritur ut obtineat à proprio licentiam in scriptis, sed satis est si constet de illa per testes, vel aliter: ita *Sanch. c. 3. dub. 20. n. 4. Salm. c. 4. n. 61.*

789. — Sed dubitatur 1. An aliquis Episcopus possit ordinare alterius subditum sine illius expressa licentia, sub spe ratihabitio- nis de futuro. Affirmant *Paludan. Vill. Dian. Led. ap. Salm. c. 4. n. 63.* Idque admittunt *Trull.* et alii plures apud *Sanch. l. 7. c. 3. dub. 20. n. 12.* si inter Episcopum ordinantem, vel inter intiantium, et Episcopum proprium singularis amicitia intercedit. Sed veriùs negant *Sanch. n. 13. Bonac. p. 5. n. 28. Croix n. 2238. et Salm. cum Aver. Philib.* et aliis pluribus. Ratio, quia à Trident. ad tollendos errores et dissidia exigitur licentia expressa proprii Ordinarii: *Nisi de loci Ordinarii expressa licentia*, ut dicit Concilium *sess. 14. c. 2.* Episcopus autem bene poterit ratam habere talem Ordinationem, nec opus est recurri ad Summum Pontificem, quia ipse potest ordinatum absolvere à suspensione Ordinis suscepti, ut concedit Tridentinum; ita *Sanch. n. 15. Salm. l. c. cum Aversa, et Croix n. 2248. cum Delbene,* et aliis contra *Rebuff.* An autem sufficiat ratihabitio, sive licentia præsumpta de præsentis ad ordinandum Clericum alienum? Probabile mihi et aliis videtur id posse admitti, saltem sine culpa gravi.

Dubit. 2. An Episcopus, cui Dimissoriæ diriguntur, possit dispensare cum ordinando super irregularitate, aut alio impedimento canonico, super quo proprius Episcopus potest dispensare? Prima sententia affirmat, quam tenent *Sylvest. v. Dispensatio*



g. 9. n. 11. in *fin.*, et *Ang. Arm. ac Henr. apud Palauum de Censur. d. 6. art. 7. n. 21.* Quia ( ut aiunt ) eo ipso quod Episcopus dat licentiam alieno ordinandi, dat etiam dispensandi, cum dispensatio præmittenda sit Ordinationi suscipientis; idque colligant ex *cap. Præterea de offic. Jud. deleg.* ubi dicitur: « Ex eo quod » causa sibi committitur, super omnibus quæ ad causam ipsam » spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. » *Secunda* verò sententia probabilior negat, et hanc tenent *Palauus loc. cit. Mazz. tom. 3. p. 250. Sanch. l. 7. c. 1. dub. 27. n. 2. cum Nav. et de Matr. l. 8. d. 1. n. cum Sa, et Croix n. 2240. cum Diana.* Ratio, tum quia privilegia non extenduntur ultra casum expressum, tum quia in disparatis non sit illatio, quando facultas data non est cum alia necessario connexa: prout ( sapienter dicit *Sanchez* ) si Episcopus dat licentiam Parocho assistendi alicui Matrimonio, non ideo intelligitur dare facultatem dispensandi in impedimento, in quo ipse potest. Idque tantò magis valeret, si in Dimissoriis adderetur clausula: « Si » tamen alias nullum tibi obsistat impedimentum canonicum. » Ad textum autem supra allatum respondetur, quòd ibi agebatur de facultate necessaria cum data connexa, ut legenti patet.

Notandum quòd ordinandus debeat semper habere Litteras Testimoniales ab Episcopo originis, etiamsi in ætate infantili ab illius Diocesi discesserit, saltem ad testificandum de natalibus ac ætate, prout à S. C. resolutum refert *P. Zacharia apud Croix l. 6. p. 2. n. 2251.*

790. — Requiritur V. Examen de scientia. In hoc advertendum, quòd Tridentinum pro initiandis ad Ordines minores requirat, ut saltem linguam Latinam intelligant; ita in *sess. 23. c. 11.* ubi dicitur: « Minores Ordines iis qui saltem Latinam » linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. » Utrum autem Episcopus possit ordinare in minoribus Clericum, qui ignorat linguam Latinam, si spes sit fore ut postea addiscat? Affirmant *Innoc. Menoc. Turrecr. etc. apud Sanch. dub. 45. n. 10.* Sed meritò negant *Salm. c. 5. n. 43. in fine;* et ipse *Sanch. n. 14. cum Nav. et Salsedo.* Ratio, quia illud, nisi aliud Episcopo videretur, veriùs et communiter à DD. intelligitur tantum quoad interstitia, non autem quoad scientiam. Verùm non videtur improbabile cum *Sanchez, et Rebuff. ib.* quòd si ordinandus non adhuc sciat linguam Latinam quantum oportet, sed de brevi certò speretur fore ut addiscat, tunc poterit Episcopus eum ordinare; sed meliùs quidem meo iudicio faciet, si non ordinabit. II. Pro initiandis ad Subdiaconatum, et Diaconatum requirit Concilium *c. 13.* ut sint « litteris et iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Utrum autem licitè possit ordinari Subdiaconus, vel admitti ad Beneficium, qui adhuc nescit ordinare Officium divinum, sed probabiliter de brevi præsumitur instructum iri, ut promittit? Rectè affirmant *Sanch. c. 3. dub. 45. n. 6. et Salm. t. 5. n. 44.* Modò ( intellige ) interim ab alio

adjuvetur ad recitandum. III. Pro initiandis demum ad Sacerdotium vult Concilium *c. 14 et 25.* ut ipsi « ad populum docent » dum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac » ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, » idonei comprobentur. »

791. — Sed hic quæritur I. quomodo intelligenda verba illa, *ad ministranda Sacramenta?* *Pal. p. 8. n. 13. cum Vasq. et Con.* censet intelligi, ut presbyterandi sciant ea quæ requiruntur ad bene ministranda, non jam Pœnitentiæ, sed Baptismi, et Eucharistiæ Sacramenta. *Sanch. autem l. 7. c. 1. dub. 45. n. 16. cum Ledes.* intelligit, ut sciant quæ sit materia et forma cuiusque Sacramenti. Sed meliùs aiunt *Laym. tr. 9. c. 7. n. 1. et Salm. c. 5. n. 44. cum Aoersa, Rodr. et Philib.* presbyterandum debere quidem scire ea quæ spectant ad sacrificium, et Sacramenta Baptismi ac Extremæ Unctionis, quorum est minister: circa verò Sacramentum Pœnitentiæ non requiri in eo tantam scientiam quanta est necessaria Confessorio approbato. Unde infero quòd quilibet simplex Sacerdos debeat habere aliqualem scientiam circa materias magis obvias, quæ pertinent ad sacramentum Pœnitentiæ, saltem pro casibus necessitatis, in quibus Confessiones excipere tenetur. Et hoc est iuxta doctrinam S. Caroli Borromæi in *Concil. Mediol. 5.* ubi dictum fuit, quòd initiandus ad Presbyteratum, « circa Sacramentum Confessionis » aliquam ( saltem ) peritiam habeat. » Aliàs non videtur posse à gravi culpa excusari; etenim Innocentius XIII in *Bulla Apostolici ministerii,* confirmata à *Benedict. XIII ( apud Bened. XIV, Notif. 16 et 32 )* explicando præfatum textum Concilii, ( ut ait præfatus *Bened. XIV.* ), nullam aliam benigniorem interpretationem potuit ei dare, quam illam reducendo ad studium Theologiæ moralis. Et ratio est, quia, cum sit officium proprium cuiusque Sacerdotis pœnitentiam ministrare in necessitate, quisque Sacerdos debet scire ea quæ ad tale officium ritè peragendum spectant; ut clarè inferitur ex eo quod docet *D. Thom. Sup. quæst. 36. art. 2.* ubi ait: « Ad hoc quod homo » ordinis officium exequatur, oportet quòd habeat tantum de » scientia, quod sufficiat ad hoc, quòd dirigatur in actu Ordinis » illius...; ideo... talis scientia requiritur in eo, qui debet ad » Ordines promoveri. » Benignius quidem, ut notat *Natalis de Alex. ( de Ord. Reg. 22. )* agendum cum iis qui Religionem professi sunt vitæ contemplatiuæ, ut sunt Camaldulenses, Carthusiani, et similes. Secus verò cum aliis qui vitam activam profitentur; in his enim eadem scientia requiritur, qua egent alii Sacerdotes: « Aliqui ( addit *D. Th. l. c. ad. 1. )* ad Sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum » ( supra corpus Christi verum ) sicut Religiosi... et... talibus » sufficit si tantum de scientia habeant, quòd ea quæ ad Sacramentum perficiendum spectant, ritè servare possint. Alii » autem promoventur ad... actum supra corpus Christi mysticum...; unde scientia legis in eis esse debet, non quidem,

» ut sciant omnes difficiles quæstiones legis... sed ut sciant quæ  
» populus debet credere et observare de lege. » Et hoc quidem ex  
illo *Malach. 2. 7.* « Labia Sacerdotis custodient scientiam, et  
» legem requirent ex ore ejus. »

Unde concludo, quod promovendi ad Sacerdotium non possint  
tuta conscientia ad Ordinationem accedere, nisi sciant saltem  
universaliora principia, quibus solvant dubia saltem communiter  
occurrentia proximè moribundis; necnon tenentur distinctè scire,  
quomodo se gerere debeant circa moribundos, nempe quando  
possint eos absolvere? An in articulo, vel periculo mortis? et  
quali periculo? An præsentè Confessario approbato? An abso-  
lutè, vel conditionatè? Quando moribundum possint censere  
dispositum ad absolutionem? Quid debeant imponere illi, si  
habeat casus, vel censuras reservatas? Hinc consequenter Epis-  
copus, ne communicet peccato illius qui petit sine tali scientia  
ordinari, debet antequam ordinet certus fieri de tali ejus idonei-  
tate, vel saltem quod de brevi ille addiscet; alias nescio quo-  
modo posset esse tutus in conscientia. Tantò magis quòd undique  
constat hujusmodi ordinatos, post acceptum Presbyteratum,  
omne studium abjicere, eò quòd ad nullum aliud exponi debent  
examen, quod erat unicus omnium suorum studiorum scopus.  
Hic etiam advertendum id quod habetur in Concilio Later. IV.  
*Can. 10 et 11.* (apud *Habert t. 7. p. 484.*) ubi dicitur: « Præ-  
» cepimus tam in Cathedralibus, quàm in Conventualibus  
» Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coad-  
» jutores habere, non solum in prædicationis officio, verùm  
» etiam in audiendis Confessionibus, et penitentiis injungendis,  
» ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. »

Quærit. II. An illiterati sint omnino irregulares? *Nao. Man.*  
*c. 27. n. 205.* dicit inferri ex Trident. *sess. 23. c. 4.* esse irregu-  
lares, qui linguam latinam non intelligunt; *Garcia* autem et  
*Henriquez ap. Bonac. de Cens. d. 7. q. 2. punct. 1. n. 2.* censent illi-  
teratos non esse irregulares, ita ut non peccent, si in Ordinibus sus-  
ceptis ministrent; sed hos non posse sine culpa gravi Ordines  
suscipere. Alii verò cum sententia communi, quam tenent *Sanch.*  
*Cons. l. 7. c. 1. dub. 45. n. 3. Bonac. l. c. Tamb. eod. tit. tr. 4.*  
*c. 12. n. 1. Salm. de Ord. l. c. n. 49. cum Reg. Homob. etc. ac*  
*Pal. de Cens. d. 6. part. 10. n. 1. cum Suar. Toll. Fill. Sayr.*  
*et Avila,* probabilius docent, quòd illi qui sunt adeo rudes, ut  
ignorent etiam prima rudimenta grammaticæ, ita ut nesciant  
præstare ea quæ pertinent ad Ordinis exercitium, ad quod re-  
quiritur sanè scientia linguæ latinæ, ipsi sunt prorsus irregu-  
lares, et graviter peccant tam Ordines suscipiendo, quàm eos  
exercendo: et ut dicunt *Salmant. et Bonac. ll. cc. cum Azor.*  
*Suar. Fill. et Reg.* nec etiam Papa posset cum eis dispensare,  
quia hæc irregularitas non solum est de jure humano, sed etiam  
divino et naturali; ipsum enim jus naturale dictat non esse ad-  
mittendos ad aliquod munus qui nequeunt illud exercere. Pro-  
batur id ex *c. Illitteratus. Dist. 36.* ubi illitteratus (intellige

omnino illitteratus, ut ait ibi *Glossa*, nimirum qui nunquam  
grammaticam audivisset) arcetur à suscipiendis Ordinibus, pari  
modo ac corpore vitiatius. Advertit autem *Palau. l. c.* quòd  
illa tantum ignorantia irregularitatem inducat, quæ exercitium  
suscepti Ordinis omnino impedit: et sic pariter *Ronc. de Cens.*  
*v. ult. q. 6. A. 2.* dicit esse irregularem qui debite et congruè  
nequit Ordinem susceptum administrare. Advertunt etiam *Anacl.*  
*de Cens. q. 3. num. 26. Holzm. tom. 1. p. 320. n. 367. et Vioa de*  
*Irreg. q. 9. a. 4. n. 12.* quòd hæc irregularitas, sublata causa igno-  
rantia, de se tollatur sine dispensatione.

Quæritur III. An in regularibus ordinandis minor requiratur  
scientia quàm in secularibus? Pro iis qui sunt addicti ad vitam  
contemplativam, prout sunt Camaldulenses (ut diximus), Car-  
thusiani et similes, commune est inter DD. sufficere quòd isti  
sciant legere et canere, ac ea quæ pertinent ad Sacrificium, ut  
docet *D. Thomas* loco supra cit. dicens, quòd in Religiosis qui  
ordinantur ad altare, satis sit scientia, qua possint servare ea  
quæ ad Sacrificium spectant; et idem asserunt *Natal. de Alex.*  
*de Ord. Reg. 22. Esc. n. 289.* et alii passim. Difficultas est an  
idem dici valeat pro Religiosis aliorum Ordinum, qui sunt ad  
vitam activam instituti? Negat *Led. de Ord. c. 7. Conc. 4.* ubi  
dicit eandem scientiam requiri in Religiosis quàm in seculari-  
bus; imò majorem, quia Religiosi frequentius assumuntur ad  
ministeria proximorum; idque probabile putat *Escob. n. 294.*  
Sed communissimè affirmant *Salm. c. 5. n. 47. cum Scoto.* et  
*Philib. ac Barbosa Alleg. 46. n. 14. cum Syloest. Graff. Henr.*  
*Miranda, etc.* ac pariter probabile putant *Escob. n. 296. et*  
*Diana p. 2. tr. 16. R. 31.* Ratio, tum quia Regulares communiter  
ordinantur tantum ad chorum et altare; tum quia, si alia igno-  
rent, possunt postea ex sociis ea addiscere: et ab hac sententia  
non dissentit (ut vidimus) *D. Th.*, dum præfatam doctrinam  
tradens, generaliter loquitur de Religiosis. Id autem quod ait  
*Barb. cum aliquibus*, nempe quòd possint ordinari Regulares  
etiamsi quodammodo deficient in lingua latina, non audeo appro-  
bare; nam si in secularibus initiandis tantum ad Ordines minores,  
requirat Tridentinum quòd saltem linguam latinam intelligant,  
quomodo Regulares ordinari poterunt ad Sacerdotium, adhuc in  
lingua latina deficientes? Præterea, addunt *Salm. l. c. cum*  
*Rodr. et Henr.* pariter ac pro Religiosis, sufficere pro seculari-  
bus sacerdotibus, cantoribus, et similibus, ut sciant tantum legere,  
canere, et exequi ministeria Ordinis. An autem hæc doctrina sit  
verè et generaliter probabilis, nec audeo asserere: sapientibus  
me remitto.

792. — Hic autem advertendum 1. quòd Episcopus possit qui-  
dem sine examine Religiosos ordinare, acquiescendo testimonio  
suorum Prælatorum; sed bene etiam potest si velit eos examinare,  
ut rectè dicunt *Escob. n. 278. Mazz. tom. 3. p. 253. et Salm.*  
*c. 5. num. 46. cum Aversa, Mirand. etc.* Et de hoc non est am-  
plius dubitandum post Bullam *Bened. XIV* (allatam n. 768.),

204 LIB. VI. TR. V. DE EXTREM. UNCT. ET ORDINE. CAP. II.  
ubi statutum fuit Regulares examinandos esse ab Episcopo ordinante.

Advertendum 2. pro omnibus initiandis, quod Episcopus teneatur per se vel per alios eos examinare, nisi aliunde sit certus de ipsorum idoneitate per propriam notitiam, vel per communem opinionem; ita rectè etiam *Salm. c. 5. n. 46.* cum eisdem *AA. cit.* Ex omnibus autem prædictis insuper advertendum, quod esto Episcopus licitè possit petentes ordinare, si eam afferant scientiam, quam Tridentinum requirit; per hoc tamen non ideo ei prohibetur, quominus majorem exigit scientiam à suis subditis (nam pro alienis aliter sentiendum); maxime si illi ordinentur ad Ecclesiam alicujus amplæ civitatis, quia Concilium in iis, quæ circa scientiam præscripsit, tantum voluit modum ponere Episcopis, ne promoverent aliquem scientia præscripta carentem, non verò prohibuit, quin Episcopi majorem scientiam requirant, nisi necessitas loci aliud omnino postularet. Hinc sapientissime D. Fabritius de Capua Archiepiscopus Salernitanus (dignus perpetua memoria ob zelum in Clero reformando) nullum ad Sacerdotium admittebat, nisi prius eum rigoroso examine, etiam ad Confessiones audiendas idoneum dignosceret. Utinam hujus Præsulis exemplum omnes sectarentur! non quidem invenirentur tot Sacerdotes inutiles, imò et Ecclesiæ perniciosi, quia ex eo, quod tales rudes sunt, studium fastidiunt, et ideo in otio marcescentes ad vitia relaxantur. Hic etiam obiter advertendum, quod ex pluribus Decretis S. C. Concilii apud Bened. XIV. *Notif. 9. n. 16.* Episcopus de novo assumptus ad Episcopatum, ex justa causa bene possit examinare Parochos, etiam Regulares; ex quo infertur, quod tantò magis possit examinare Confessarios non curatos.

Requiritur VI. Titulus sustentationis; sed de hoc vide dicenda in §. II. ex n. 813.

795. — Requir. VII. Ut inferior Ordo ante superiorem suscipiatur: et aliter faciens, non solum graviter peccabit, sed etiam incurret suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, quousque Episcopus dispenset, ex *c. un. de Clerico per salt. ord.* Qui autem susciperet Ordines minores ante Tonsuram, peccabit etiam mortaliter, sed non incurret suspensionem; ita *Sanch. l. 7. c. 3. dub. 14. et Bon. part. 5. n. 11. c. 1. n. 37.*

Si verò quis susciperet Episcopatum ante Sacerdotium, invalide susciperet, ut docent *Suar. Sanch.* et alii communiter ap. *Salm. c. 1. n. 41.* Si autem quis susciperet Sacerdotium ante alios Ordines, posset quidem Episcopus fieri, et valide hic suum munus exerceret, non tamen licitè ante susceptionem Ordinis omissi.

794. — Requiritur VIII. Ut ordinetur tempore debito. Ordines majores conferri possunt tantum in Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante dominicam passionis, et Sabbato sancto; Ordines autem minores dari possunt in quolibet festo (modò sit de præcepto, ut explicavit Pontificale Rom.) si conferantur un-

vel duobus, ut habetur in *c. De eo, de Temp. Ordin.* ubi dicitur: «Licitum est Episcopis Dominicis, et aliis festivis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere.» Utrum autem liceat ordinare plures quam duos? Negat *Martin. à S. Joseph.*; sed communiter affirmant DD. modò generalis Ordinatio fieri non videatur; ita *Sanch. c. 1. dub. 52. n. 8. cum Innoc. Tab. Arm. Henr. Rebuff. Præp. Turrec. etc. Salm. c. 4. n. 78. cum Gran. Rensi p. 364. q. 8. cum Sylvest. Pal. Bass. Quint. ac Dian. p. 10. tr. 11. R. 68. cum aliis, et Glossa in dicto c. De eo, v. Ad duos, ubi dicit: «Numquid plures? utique, dummodo non videatur generalis Ordinatio.» Ratio est, quia verba textus non sunt apposita taxative, sed exemplificative. Præterea, dicunt *Fagnan. in d. c. De eo, n. 36. cum Host. Barb. All. 11. n. 21. Pal. part. 13. num. 2. cum Henr. Salm. c. 4. n. 78. cum Gran. et Laym. d. 8. c. 1. cum declaratione S. C. ap. P. Zachariam in adnot. ad Croix l. 6. p. 2. n. 2290.* Ordines minores posse conferri etiam publice in feria VI ante Sabbatum generalis Ordinationis (et etiam feria IV Quatuor Temporum, ut addit *Laym.*) modò adsit consuetudo, quam testantur *Palau, Salm. et Barbosa ll. cc. cum aliis*, jam esse receptam. Episcopi consecratio potest fieri quovis die Dominico, ex *c. Ordinationes. 1. et c. Quod die dist. 75. Et Diana p. 12. tr. 1. R. 61.* addit ex Pontificali, posse etiam in natalitiis Apostolorum conferri. Prima autem Tonsura quolibet die et loco conferri potest; *Cons. t. 10. p. 59. n. 13. et Sanch. dub. 50. n. 1.**

793. — Requiritur IX. Ut ordinetur per debita temporum interstitia, quæ sic servanda sunt. I. Ut ascendatur ab uno ordine minore ad alium, requiritur aliquod tempus, quod autem à Tridentino non fuit determinatum: sed in hoc bene potest Episcopus cum causa dispensare, dum in Concilio *Sess. 23. c. 11.* sic habetur: «Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.» Justæ causæ dispensandi videntur esse (ut ait *Escob. n. 443.*) vita solitaria Carthusianorum, ex Declar. S. C. item ætas ordinandi nimis propecta, causa studii, et arctatio beneficii recepti, ve recipiendi. Quale verò intervallum intercedere debeat inter unum et alterum ordinem minorem? *Majol. et Ugol. ap. Barbos. in l. c. Trident. n. 4.* putant sufficere intervallum de una Ordinatione generali ad aliam: sed *Sorbo, et Campanile ibid.* dicunt sufficere de uno festo ad aliud. Merito autem dicit *Barb. n. 5. cum Miranda, etc.* quod licet Episcopus possit dispensare in hoc ex quacumque causa, laudabilius tamen ager, si abstinebit à tali dispensatione. Præterea dicunt *Sylvest. v. Ord. 2. n. 7. ac Rebuff. Henrig. Campanile ap. Barb. num. 6.* et decisum refert *ibid. Armentarius.* non licere conferre Tonsuram simul cum aliquo Ordine minori (nisi adsit alicubi consuetudo); sed probabilius videtur oppositum, cum probabilius Tonsura non sit Ordo. II. Ut à minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur spatium anni ex *Tri. Ses. 23. c. 11.* ubi: «Hi verò non nisi post annum

» à susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros  
 » Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas  
 » iudicio Episcopi aliud exposcat : » *Ecclesiae*, id est Ecclesiae  
 cui adscribitur, ut patet ex *Trid. c. 13. Utilitas* autem intelligitur  
 illa quae quomodolibet conducit ad bonam Ecclesiae ut aiunt  
*Salm. c. n. 88.* Qui autem susciperet Subdiaconatum ante annum  
 sine dispensatione, graviter peccaret, sed nullam incurreret cen-  
 suram : vide *Salm. c. 4. num. 87 et 88. III.* Ut autem ascendatur  
 à Subdiaconatu ad Diaconatum, etiam requiritur spatium anni ;  
 ad quod tamen dispensandum ( ut rectè ait *Croix. n. 2297.* ) non  
 requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiae, sed sufficit quævis  
 rationabilis causa juxta iudicium Episcopi, ut patet ex eod. *Trid.*  
*dicto c. 13. ubi :* « Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem,  
 » si per annum saltem in eo sint versati, ad altiorem gradum,  
 » nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. »  
 IV. Ut demum ascendatur à Diaconatu ad Sacerdotium, ad  
 minus requiritur spatium anni ; adque hujus temporis dispensa-  
 tionem non sufficit Ecclesiae utilitas, sed etiam requiritur neces-  
 sitas, ex eod. *Conc. Sess. 11. c. 14. ubi :* « qui... ad Presby-  
 » teratus ordinem assumuntur... hi sint, qui... in Diaconatu ad  
 » minus annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem, ac neces-  
 » sitatem ( nota ) aliud Episcopo videretur, ministraverint. »

596. — Præterea notandum, quod ille qui eodem die duos  
 Ordines sacros exciperet, non solum graviter peccaret contra  
 præceptum Tridentini in *dict. cap. 13. ubi :* « Duo sacri Ordines  
 » non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis ac  
 » indultis quibusvis concessis non obstantibus ; » sed etiam incur-  
 reret suspensionem ab illorum exercitio, et in irregularitatem  
 incideret, ut patet ex *c. Innotuit de eo qui furtivè, etc. et c. Litteras,*  
*ac c. Dilectus de Temp. Ord. Hinc dicitur in cit. cap. Litteras,*  
 quod si quis in Sabbato susciperet unum sacrum Ordinem et  
 alium in Dominica, continuato jejunio, id est nulla coena facta,  
 etiam suspensionem incurreret ; tunc enim ( ut ait textus ) ex  
 fictione canonica vespera Sabbati et mane Dominicæ pro uno  
 die computantur ; secus verò, si jejunium non fuerit continua-  
 tum. Ex quo probabilior infert *Renzi p. 363. qu. 7. cum Nicolio*  
 quod si quis obtinuerit indultum suscipiendi Ordines sacros in  
 tribus diebus festivis, poterit, soluto jejunio in Sabbato Ordina-  
 tionis, suscipere unum et alium in Dominica sequenti, idque  
 decisum refert à *Sacr. Congr. die 25 Julii 1662.* Præterea infer-  
 runt etiam probabiliter *Sanct. lib. 7. c. 1. dub. 51. n. 4. Laym.*  
*c. 8. n. 9. Escob. n. 433. cum Suar. Majol. Villad. et Leand. ac*  
*Syloest. Henriq. etc. apud Croix n. 2291.* quod si Episcopus propter  
 infirmitatem, vel aliam causam non possit Ordinationem in Sab-  
 bato exercere, aut eam absolvere, poterit illam continuare in  
 Dominica ; modò ( ut aiunt ) continuetur jejunium tam ex parte  
 initiandi, quam ex parte Episcopi, ut rectè addit *Sanct.* Ad hoc  
 autem non quidem requiritur jejunium naturale, ut aliqui im-  
 probabiliter sentiunt, sed sufficit ecclesiasticum, quia textus de

hoc clarè loquitur, ut rectè dicunt *Sanct. n. 5. cum Sylo. et*  
*Tab. et Escob. n. 436. cum Marchino, et Leand.*

Sed hic dubitatur 1. An suspensio prædicta sit latae sententiæ ?  
 Negant *Diana p. 5. tr. 10. R. 36. et Villal. apud Escob. n. 448.*  
 Sed rectè affirmant *Nav. c. 27. n. 241. Bonac. de Cens. q. 1. §. 1.*  
*n. 450. cum Suar. Sayr. Molf. Turrian. Marchino, etc.* Idque patet  
 ex *d. cap. Litteras*, ubi sic dicitur : « Ab executione officii Sa-  
 » cerdotalis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo  
 » disponatur. » Hæc tamen suspensio incurritur tantum ab ultimo  
 Ordine suscepto, ut bene infert ex præfatis verbis *Escob. n. 450.*  
*cum Suar. et Molf.*

Dubit. 2. An qui suscipit duos Ordines sacros, non servatis  
 interstitiis, suspensionem incurrat ? Respondetur : Qui ordinatur  
 continuatis diebus extra tempora, incurrit quidem suspensionem  
 ex *Bullis Sixti V et Clem. VIII.* prout incurrit etiam qui ordi-  
 natur sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam ætatem ; vide  
*Tambur. l. 7. c. 11. §. 1. n. 3.* Qui verò ordinatur diversis diebus  
 non servatis interstitiis, sed legitimis temporibus, peccaret qui-  
 dem graviter, sed suspensionem probabilis non incurrit, ut di-  
 cunt *Bonac. d. 8. p. 5. n. 35. Barbosa in Trid. sess. 23. c. 15.*  
*n. 11. Croix n. 2302. Renzi p. 360. q. 1. cum Suar. Tamb. l. c.*  
*cum Pal. Salm. c. 4. numer. 87. cum Turrecrem. et Escob. n. 457.*  
*cum Nav. Villal. March. etc. et Cabassut. T. J. c. 16. n. 11. cum*  
*Navar. et Sayr. ( contra Dian. p. 4. tract. 2. Resol. 55. )* Licet enim  
 Sixtus V in quadam Extravag. poenam suspensionis impo-  
 suerit, tamen illa, respectu ad nostrum casum, sublata fuit à  
 Clem. VIII in *Bullar. tom. 3. fol. 40.* ut refert *Tambur.*  
*loc. cit.*

797. — Qui autem eadem die susciperet quatuor Ordines mino-  
 res unà cum Subdiaconatu, etiam peccaret graviter, ut habetur  
 ex *c. 2. de eo qui furtivè, etc.* ubi dicitur : « Quatuor minores Or-  
 » dines contulisti, quibus non contentus Subdiaconatum etiam  
 » temerario ausu recepit... Mandamus quatenus eum in mino-  
 » ribus duntaxat celebrare permittas. » Dicit autem *Vasq. ap.*  
*Salm. c. 4. n. 80.* præfatum textum fuisse revocatum ex *Trident.*  
*sess. 23. c. 13.* ubi Concilium tantum inhibuit duos sacros Or-  
 dines simul conferri ; sed hæc doctrina communiter non recipi-  
 tur, nam Concilium id præscribendo textum non revocavit, sed  
 illum in suo vigore reliquit. At hic dubitatur 1. an ab hac pro-  
 hibitione excuset consuetudo contraria, si alicubi vigeret ? Negant  
*Syloest. Tol. Reg. etc. ap. Escob. n. 444.* Sed verius affirmant  
*Nav. c. 25. n. 71. Suar. de Censur. dist. 31. sect. 1. n. 41.* ( qui  
 affert de hoc *Decr. S. C. ) Holzm. n. 86. Salm. c. 4. n. 80. cum*  
*Vill. Marchino, Leand. etc. ac Escob. n. 445. cum S. Ant. Sayr.*  
*Molfes. Rodrig. et Miranda ;* quia hujusmodi consuetudo nullibi  
 videtur reprobata.

Dubit. 2. Utrum taliter ordinatus, ubi non adest contraria  
 consuetudo, incurreret suspensionem ? Affirmat *Bonac. de Censur.*  
*d. 3. p. 5. §. 1. n. 4.* Sed probabilis negant *Escob. n. 450. et*

*Suar. l. c. n. 40.* quia Pontifex in dicto *c. 2.* tantum præcipit Episcopo, ne permittat ordinato ministrare, non autem eum suspendit. Merito tamen dicit *Navar. Man. c. 27. n. 241.* contra *Suar.* hunc fieri irregularem quoad Ordines superiores suscipiendos, dum ibi sic subditur: « Si verò (ordinatus) domum religiosam intravit, et mores ejus exegerint, Abbas (si voluerit) in aliis poterit Ordinibus dispensare. » Si igitur indiget dispensatione, erit hic quidem irregularis ad alios ordines recipiendos.

Dubit 3. an Regulares possint ex licentia suorum Prælatorum ordinari extra tempora? Negant *Vasq. Suar. Lez. Peyr. etc. ap. Escob. n. 464.* quia licet Greg. XIII hoc privilegium concesserit Soc. Jesu, tamen expressè prohibuit, quominus aliæ Religiones in eo communicarent. Sed verius affirmant *Laym. c. 8. num. 2. Barbosa Alleg. 17. n. 6. Escob. n. 466. cum Machad. Leand. Delacruz, Diana, etc. ac Salmant. c. 4. n. 83 et 84. cum Aversa, Philib. Portel. et Rodr.* Ratio, quia post Greg. XIII, Clem. VIII absolutè hoc privilegium concessit omnibus Mendicantibus, et Urb. VIII concessit Ordini Discalceatorum SS. Trinit. ut fert *Escob. num. 465.* Et novissimè Bened. XIII (apud Bened. XIV, *Notif. 23. n. 5.*) in Concilio R. tit. 5. c. 2. hoc privilegium confirmavit dicens: « Quo verò ad Regulares, privilegia à Pontificibus habentes, sive expressè, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi cum privilegia ipsa in suo robore persistent, nec iis derogatum fuisse constat, decernimus perinde Regulares eosdem absque novo Indulto Apostolico tutè posse extra tempora ordinari. »

Dubit 4. an Regulares, cum ordinantur extra tempora, possint ordinari in quovis festo duplici, esto non sit de præcepto. Affirmant *Diana p. 5. tr. 23. R. 97. et Præpos. Fagund. Villal. et Homob. ap. Escob. num. 470. item Suar. Steph. et Manuel. ap. Barbosa. Alleg. 17. num. 7.* qui id probabile putat. Et idem dicit *Croix n. 2293. cum Gobat. Tamb. etc.* de iis qui ex indulto ordinantur extra tempora in tribus diebus festivis. Ratio, quia Alexander VI, loquens de initiandis per hoc privilegium, dixit posse ordinari *tribus diebus Dominicis, sive duplicibus*: non autem dixit de præcepto, sed tantum *duplicibus* (ad differentiam semiduplicium) diebus, qui ut plurimum non sunt de præcepto. Sed negant probabilius, ut videtur, *Escob. num. 472. Azor. part. 2. lib. 1. cap. 27. q. 19. et Lugo Resp. Mor. lib. 1. dub. 36.* dicentes eos non posse ordinari nisi in festo de præcepto, in quo populus vacat ab operibus servilibus. Ratio, tum quia Greg. XIII loquendo de hoc eodem privilegio, dixit *diebus Dominicis; et festivis diebus*, non *festivis duplicibus*, tum quia dies festivus in sua propria significatione denotat diem feriatum, ut explicat Ambrosius Calepinus verb. *festus dies*. Et licet in Rubricis Missalis, et Breviarii festum accipiatur, prout distinguitur à feriis, in jure tamen festum accipitur ut dies, in qua vacatur ab operibus la-

boriosis. Hæc quidem secunda sententia est tutior, et videtur probabilior; sed primam non audeo reprobare, et dico standum esse consuetudini, quæ est optima legum interpretis.

Notandum autem hic, quòd ii qui obtinent à Papa licentiam suscipiendi Ordines sacros extra tempora in tribus diebus festivis, non egent Dimissoriis sui Ordinarii, sed tantum testimonialibus, sine quibus ordinans incurreret suspensionem per annum à collatione Ordinum, et ordinatus suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinis suscepti; ita habetur in Tridentino *sess. 23. c. 8.* Ubi tamen notandum, quòd hoc dicatur de eo qui obtinet indultum suscipiendi Ordinem à quocumque Episcopo; aliàs etiam à proprio debet ordinari, vel ab eo Dimissorias ad alium accipere. Licentia autem suscipiendi Ordines sacros in tribus diebus festivis intelligitur, ut dies sint interpolati, prout refert *Croix num. 2301. declaratum à S. C.*

798. — Requiritur X. Locus pro collatione Ordinum, de quo in Trid. *sess. 23. c. 8.* sic habetur: « Ordinationes sacrarum Ordinum statuta à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis presentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrantur. Sin autem in alio Diœcesis loco, præsentè Clero loci, dignior (quantum fieri poterit) Ecclesia semper adeatur. » Scio tamen plures Episcopos etiam Ordines sacros solere in privato Sacello conferre: fortè hodie sic usus habet.

Adde nomine loci etiam requiri existentiam Episcopi in propria Diœcesi: nam, si ipse conferret Ordines in Diœcesi aliena, incurreret suspensionem ab exercitio Pontificalium, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti, ex Trid. *sess. 6. c. 5.* Hoc tamen rectè dicunt *Salm. c. 4. n. 75. cum Bonac. Philib. Vill. Henr. etc.* non intelligi de collatione primæ Tonsuræ, cum hæc sine Pontificalibus conferatur. Si autem Episcopus rogatus ab alio, in ejus Diœcesi generalem Ordinationem habeat, poterit ordinare non solum subditos suos, sed etiam aliarum Diœcesium, ut *Salm. n. 76. cum iisdem AA. et communi*; quia Tridentinum *l. c.* hoc prohibuit casu tantum quo aliquis Episcopus, prætextu cujusdam privilegii, vellet in alterius Diœcesi ordinare sine illius licentia. An autem Ordinatio debeat fieri ab Episcopo celebrante? vide dicta *n. 744. Not. II.*

799. — Requiritur XI. Etas. In quo notandum I. quòd pro prima Tonsura requiratur ut initiandus polleat usu rationis, et ideo saltem sit septennis, ut dicit Bened. XIV in Bulla, *Inter sollicitas*, an. 1745. §. 19. Sed in Concordato nostri Regni requiritur ætas saltem 10 annorum. Pro Ordinibus minoribus nulla in jure assignatur ætas; solent tamen conferri (ut ait idem Bened. XIV. *ib.*) ab an. 7. ad 14. Pro Subdiaconatu verò statuitur annus 22, pro Diaconatu 23, pro Sacerdotio 25. Ita in Trid. *sess. 23. c. 22.* Sufficit autem ut annus præscriptus sit inceptus; ita communiter omnes, vide *Salm.* Idque colligitur ex ipso Concilio *sess. 24. c. 12.* Præterea, pro Episcopatu requiritur annus 30, et idem dicitur pro Cardinalatu, quamvis ex concessione Sixti V,

Cardinales Diaconi possint esse ætatis suæ an. 22. vide *Salm. c. 5. n. 3.* Pro beneficiatis autem requiritur annus 14, ex *Trid. sess. 23. c. 6.* Sed si beneficium sit curatum, requiritur annus 25 saltem inceptus, *Trident. sess. 24. c. 12.* Pro Canonicis in Cathedralibus requiritur annus 22 inceptus, *Trident. sess. 22. c. 4.* In Collegiatis verò sufficit annus 14, cum in jure nihil pro eo sit statutum; *Salm. cap. 5. n. 38.*

Notandum 2. quòd is, qui sine legitima ætate scienter ordinatur, incurrat suspensionem perpetuam ipso facto ab exercitio Ordinis suscepti, et Papæ reservatam, ut habetur in Extravag. Pii II, quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, et refertur in extensum à *Barbosa Alleg. 17. n. 11.* Eam autem S. Pius V et Sixtus V auerunt, et Clemens VIII confirmavit, ut refert *Escobar num. 265.* Si verò prædicta suspensio occultè sit contracta, tunc poterit Episcopus delinquentem ab ea absolvere, ex concessione *Tridentini sess. 24. c. 6.* ut dicunt communiter *Bonac. de Censur. D. 3. p. 5. n. 2.* et *Salm. de Ord. c. 5. n. 39.* cum communi.

Sed hic dabitur 1. An incurrat præfatam suspensionem qui ex ignorantia crassa (non tamen affectata) ordinatur ante legitimam ætatem? Affirmant *Laym. tom. 9. cap. 20. num. 2.* et *Bonac. l. c.* Sed communiùs et probabiliùs negant *Naogr. Man. c. 27. n. 156.* *Suar. de Cens. D. 31. sect. 1. Tol. l. 1. c. 48. n. 7.* *Barbos. All. 16. n. 15.* *Escob. n. 270. cum Con. Præp. Rodr. et Avila, ac Salm. c. 5. n. 39. cum Trull. Aversa, Dian. Vill. etc.* Ratio, quia talis suspensio imposita est à Pio II in temerario (dum utitur verbo *temeritatem*), quales non sunt qui peccant ex sola ignorantia supina, ut dicemus *l. 7. de Censur. n. 47 et 48.* Hinc dicunt præfati AA. quòd taliter ordinatus, completa ætate, bene potest Ordinem susceptum exercere; si verò ante illam exerceret, peccaret, sed non incurret irregularitatem.

Dabit. 2. An qui mala fide susceperit Ordinem ante ætatem, possit exercere Ordinem postquam ætatem compleverit, sine absolutione à suspensione incurra? Affirmant *Sotus, Corduba, et Medina ap. Escob.* Sed veriùs id negant *Barbosa All. 16. n. 15. cum Miranda, et Escob. n. 26. cum Bon. Henr. Marchin. Rodr. et Diana.* Ratio, quia censura jam contracta non tollitur nisi per absolutionem.

Dabit. 3. An incurrat irregularitatem qui ante legitimam ætatem suscipit Sacerdotium? Prima sententia affirmat, quam tenent *Bonac. dist. 8. de Sacram. q. un. p. 5. n. 13.* et *Barb. All. 16. n. 16. cum Coe. Nav. Salled. et Sorbo.* Ratio, quia hic celebrando cum Episcopo ordinante verè hostiam consecrat (ut docet *D. Th. 3. p. q. 82. ar. 2.*) et ideo jam exercet Ordinem cum suspensione susceptum. Secunda verò sententia communior, et valde probabilis negat, et hanc tenent *Suar. de Censur. dist. 31. sect. 1. n. 71. Conink dist. 16. n. 36. Diana p. 5. tr. 10. R. 37. Escob. n. 283. cum Syloest. Med. Ugolin. Quaranta, Naldo, Homob. Marchin.; item Sayr. Avila; Henr. etc. ap. Barbos. l. c.* Ratio 1. quia consecratio illa non censetur actus moraliter

distinctus ab ipsa Ordinatione; sicut enim tota Ordinatio Episcopi à principio usque ad finem est unus actus moralis, ita et ordinati; unde non videtur æquum, quòd ipse una actione moraliter duplicem incurrat pœnam, nempe suspensionem, et irregularitatem. Ratio 2. quia in citata Extravag. Pii II. (apud *Barbos. All. 17. n. 11.*) sic dicitur: *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint; et si, hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Quo verbo durante videtur Pontifex supponere irregularitatem incurri tum solùm, cum incursio suspensionis jam moraliter tempore præcesserit Ordinis exercitium. Item, cum Pontifex imponat irregularitatem in præsumentes, minimè videtur comprehendere hunc, qui non ex propria electione, sed ex necessitate Ordinationis debet cum Episcopo concelebrare. Referuntque *Suar. n. 74. et Escob. l. c.* hujusmodi Ordinos ex stylo Cancellariæ non reputari irregulares, cum ipsi tantùm à suspensione absolvantur. Et idem dicunt *Suar. n. 72. ac Escob. et Diana ll. cc. cum aliis*, de Diacono, vel Subdiacono, qui cum tali suspensione in eadem Ordinatione canit Evangelium, aut Epistolam. Et idem dicendum de eo qui suspensionem incurrit, cum ordinatur per saltum, vel extra tempora, vel sine dimissoriis proprii Episcopi, vel eadem die suscipit duos Ordines sacros, aut Ordines minores cum Subdiaconatu, juxta supra dicta.

Utrùm autem incurrat irregularitatem qui tantùm ordinatur cum excommunicatione priùs contracta? Affirmat *Bon. de Irreg. d. 7. q. 3. part. 4. n. 1. cum Naogr. Tol. Henr. Sayr. etc. ex cap. Cum illorum, de sent. excom. et c. 1. De eo qui fuit.* Sed probabiliùs negant *Suar. de Cens. dist. 41. s. 3. n. 2. et Bened. XIV de Syn. l. 12. c. 3. n. 6. cum Tamb. Diana, Lez. Gibal. etc.* et ita refert sensisse S. C. Ratio, quia ex præfatis textibus non expressè colligitur, quòd talis sit irregularis, sed tantùm quòd sit suspensus; pro cuius tamen suspensionis absolutione etiam ad Papam debet recurri, ut advertit *Tourn. t. 2. de Cens. p. 106. cum Gibert;* intellige, si suspensio sit publica; nam aliàs potest absolvi ab Episcopo juxta *c. Liceat sess. 24. Trident.* Tantò magis autem non incurret irregularitatem qui suspensus vel interdictus suscipit sacrum Ordinem; in hoc consentit etiam *Bon. l. c. n. 2. cum Sayr. Filliuc. et aliis.* Hoc tamen intelligendum, si taliter ordinatus Ordinem non exerceat in ipsa Ordinatione, nam si v. g. aliquis Diaconus, vel Subdiaconus accedat ad Ordinationem jam antecedenter aliqua irrelitibus censura, et in Ordinatione susceptum Ordinem exerceat, canendo Evangelium vel Epistolam, irregularitatem non effugiet, ut rectè ait *Tourn. d. t. 2. p. 107. ver. Si quis.* Ratio, quia tunc jam exercet Ordinem cum censura priùs contracta. Idemque meritò ait *Tourn. cum Avila* procedere de Sacerdote, qui concelebrat cum Episcopo, contra *Sayr. et Laym. de Irreg. c. 3. n. 5.*

300. — Notandum 3. quòd ætas computanda sit non à die Baptismi, sed nativitatis, ut constat ex *c. 3. et aliis, Dist. 77.* Vide

*Croix* n. 2306. Dubitatur autem 1. An quis mane diei, in cuius vespera complet ætatem requisitam, possit ordinari? Affirmant *Dian. part. 9. tr. 9. R. 50. Salm. c. 5. num. 31. cum Ledesma, et Philiber. ac Escobar n. 264. cum Trull. et Marchin.* tum quia minimum pro nihilo reputatur; tum quia dies inceptus in favorabilibus habetur pro completo; tum etiam quia vespera et mane moraliter sumuntur pro una die. Sed probabilius id negant *Croix n. 2309. cum Nap. et Vill;* item *March. Pasq. et Narbona ap. Escob. n. 261.* Ratio, quia v. g. pro Subdiaconatu ætas debet esse annus 22 inceptus; unde qui annum 21 non verè complevit, minime potest dici annum 22 attingisse.

Dubit. 2. An dies anni bissextilis possit excludi in supputanda ætate Ordinandorum? Affirmant *Barb. Henriq. Sylvest. etc. ap. Salm. c. 5. n. 32,* quia annus requisitus intelligitur per se annus ordinarius, nempe constans 365 diebus. Sed verius negant *Bon. d. 8. q. un. p. 5. n. 14. Sanch. de Matr. d. 24. n. 22. et Escob. n. 286. cum March. Molf. Dic. et Dian.* Ratio, quia ad ætatem requisitam anni sunt computandi juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ rectè statuit de quatuor in quatuor annos addi unum diem, propter horas quæ in quolibet anno supersunt.

Certum est autem quòd Episcopi nullo modo possint in ætate dispensare; verumtamen dicit *Croix n. 2314.* hodie ex speciali privilegio posse Episcopos dispensare ad certum tempus saltem pro beneficio curato, ubi est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

801. — Requiritur XII. insuper ad suscipiendos Ordines, ut initiandus exercuerit Ordinem prius susceptum in Ecclesia, ubi est adscriptus, ex *Trid. sess. 23. c. 11 et 13.* Sed putant *Salm. c. 4. n. 74,* hoc non esse de præcepto gravi, cum verba Concilii magis sint consultiva quam præceptiva, nempe illa: *At in unoquoque Ordine juxta præceptum Episcopi se exercent, etc.*

Requiritur XIII. prout præscribit Pontificale, ut Ordinandi Eucharistiam accipiant: sed hoc non sub mortali, ut ait *Croix n. 2225. cum Gob.* Imò nec sub levi tenentur communicare initiandi ad Ordines minores, ut dicit idem *Croix* cum communi ut asserit. Presbyteri autem verius tenentur communicare sub mortali, cum ipsi verè celebrent cum Episcopo, ut diximus ex *D. Th. num. 799. Dub. 3.*

Requiritur XIV. probitas vitæ; sed de hac jam locuti sumus in *Tract. de Sacram. in gener. ex n. 65.* et iterum mox loquemur agendo de vocatione ad sacrum ministerium.

802. — Requiritur XV. vocatio divina, de qua, cum sit res tanti momenti, unde pendet æterna salus tam Ordinandorum quam populi christiani, mirum est quòd tot Morales Scriptores nullam verbum faciant, præter paucos, inter quos fusè et egregiè signanter scripserunt de hoc puncto *Habert tom. 7. ex p. 433. et P. Conc. tom. 10. ex p. 42.* Quàm necessaria sit hujusmodi vocatio, patet ex SS. Patribus, et ex ipsis sacris Scripturis, et præsertim ex illo *D. Pauli ad Hebr. c. 5. v. 4.* ubi: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic et*

*Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.* Unde Apostoli, ut in locum Judæ alium surrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu Domine, ostende quem elegeris.* Et ipse Christus *Joan. c. 10. v. 1 et 2.* dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium... fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium,* qualis est quidem quisvis Sacerdos, dum cuius Sacerdoti committitur incumbere saluti animarum. Et rursus *Jo. c. 15. v. 16.* *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos... ut fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Rursus *Luce c. 10. v. 2.* *Rogate... Dominum messis, ut mittat operarios suos in messem suam.* Illi igitur qui non vocati à Deo in sacra ministeria se intrudunt, ipsi sunt de quibus per Jeremiam (23. 21.) inquit: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant.* Quo quidem hominum genere, ut ait Catechismus, nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius esse potest.

Præcipua autem signa divinæ vocationis ad statum ecclesiasticum sunt. I. Scientia conveniens, de qua jam egimus n. 790. II. Probitas vitæ; de qua loquens Trident. sess. 23. c. 12. sic ait: *Sciant... Episcopi... debere ad hos Ordines assumi dignos duntaxat, et quorum probata vita innectus sit;* juxta illud (1. Sap. 4. 9.): *Ætas senectutis vita immaculata.* Hinc Apostolus 1. Tim. 3. prohibet ordinari neophytos, id est (ut explicat in *d. loco D. Th.*) *qui non solum ætate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione.* Quapropter idem *S. Doctor 2. 2. q. 189. ar. 1. ad 3.* dicit: *Ordines sacri præexigunt sanctitatem.* Et *Suppl. q. 35. ar. 1. ad 3.* ait: « Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens. » Hanc rationem de hoc assignans: « Ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. » Unde sic concludit: « Et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiat ad hoc, quòd dignè communerentur in plebem Christi. » Idque prius dixit *S. Dionysius c. 3. de Eccles. Hierar.*: « in divino omni non audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit Deiformissimus, et Deo simillimus. » Qui autem habet sanctitatem ordinariam, nempe solam gratiam habitalem, non potest quidem dici secundum omnem habitum suum Deo simillimus. Ad hoc facit etiam illud celebre *D. Aug. dictum:* « Aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum. » Et illud aliud *D. Hieron. ad Rusticum:* « Sic vive in Monasterio, » ut Clericus esse merearis. » Unde scripsit *S. Joan. Chrysost. l. 2. de Sacerdot. c. 2.* *Multò major vitæ integritas huic (id est Clerico), quàm illis (nempe Monachis) necessaria.* III. Signum est recta intentio, nimirum desiderium vacandi divinæ gloriæ, et saluti animarum, non autem (ut ait *D. Bernardus Declam. in Evang. Ecce nos, etc.*) « honorem quærendi proprium, aut corporis voluptatem, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. »

803. — Qui autem sine vocatione, ex talibus signis explorata, in sacrum ministerium se intrudit, non potest quidem à gravi

præsumptione excusari. En quomodo S. Anselmus (*in cap. 5. ad Hebr.* super illud Apostoli, *Nec quisquam sumit, etc.*) de hoc loquitur: « Qui enim se ingerit, et propriam gloriam quærit, » gratiæ Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, » sed maledictionem. » Et ratio hujus eruitur ex eo quod docet *D. Th. p. 3. q. 27. ar. 4.* ubi: « Illos quos Deus ad aliquid eligit, » ita præparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inve- » niantur idonei, secundum illud (*2. Cor. 3.*) Sufficientia nostra » ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti. » Ergo ille, qui non ex Deo eligitur, sed ipse se ingerit, non erit idoneus minister; ideo sapienter ait *Habert de ord. c. 1. §. 2.* quod iste « non sine magnis difficultatibus poterit saluti suæ con- » sulere, manebitque in corpore Ecclesiæ, velut membrum in corpore humano suis sedibus motum, quod servire potest, sed ægrè, et cum deformitate. » Unde concludit: « Licet absolute loquendo salvari possit, difficulter tamen ingrediatur viam, et apprehendet media salutis. » Cum autem hic magno periculo damnationis se exponat, nescio quomodo à culpa gravi excusetur. *Qui sciens* (ait doctissimus Episcopus Abelly *in Opusc. Sacerdos Christian. c. 4.*), « nulla divinitus vocationis habita ratione, se in » Sacerdotium intruderet, haud dubiè seipsum in apertum salutis » discrimen injiceret, peccando scilicet in Spiritum sanctum; » quod quidem peccatum vix, aut rarissime dimitti ex Evangelio » discimus. »

Huic quidem discrimini tantò magis se committunt Episcopi illi, qui non vocatos ad Ordines sacros promovent, ex illo Apostoli (*1. Tim. c. 5.*): « Manus citò nemini imposueris, neque » communicaveris peccatis alienis. » Quæ verba exponens S. Leo *Epistol. 1. (aliàs 87.) ad African. 2.* dicit: « Quid est com- » municare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis » est ille, qui non meruit ordinari? » Hinc Tridentinum *sess. 23. c. 7.* præcipit Episcopo, ut antequam suos subditos ad Ordines promoveat, institutionem, mores, doctrinam... diligenter investi- get, et examinet. Undique enim in Jure Canonico præscribitur, et signanter in *c. Nullus dist. 24.* ut, *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.* Unde sapienter advertit *D. Bernar. ad Ordines* admittendos esse tantum probatos, non probandos. Ad hanc autem probationem ab Episcopo exquirendam, non quidem sufficit quod ipse nihil mali noverit de Ordinando, sed debet fieri certus de ejus positiva probitate, juxta sublimitatem gradus, ad quem ille inhiat ascendere, ut communiter dicunt *Sotus 4. Sent. Dist. 25. q. 1. n. 3. Sanch. Conf. c. 1. dub. 46. n. 1. Salm. de Ord. c. 5. n. 41. Holz. eod. tit. n. 46.* et fusiùs *Hab. Merbes. Conc. et alii cum D. Th. sup. q. 36. art. 4. ad 3.* ubi dicit: « Ad minus (id est non solum, ut bene explicat Glossa) hoc requiritur, quod » nesciat Ordinans aliquid contrarium sanctitati in Ordinando » esse, sed etiam exigitur ampliùs, ut secundum mensuram Or- » dinis, vel officii injungendi, diligentior cura apponatur, ut » habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex

» testimonio aliorum. » Qualitas autem promovendorum est illa, quam expressit idem S. Doctor in *2. 2. q. 189. ar. 1. ad 3.* ubi dixit: *Ordines sacri præexigunt sanctitatem....; unde pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis* (nempe ut addit) *ab humore vitiorum.* Et N. SS. P. Bened. XIV in Bulla *Ubi primum*, sapientissimè sic Episcopus alloquitur: « Studiosa et magna adhibita diligentia investigandum à vobis » est, an eorum, qui priorum susceperint ministeria, talis fuerit » vivendi ratio, et in sacris scientiis progressio, ut verè digni » judicandi sint, quibus dicatur, ascende superius; cum alioquin » expediat in inferiori gradu, potiùs aliquos manere quàm cum » suo majori periculo, et aliorum scandalo ad altiorem pro- » vehi. »

De tali etiam probatione loquens S. Jo. Chrysost. *Homil. 16. in Tim.* dicit: *Quid est illud cito? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imposito manus. Neque ea res periculo caret; eorum quæ ille peccaverit, tu quoque penam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum.* Qua de re Episcopi in hac probatione expectanda non debent esse contenti simplici attestazione Parochorum, qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile Clericis indulgent, ne in se attrahant ipsorum odium, eorumque propinquo- rum; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent, non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequen- tando ludos, pravas conversationes, etc., sed etiam quod ille sit positivè bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet et Orationem, vivat à secu- laribus segregatus, sociis morigeratis comitetur, studio vacet, modesta utatur veste, etc. Quod si Prælati sciverit Clericum alicujus publici scandali nota intinctum fuisse, tunc non satis erit communem probationem de eo exigere, sed opus erit pluri- annorum experientia emendationem ejus comprobare; justè enim tunc metuere debet ne ille pietatem affectet, ut ad Ordines per- veniat, quibus susceptis, ad pristinam redibit pravitatem. Dicit aliquis: Si hoc observaretur, deficerent utique in Ecclesia ministri. Rectè respondet ad hoc idem Bened. XIV in bulla supra citata ex Conc. Lateran. « Melius est pauciores habere ministros, » sed probos, atque utiles, quàm plures qui nequidquam sunt » valituri. » Utrum autem sit semper deneganda à Confessario absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui vult ad Ordines sacros ascendere, sine prævio continentiæ experimento? Vide dissert. de hoc puncto positam in *tr. de Sacram. ex n. 63. 804.* — Si autem vocatio divina necessaria sit ad Sacerdotium, magis erit necessaria ad officia Episcoporum, et Parochorum, de quibus loquens *D. Th. 2. 2. q. 185. art. 1.* dicit: « Appetere... » Episcopatum ratione... circumstantium honorum... est illicitum... ad celsitudinem gradus appetere Episcopatum est præ-



» sumptuosum... sed appetere proximis prodesse, est secundum  
 » se laudabile. Verum, quia, prout est Episcopalis actus, habet  
 » annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur quod  
 » aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi mani-  
 » festa necessitate imminente. « Id confirmavit N. SS. P. Be-  
 » ned. XIV, in Bulla novissimè edita die 12 Apr. 1753 quæ in-  
 » cipit, *Inclytum*, inquit: « Nec unusquisque ignorare debet, à  
 » peccati culpa immune non esse desiderium ipsum Episcopatus,  
 » quia quamvis desiderium aliis juvandi laudabile est, tamen cum  
 » hoc adjuvamentum præstari non valeat sine ipsa Episcopatus  
 » sublimitate, ut plurimam ex vitio insitæ præsumptionis ortum  
 » habet. »

803. — « Quæres quæ sint officia Ordinatorum ?

« Resp. I. Ostiarii est claves templi servare, aperire et clau-  
 » dere ejus januas; arcere eos, quibus non licet interesse sacris;  
 » campanas pulsare; quæ intra Ecclesiam sunt, custodire; ei,  
 » qui prædicat, aperire librum. II. Lectoris munus est legere in  
 » Ecclesia lectiones veteris et novi testamenti: item docere  
 » catechumenos rudimenta fidei christianæ. \* (*Item panem et*  
 » *noos fructus benedicere. Salm. c. 3. num. 14. Non autem præ-*  
 » *dicare, ut communiter Salm. ibidem contra Vasq.*) \* III. Exor-  
 » cistæ munus est manus imponere supra vexatos à spiritibus  
 » immundis, ad illos adjurandos, et ejiciendos; item ad exor-  
 » cizandos catechumenos. \* (*Tenent Suar. et Sanch. contra*  
 » *Philip. omnes fideles posse exorcizare; quamvis hoc magis*  
 » *possint ordinati ad hujusmodi munus ab Ecclesia: et ideo hi*  
 » *solum solemniter illud exercere valent. Vide dicta Tom. 2.*  
 » *l. 3. de Adjur. ex n. 193. App. ad n. IV.*) \* IV. Acolythi mu-  
 » nus est præparare ampullas vini et aquæ ad Sacrificium  
 » Missæ, et porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem Sacri-  
 » ficium, et illi ministrare, unde et Ceroferrarius dicitur. V. Sub-  
 » diaconi munus est immediatè subordinari Diacono ad Sacri-  
 » ficium Missæ, calicem et patenam illi tradere, urceolum cum  
 » aqua præbere, aquam ad lavandas manus infundere, Episto-  
 » lam ex officio, et solemniter in Missa legere. \* (*Adde cum Ha-*  
 » *bert. pallas, corporalia et purificatoria abluere, ut in Ponti-*  
 » *ficali præscribitur*) \* VI. Diaconi munus est cantare solem-  
 » niter Evangelium in Missa, ministrare immediatè Sacerdoti  
 » in omnibus, quæ pertinent ad Missæ sacrificium, vestire alta-  
 » ria, Crucem ferre, et denique ex commissione Sacerdotis præ-  
 » dicare, et baptizare. \* (*Modò adsit justa causa, nempe si desit*  
 » *Sacerdos qui commode ministret, ut communiter dicunt DD.*  
 » *allati de Euchar. n. 237. v. Qu. hic. I. In necessitate verò*  
 » *extrema, nempe si absit alius Sacerdos, potest Diaconus et tene-*  
 » *tur Viaticum ministrare, etiam sine commissione Pastoris; ita*  
 » *pariter commun. DD. ibid. Et idem currit in administratione*  
 » *Baptismi; vide de Bap. n. 116. v. Certum. Diaconus autem*  
 » *solemniter ministrans Baptismum, vel Eucharistiam sine com-*  
 » *missione, incurrit irregularitatem; vide d. n. 116. v. Dub. 2.*

» et n. 234.) \* VII. Presbyteri munus est offerre Sacrificium  
 » Missæ, absolvere à peccatis, baptizare, benedictiones aquæ, et  
 » similes facere, populum doctrina et exemplo pascere. *Escob.*  
 » *E. 8. t. 7. c. 1.* »

Quatuor autem sunt obligationes præcipuæ eorum, qui ad  
 majores Ordines provehuntur, nempe 1. Recitandi Horas Cano-  
 nicas. 2. Servandi Cælibatum. 3. Habendi Titulum, scilicet  
 paupertatis, Beneficii, vel Patrimonii, quo ordinentur. 4. Defe-  
 rendi habitum et Tonsuram. De prima obligatione Officii divini  
 jam fusè egimus in *Tom. 4. Lib. 4. ex n. 140.* Restat hic agere  
 de secunda, tertia et quarta.

## §. I.

## De obligatione Cælibatûs.

806. Quomodo hæc obligatio probetur? — 807. Qu. 1. An ipsa sit  
 de jure divino? — 808. Qu. 2. An sit ex præcepto Ecclesiæ, vel ex  
 voto? — 809. Dub. 1. An ignorans tale votum teneatur ad casti-  
 tatem? Dub. 2. An qui expressè nollet castitatem vovere? — 810.  
 Quid, si quis ordinatus sit ante usum rationis? Et quid, si ante pu-  
 bertatem? — 811. Quid, si ordinetur ob metum? — 812. Qu. 3.  
 Quomodo conjugatus, constante Matrimonio, possit in Sacris ordi-  
 nari? Dub. 1. An istius uxor teneatur Religionem profiteri? Dub.  
 2. An talis uxor possit nubere?

806. — OBLIGATIONEM cælibatûs inesse iis qui ad sacros Ordi-  
 nes ascendunt, habetur in pluribus Canonibus, et signanter in  
 c. 1. d. 28. ubi D. Greg. sic præscripsit: « Nullum facere Sub-  
 » diaconum præsumant Episcopi, nisi qui victurum castè pro-  
 » miserit; quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi  
 » hujus castitas ante susceptum ministerium fuerit probata. » Et  
 in *Trid. sess. 24. c. 9.* sic definitum est: « Si quis dixerit, Cleri-  
 » cos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem  
 » solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contrac-  
 » tumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel  
 » voto... anathema sit. »

Ex quo habetur, quòd per tale votum, *solemne dictum*, irri-  
 tum reddatur Matrimonium contractum post votum ex c. *un.*  
*de Voto, et voti red. in 6.* Si verò conjugium est antecedenter  
 contractum, Ordinatus potest reddere, sed non petere. Et insu-  
 per quoties castitatem violabit, toties quoque sacrilegium com-  
 mittet. Vide *Salm. c. 6. n. 2.*

807. — Quæ. 1. An hæc obligatio cælibatûs sit de jure  
 divino, ita ut Papa nequeat in ea dispensare? Affirmant *Major,*  
*Valdensis,* etc. apud *Salm. c. 6. n. 9.* et probabile putat *Azor.*  
 Sed dicendum cum communi DD. (præciso voto) non esse de  
 jure divino, sed tantum ecclesiastico, quòd ministri ordinati in  
 sacris obligentur ad castitatem, vel ab Ecclesia, vel per votum  
 Ordinibus annexum; et ideo rectè in hac obligatione potest

Ecclesia cum eis dispensare. Ita *S. Th. 2. 2. qu. 88. a. 11. Cajet. Sot. Sanch. Dic. etc. cum Salm. c. 6. n. 11.* qui plura hujusmodi exempla adducunt. Ratio, quia etsi talis cœlibatus ab Apostolis ortum habuit, ut probant *Gon. Val. Sot. etc.* tamen tantum ex præcepto Ecclesiæ, sive Apostolorum (ut probat *Bellarmin.*) est introductus et firmatus, ut patet ex ipsis verbis *Trid. in cil. Can. 9. ut supra.*

808. — Quær. 2. An hæc obligatio sit immediatè ex præcepto Ecclesiæ, vel mediatè per votum ordinatorum? Utraque est probabilis ex eodem *c. 9. Trid. Prima* sententia, quam tenent *Mastrius, Bosco, Herincæ, etc. apud Holzm. p. 268. n. 103. ac Scot. Pal. Val. et Aversa ap. Salm. c. 6. n. 28.* (qui cum *Sanch.* meritò probabilem putant, dicit quòd non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ lege ordinati in sacris teneantur ad castitatem; tum quia, cum potuisset Ecclesia per se adstringere ministros sacros ad castitatem servandam, cur dici debet, quòd insuper votum sacris Ordinibus annecti voluerit, dum hoc expressum in jure non habemus? Tam quia, si obligatio cœlibatus esset ex voto, sequeretur, quòd qui tale votum invincibiliter ignoret, vel qui expressè nollet illud emitte, non teneretur inde ad castitatem: quòd quidem absurdum et perniciosum esset.

Nec obstat dicere, quòd juxta sententiam hanc, si Sacerdos peccaret contra castitatem, unum tantum peccatum committeret contra castitatem, quia lex Ecclesiæ, cum sit circa eandem materiam jure naturale prohibitam, non multiplicat speciem peccati; prout furtum vetitum à lege naturali, non habet novam malitiam, si prohibeatur à lege humana; et hoc esset contra communem sententiam DD. qui docent ordinatos in Sacris lædentes castitatem, etiam peccato sacrilegii peccare. Nam rectè respondent *Aversa et Salm. n. 28.* quòd præceptum humanum bene multiplicet specie, quando ex diverso motivo præcepto naturali superadditur; percussio enim Clerici duplicem habet malitiam, unam contra justitiam ex lege naturali, alteram contra Religionem ex lege Ecclesiæ, quæ ex motivo Religionis prohibet lædere personam Deo mancipatam. Quare procul dubio Sacerdos lædens castitatem sacrilegium committit, quia Ecclesia ex motivo Religionis, ob reverentiam Ordinis sacri imponit suis ministris observantiam castitatis. Religiosus autem Sacerdos, si peccat contra castitatem, præter peccatum contra castitatem, unum tantum sacrilegii peccatum committit, quia eandem virtutem Religionis, non aliam lædit, ut bene notant *Salm. c. 6. n. 39. cum Sanch.*

Secunda tamen sententia probabilior, et communior cum *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11.* quem sequuntur *Bellarmin. t. 1. de Matr. c. 21. Sanch. eod. tit. l. 7. Dist. 27. n. 10. Pontius l. 7. c. 27. n. 7. Salm. c. 6. ex n. 23. cum Vasq. Cajet. etc. ac Escob. n. 476. cum Azor. Nao. et Soto,* tenet, quòd obligatio castitatis non oritur immediatè ex lege Ecclesiæ, sed ex voto quòd in ipso facto Ordinationis emittitur. Primò, quia hoc jam est expressum in

jure, et præcisè in *c. Cum olim, de Clericis conjug.* ubi dicitur: « Non igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, etc. » Ergo in Ecclesia Occidentali, seu Latina, votum castitatis jam admittitur. Secundo, quia, si obligatio castitatis tota esset ex lege Ecclesiæ, posset Pontifex omnes etiam Sacerdotes ab illa absolvere; sed hoc esset contra communem sententiam DD. qui tantum in casu urgentissimo concedunt Pontifici in hoc dispensare cum solis ministris, ut dictum mox *n. 807,* sed non cum Sacerdotibus.

809. — Sed hic dubitatur 1. an teneretur ad servandam castitatem, qui invincibiliter ignoraret votum illius Ordini annexum? *Salm. d. c. 9. n. 35.* dicunt teneri ex communi DD. vel ex vi voti impliciti, ut ipsi sentiunt cum *S. Th. et Sanch.* vel ex præcepto Ecclesiæ, ut alii juxta primam sententiam probabiliter putant. Alii tamen, ut *Croix l. 6. part. 2. n. 2162. cum Pal. et Conink* adhuc probabiliter censent, quòd si ignorantia omnino fuisset invincibilis, ordinatus non teneretur ad castitatem, neque ex voto, neque ex præcepto Ecclesiæ, quia Ecclesia non intendet talem obligare; secus verò, si ignorantia fuisset culpabilis vel si quis Ordinem intenderet suscipere cum eadem obligatione, qua alii suscipiant, ut infertur ex dictis *Tom. 2. l. 3. n. 201. v. Qu. 1.*

Dubit 2. an teneretur ad castitatem Ordinem suscipiens, si expressè nollet castitatem vovere? Putat *Philib.* quòd etiam teneretur ex voto: hoc parum probabile videtur. Censent verò *Salm. n. 37. cum Dicast.* quòd tunc teneretur ad emittendum votum; et interim, dicunt quòd talis si peccaret contra castitatem, non committeret sacrilegium; sed hoc ultimum, nempe quòd hoc non esset sacrilegium, nec satis probabile videtur, et est contra communem, ut ipsi *Salm.* fatentur *n. 28.* Hinc probabilius dicunt *Sanch. de Matr. t. 2. l. 7. D. 27. n. 12. cum aliis,* et *Holzm. p. 268. num. 102. cum Amico, Mayr, etc.* quòd in tali casu is teneretur ad castitatem, non ex voto, sed ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex Religionis motivo (ut diximus) eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret.

810. — Notandum autem certum esse, quòd ille qui est ordinatus ante usum rationis, quamvis valida sit Ordinatio (ut probatum est *n. 782. cum D. Th. et aliis communiter, ex cap. un. De Clerico per saltum, etc.*) non teneretur tamen ad castitatem; unde validè ac licitè potest inire Matrimonium. Ita *Croix n. 2161. et Salm. c. 6. n. 42. cum Sanch. Suar. Dic. et communi.* An autem teneatur ad castitatem qui post usum rationis, sed ante pubertatem ordinatur? Affirmant *Pont. l. 7. de Matr. c. 29. n. 15. Bon. eod. tit. q. 3. part. 9. n. 9. et Escob. n. 487. cum Cajet. Conc. etc.* quia de jure naturali jam adest obligatio hoc votum servandi; è converso nullum adest Jus Canonicum tale votum irritans. Hoc est quidem probabile, sed non improbabiliter id negant *Sanch. de Matr. l. 7. D. 3. n. 8. Salm. c. 6. n. 43. cum Dic. Avers. etc. ac Barb. All. 15. n. 4. cum Abb. Host. Nao. Soto, et Henr.* Ratio, quia tale votum hominem constituit in statu

irretractabili, in quo Pontifex nunquam aut raro dispensat, unde tale votum maturum et perfectum usum rationis efflagitat. Idem dicitur de eo qui invalide ordinatur, vel ex defectu formæ, aut materiæ, vel intentionis; puta, si quis per vim, aut metum Ordines susciperet, sine animo se ordinandi, ut *Salm. n. 45 et 46. et Croix n. 2163. cum communi.* (Et hic notandum, quod qui non obligatur ad castitatem, nec ad Officium divinum teneatur; ut dictum est *l. 4. n. 144. v. Quæritur.*) In dubio tamen præsumendum est pro valore Ordinationis, ut *Croix n. 2203 et 2230.*

811. — Sed dubium est, an teneatur ad castitatem qui ordinatur ob metum gravem, sed cum animo se ordinandi? *Pontius de Matr. l. 7. c. 29. ac S. Antoninus; Sot. Pal. etc. apud Croix n. 2163.* dicunt teneri, donec à Papa dispensetur; quia metus minuit, non verò tollit voluntarium. At probabilius *Sanch. de Matr. l. 7. Dist. 29. n. 5. Bon. cit. q. 3. part. 2. n. 14. Escob. n. 483. cum Sayr. Conc. et Graff. ac Salm. c. 6. n. 46. cum Azor. Dic. etc.* dicunt non teneri, et validè posse Matrimonium contrahere, (non posse tamen in Ordine ministrare, constante Matrimonio, neque privilegiis Clericalibus gaudere. Vide *Salm. n. 50.*) Ratio, quia jam ex probabiliori sententia, ut supra, ordinati non tenentur ad castitatem, nisi ex voto, et verius est quod votum metu gravi extortum irritum est, ex *c. Cum dilectus, de iis, qui vi, etc. Vide dicta l. 3. n. 197. v. Sed quæstio.* Limitant tamen hanc sententiam *Salm. n. 47. cum Nav. et Vega,* si hic postea, metu remoto, Ordinationem ratificaret aut verbis, aut in Ordine ministrando; modò sciat et advertat per hujusmodi actum tali obligationi se subicere. Cæterum consultum est, ut tales metu ordinati petant dispensationem, quam pluries concessit S. C. ubi solidè metus probatus fuerit, prout refert *P. Zacharia, apud Croix l. 6. part. 2. ad n. 2163.*

Quid, si metus ex justa causa sit inflictus, puta si Episcopus ob inopiam ministrorum adstringeret metu aliquem ad se ordinandum? Probabile putant *Sanch. de Matr. l. 7. D. 19. n. 8. et Dicast. ex Navar. apud Salm. cap. 6. num. 48.* non teneri hunc ad votum castitatis, quia probabiliter (ut dicunt) metus, sive sit justus, sive injustus, et sive gravis sit vel levis, semper irritat votum. Sed melius oppositum tenent ipse *Sanch. l. c. et Salm. n. 47. cum Dic. et Philiberto,* quia eo casu esset ille irrationabiliter invitatus; et ideo metus votum non irritat, sicut nec etiam irritat matrimonium, juxta dicenda de *Matr. n. 1057.*

812. — Quær. 3. Quando nam conjugatus, constante Matrimonio, possit sacris Ordinibus initiari? Certum est, quod sine licentia uxoris non liceat uxorato Ordines sacros suscipere, nec etiam primam Tonsuram, ex *c. ult. de Temp. ord. in 6. et in Extrav. Antiquas de Voto.* Imponitur inò irregularitas in eum, qui sine dicta licentia, vel legitimo divortio in Sacris ordinatur; etiamsi Matrimonium non fuisset consummatum; quia hoc dirimitur tantum per professionem Religionis, non verò per Ordinationem, ut in *ead. Extrav. Vide Salm. c. 6. ex n. 51.*

Probabile tamen est cum *Sanch. Avers. et Salm. n. 56.*, quod qui post Matrimonium tantum ratum ordinaretur in Sacris, non teneretur Religionem profiteri, ut dicunt *ib. S. Anton. Azor. et Led.* Quia majus onus est Religionem profiteri, quam ad solam castitatem se adstringere.

Licet autem potest conjugatus ad sacros Ordines promoveri ex licentia uxoris, modò ipsa castitatem voveat, ut habetur in *c. Conjugatus de Convers conjug.* Et modò licentia sit expressa et omnino spontanea, ex *cap. Consuluit, eod. tit.* Sed hic dubitatur 1. An eo casu uxor ultra votum teneatur Religionem profiteri? Affirmant *Sanch. de Matr. D. 39. n. 6. et Salm. c. 6. n. 58. cum Soto.* Sed verius negat *Pontius de Matr. l. 6. c. 25. n. 7. Dian. p. 4. tr. 4. R. 129. et Hurt. ex Nav. et Sa ap. Renzi. p. 371. q. 3.* Idque clarè probatur ex *cit. c. Conjugatus*, ubi dicitur: « Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Non dicitur Religio- nem proficiente, sed continentiam. » Excipiendum tamen 1. si vir ad Episcopatum assumatur, tunc enim uxor omnino debet Religionem ingredi, ut statuitur in *c. Sane 6. de Conc. conj. Excipe 2. si vir fieret Religiosus, et uxor esset juvenis, ex c. Cum sis 4. eod. tit.* ubi sic dicitur: « Prohibemus ne virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migravit, transire permittas. » Verum, si ita uxor senex est, et sterilis, quod sine suspitione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut, ea in seculo remanente, et castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem. »

Dubit. 2. An mulier hujus viri ad Ordines sacros promoti, si emiserit simplex votum castitatis, validè contrahat Matrimonium post mortem viri? Prima sententia negat, et hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 7. d. 40. n. 2. Mazzota t. 4. p. 213. et Salm. c. 6. n. 59,* cum communi ut asserunt, ex *c. Quia sunt. 10. d. 28.* ubi loquens D. Greg. de secundo Matrimonio inito cum hujusmodi uxore, dicit: *Qui male sociati sunt, disjungantur.* Et idem dicitur in *Can. seq. 11. ib.* Et ratio est, quia Ecclesia ob reverentiam Ordinis a primo virò assumpti, et ob licentiam uxoris voventis, reddit eam inhabilem ad subsequens conjugium. Hæc sententia est quidem communior, et valde probabilis; sed satis probabilis est etiam secunda sententia cum *Sot. de Just. l. 7. q. 5. ar. 3. Sol. ad 2. et Pontio l. 7. c. 25. n. 10,* qui dicunt, præfatum Matrimonium esse validum; licet enim in præfatis textibus præcipiatur separatio conjugum in pœnam secundi Matrimonii contracti, non tamen declaratur Matrimonium esse nullum; tantò magis quòd hujusmodi pœna separationis etiam aliis criminibus in jure imponitur (ut probat *Pontius c. 20. n. 6.*), absque eo quòd Matrimonium sit nullum.

An autem vir, qui ex justa causa perpetuum fecerit divortium ab uxore, possit, ea inscia vel invita, Ordines sacros suscipere? Vide dicenda de *Matr. n. 969.* ubi dicemus cum communi, quòd bene possit.

## §. II.

## De Obligatione habendi titulum.

815. Pœna in contravenientes. — 814. De titulo Paupertatis. — 813. De titulo Beneficii. Not. 1. Juxta cujus diœcesis taxam desumenda sit sufficientia Beneficii? Not. 2. Quid, si defectus sit modicus? Not. 3. Quid veniat nomine Beneficii? An stipendia Missarum? — 816. Et an sufficiat Beneficium de futuro? — 817. De Titulo Patrimonii. — 818. Qu. I. An quis possit ordinari ad titulum suæ industriæ? — 819. Qu. II. An pater teneatur assignare patrimonium filio volenti ordinari? — 820. Qu. III. An incurrat suspensionem qui ordinatur sine titulo? — 821. Dub. 1. An qui ordinatur cum patrimonio ficto? — 822. Dub. 2. An qui ordinatur data fide de reddendo illud donanti? — 823. Dub. 3. An qui post Diaconatum illud donanti renunciat? — 824. Dub. 4. An ordinatus possit Patrimonium renunciare, si habeat aliunde sustentationem?

815. — CERTUM est ex *Trid. s. 21. c. 2.* quod Episcopus neminem ad sacros Ordines admittere possit, nisi ille titulum habeat sustentationis; aliter Episcopus ordinans, vel Dimissorias concedens, tenetur ipse eum alere, usque dum ille titulum habeat, ex *c. Cum secundum, de Præb. etc. Recipimus, de Etate, et qualit. ordin.* Si verò Episcopus rem Examinatoribus remiserit, et ipsi mala fide titulum approbaverint, ipsi pro rata tenentur ad ordinati sustentationem; at, si ipsi non habeant unde alimenta præstare possint, actio datur contra Episcopum, ut *Glos. in d. c. Cum secundum.* Item, si Ordines sacri à diversis Episcopis sint collati, quisque Episcopus qui ordinavit, tenetur pro rata ad alimenta, ex *c. 4. De Præb.*

Ad nihil tamen tenetur Episcopus (vel alii ut supra), I. si, debita diligentia jam adhibita, curaverit ut Patrimonium esset rerum, et casu illud esset distractum, vel fictitium inventum. II. si Clericus possit aliunde vivere, etiam ex suis honestis laboribus, vel si habeat patrem divitem, quia pater ex jure naturali tenetur filium alere; *Salm. c. 6. n. 63. cum Barb.*

Deinde hîc notandum, quod si titulus, quo suscepit Subdiaconatum, casu pereat, non potest is ad superiorem Ordinem ascendere sine novo titulo; *Croix n. 2284. cum Pal. et Gob.*

Titulus autem sustentationis potest esse vel paupertatis, vel sufficientiæ, nempe Beneficii, aut Patrimonii, de quibus singularim hîc agendum.

814. — Et I. Quoad titulum paupertatis: hoc titulo soli Regulares professi ordinantur, non autem Novitii, qui ex *Constit. 75. §. Pii V. Romanus*, non possunt Sacros Ordines suscipere sub pœna suspensionis, nisi Patrimonium habeant, exceptis Religiosis Soc. Jesu, qui post vota simplicia ordinari possunt: et, si inde à Religione ejiciantur, teneri superiores eos alere, usque dum habeant unde vivant, dicit *Philib. apud Salm. c. 6. n. 64.* affereus Decisionem S. C. Sed *Croix* absolutè hoc negat *n. 2288*,

et *n. 2196*, referens plures alias Declarat. S. C. in contrarium. Imò *P. Zacharias ap. Croix ad cit. n. 2196.* addit, quod *Bened. XIII. Motu proprio*, edito an. 1724 die 14 Jun. declaraverit in perpetuum, « Societatem non teneri ad ullam submissionem congruæ sustentationis, vel alimentorum illis, » qui post biennium probationis à suis superioribus ejiciuntur, » tametsi dum in ea permanebant, ad sacros etiam Presbyteratus » Ordines ad titulum paupertatis promoti fuerint. » Et hanc rationem Pontifex ad talem Sanctionem præmittit, *ne qui dimissioni causam præbuerint, utilitatem ex sua culpa reportent.*

815. — II. Quoad titulum Beneficii, ante omnia hîc prænotandum est Decretum *Trid. sess. 21. c. 2. de Ref.* ubi: « Cum non » deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis » dedecore mendicare...; compertumque sit quamplures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui » variis artibus, ac fallaciis confingunt se Beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit S. Synodus ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis aliàs sit » idoneus moribus etc., ad sacros Ordines promoveatur, nisi » prius legitime constet eum Beneficium ecclesiasticum, quod » sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò » Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad » illius Beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quod aliunde vivere commodè possit, » et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel » pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, » quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel » commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, » patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, talia » que esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque » illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extinguui, » vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium ecclesiasticum » sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint, » antiquorum Canonum pœnas super his innovando. »

Not. 1. sufficientiam Beneficii desumendam esse juxta taxam Diœcesis ubi est Beneficium, si ipsum requirit perpetuam residentiam; si verò non requirit, juxta taxam originis, ut pluries declaravit S. C. an. 1701, 1708 et 1713 apud *Bened. XIV. de Synod. l. 12. c. 9. n. 2.* ubi refert idem corroboratum fuisse ab *Innoc. XII in Constit. Apostolici ministerii*, quæ deinde confirmata fuit, et extensa per totum Orbem à *Bened. XIII.*

Not. 2. quod, si defectus Beneficii sit modicus, licitè quis ordinatur; secus, si sit notabilis, ut notat *Viva ex Dian. p. 4. tr. 4. R. 52. cum Sanch. et Nav.* Notabilem autem meritò esse censet *Viva art. 4. num. 5.* defectum quintæ partis.

Not. 3. quod nomine Beneficii possit etiam aliquis ordinari ad titulum Coadjutoriæ perpetuæ, ut *Sanch. et Nav. apud Croix num. 2269.* (modò Coadjutor ratione illius congruam habeat sustentationem, ut rectè advertunt *Gonz. et Garc. apud Barb.*

*All. 19. n. 23.*) vel quotidianarum distributionum, vel Capellanarum, vel Pensionis, vel Præstimonii perpetui (Præstimonium sunt quidam redditus abstracti ex redditibus Beneficiorum). Ita *Salm. c. 6. n. 68* et *69* et *Barb. l. c. n. 24. Campanile*; et hoc etiam officiantura, aut capellania illa sit amovibilis, dummodo qui habet jus nominandi, obligetur non removere ordinatum, usque dum hic sibi procuret Beneficium aut Patrimonium, ut sapienter advertit *Bened. XIV, Notif. 26. n. 11.*

Non sufficiunt autem ad titulum Missarum stipendia, aut eleemosynæ, cum sint incerta, nisi fortè hæc communiter occurrant sufficienter ad sustentationem, ut dicit *Philib. apud Salm. d. n. 69. in fine*; vide dicta *n. 774.* Nec sufficit titulus mensæ Episcopalis, nisi adsit consensus capituli, saltem tacitus, nempe si sciens non contradicat, ut *Croix. n. 2271.* probat ex praxi.

316. — Quær. an quis possit ordinari ad titulum Beneficii certi de futuro? Affirmant *Sayr. Campanile*, etc. apud *Salm. num. 70.* et admittit *Jordan. apud Croix. n. 2273.* si ex circumstantiis certè videatur non impedienda possessio. Sed verius negant *Barb. All. 19. n. 28. cum Led. Garcia, Salsedo et Ugol. Bon. p. 5. n. 29. cum Sayr. et Cenedo*, ac *Salm. l. c. cum Philib. etc.* Quia Trident. *locosupra cit.* requirit omnino pacificam possessionem Beneficii; quare is ordinari nequit, etiam si injustè impèdiretur à possessione. Si quis tamen possidet Beneficium, sed redditus exigere non possit, usque dum fiat Sacerdos, bene posset ordinari Subdiaconus, et Diaconus. Ita *Barb. n. 29. cum Armend. et Garc.*

317. — III. Quoad titulum Patrimonii pertinet; ad hunc titulum ex *Trid. d. sess. 21. c. 2.* non possunt omnes ordinari, sed tantum ii, quos Episcopus iudicaverit assumendos (verba *Trident.*) pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Patrimonium autem debet esse super re certa, et immobili, ac de sua natura frugifera, pacificè possessa, nec ære alieno, aut hypotheca gravata, ut communiter cum *Salm. c. 6. n. 76.* et *Pot. n. 54.* Hinc non sufficit, si aliquis, etiam scripto, promittat ordinando alimenta, sufficit tamen census perpetuus adhuc redimibilis, quia hic de se fructificat; modò Episcopus cautionem adhibeat, ut si redimatur, in aliam emptionem applicetur, ut notat *Croix.* Idque sic admittit etiam *Bened. XIV, Notif. 16. n. 12.* et *Escob. n. 378. cum Pal. Marchin. et Leand.* ac Decisione Rotæ Rom. Sufficit etiam, si quis de suis redditibus tot annuos aureos ad sustentationem sufficientes per instrumentum ordinando donet, ut dicunt *Ugolin. et Philib. apud Salm. n. 77.* Quod admittit *Barb. apud Croix. n. 2272.* casu quo urgeret penuria Sacerdotum. Imò admittit *Bened. XIV, l. c. n. 16.* ex Decr. S. C. etiam quando Clericus assumitur pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ. Addit *Gob. ib.* sufficere, ut aliquis Comes, aut Communitas obliget sua bona ad Clericum alendum: quod valde probabile mihi videtur, saltem quoad Communitatem, sicut et aliis, quos consului, visum est (etsi *Croix. l. c.*

oppositum probabilius vocet.) Trident. enim nequaquam limitat, ut Patrimonium super re stabili constituatur; tantum præscribit *d. sess. 21. c. 2.* quòd sit verum, et sufficiens ad Clericum sustentandum, quia Concil. id præcipuè cavere intendit, ne Ecclesiæ ministri ob inopiam emendicare cogantur. Tutior ideo ad hoc erit obligatio alicujus Communitatis, quàm assignatio alicujus rei stabilis, cum hæc facilius deficere possit quàm aliqua tota Communitas. Notandum verò, quòd in Concordato nostri Regni statutum sit non posse in posterum Patrimonia constitui, nisi unice super bonis immobilibus, aut super annuis redditibus fixis; vide verba Concordati infra *num. 830. in fine.* Patrimonium autem computatur loco legitimæ, nisi aliud constet expressè ex voluntate patris. *Potest. n. 55. cum Pal. Mol. et Croix. n. 2277.* contra *Vioam Art. 4. num. 6. in fine cum Garcia.*

318. — Quær. I. An quis ordinari possit sine Patrimonio, sed ad titulum suæ industriæ, puta, si sit pictor, ludimagister, vel alius professionis? Affirmant *Gonz. Barb. Cord. Henrig. Garcia*, etc. apud *Salm. cap. 6. num. 65.* quia tunc prudenter judicatur victum congruum ei non fore defecturum, juxta mentem Conc. Sed verius oppositum est tenendum cum *Croix. num. 2275.* et *Sa. Dian. Sanch. Led. cum Salm. c. 6. n. 66.* Et de hoc *Bened. XIV, Notif. 26. n. 7.* plures affert Decis. S. C. et signanter unam emanatam mense Octob. 1589, in qua dictum fuit: « Si quis tantum habeat, quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quòd sit musicus, magister Grammaticæ, pictor, scriptor, aut alterius professionis, non potest promoveri, etiam si id sit sufficiens ad sustentationem vitæ. » Item die 23 Maii 1609 S. Cong. respondit: « Gradum Doctoratûs tam in Theologia, quàm Jure Canonico non esse titulum, ad quem aliquis ad sacros Ordines promoveri queat; sed requiri omnino vel Beneficium vel Patrimonium ad vitam promovendi honestè sustentandam sufficiens. » Ratio, quia Trident. statuit, quòd ordinandus non solum habeat unde vivat, sed etiam ad evitandas fraudes et errores, præscribit quòd legitime constet eum Beneficium (sive Patrimonium) pacificè possidere. Quibus verbis excludit quamcumque spem acquisitionis de futuro, cum hæc spes per infirmitatem, vel aliud accidens deficere possit.

319. — Quær. II. An, si filius, invito parente, vellet Sacerdotium suscipere, teneretur pater illi Patrimonium assignare? Affirmandum est cum *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 26. n. 4. Barb. All. 19. n. 63. cum Campanile, et Genuensi, ac Salm. c. 6. n. 87. Philib.* etc. Imò isti dicunt, ad hoc posse cogi à Judice Ecclesiastico; pariter ac pater cogi potest ad assignandam, prout tenetur, dotem filia, quæ dignum Matrimonium contraxit, vel quæ cupit Religionem ingredi, ut dicunt *Lopez et Adven. apud Salm. ibid.*

320. — Quær. III. An incurrat pœnam suspensionis qui ordinatur sine patrimonio, aut Beneficio? Prima sententia negat cum *Vioa qu. 7. art. 4. num. 6. et Tol. Con. Phil. Dian. Henr. et aliis*

apud *Salm. c. 6. n. 72.* cum *Sayr. March.* et *Gob.* apud *Croix,* n. 2283; item *Escob. n. 366.* cum *Tol. Avila, Rodr. Henriq. Vi-*  
*oalt. Diana,* et *Marchino.* Hanc sententiam meritò satis probabilem putant *Salm.* quia, licet in *c. Neminem, et c. Sanctorum, Dist. 70.* imponatur suspensio ipso facto ab exercitio Ordinis suscepti illi, qui facto titulo ordinatur: attamen in *cap. Cum secundum. De Prab.* Innoc. III hanc pœnam ordinati commutavit in obligationem ordinantis ad eum alendum, ut ibi notat *Glossa,* et dicunt *Sanch. et Aversa.* Cum igitur Trident. *sess. 21. c. 2.* innovaverit pœnas, intelligitur renovasse pœnas, quæ tunc erant in robore apud sacros Canones, nempe quòd ordinans teneatur alere ordinatum sine titulo, non autem quoad ordinatum, cujus pœna jam erat revocata. Et de hoc *Escob. d. n. 366.* affert Declar. S. C. editam anno 1583. (quam referunt etiam *Barbosa, Garcia,* et *Vivald.*), ubi sic dictum fuit: « Ordinatus contra formam » hujus Decreti (id est Concilii) sine Beneficio vel patrimonio, » non est per hoc suspensus, nec aliquam pœnam incurrit, sed » cogendus est ordinans illi providere, juxta *cap. Secundum Apos-*  
*tolum de Præbend.* qui solus Canon, non alii, à Concilio in- » novatur. » Nec obstat Bulla S. Pii V *Romanus,* edita 14 Octob. 1568. ut opponit *Bonac. p. 5. n. 17.* ubi statutum fuit incurrere suspensionem Religiosos qui sine patrimonio ordinantur ante professionem; idemque dictum fuit de Clericis in communi viventibus. Nam id specialiter pro istis decretum fuit, nec ad alios extendendum. Quòd autem moraliter peccet qui sic ordinatur, non revocatur in dubium, ut rectè ait *Viva l. c.*

*Secunda* tamen sententia probabilior, quam tenent *Suar. de Censur. d. 31. sect. 1. n. 35. Sanch. Cons. lib. 7. c. 1. dub. 35. n. 12. Bonac. d. 8. q. unic. p. 5. n. 24. et Salm. n. 73.* cum *Aversa* contradicit; Concilium enim dixit: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Dixit *innovando;* ergo etiam pœnas revocatas renovavit. Dixit *pœnas,* non pœnam; ergo non solum pœnam ordinantis, sed etiam ordinati renovare intellexit. Dixit *Canonum;* ergo innovavit pœnas non solius Canonis Innocentii III, sed omnium; et ideo addidit *antiquorum.* Nihilominus *Salm. num. 75.* advertunt I. cum *Sanch.* quòd, cum in dictis Canonibus non requiratur possessio, si quis ordinaretur cum vero titulo, sed sine illius possessione, peccaret quidem contra præceptum Tridentini, sed non incurreret suspensionem. Advertunt II. quòd, cum antiquitus non requirebatur titulus sufficiens ad sustentationem, sed quicumque titulus sufficiebat, ut dicunt *ib. Nao. et Manuel,* valde probabile est excusari à pœna qui ordinatur cum titulo insufficienti, quamvis non excusetur à peccato. Advertendum autem III. cum *Viva l. c.* quòd in Synodo Diœcesis Neapolitanæ imponatur suspensio ipso facto, Archiepiscopo reservata, iis qui ficto titulo etiam primam Tonsuram suscipiunt; et omnes ad id concurrentes incurrunt pariter ipso facto excommunicationem reservatam.

821. — Sed juxta hanc secundam sententiam, scilicet quòd

ordinatus sine patrimonio incurrat suspensionem, dubitatur I. an aliis in locis, quam Neapoli, incurrat eam qui ordinatur cum patrimonio ficto? *Prima* sententia, quam tenent *Escob. n. 366.* cum *Tol. et Avila,* item *Palaut, Diana, Gobat. etc. ap. Potest. de Exam. Ord. n. 64.* negat, quia Tridentinum innovat pœnam suspensionis, sed sub clausula, *nisi prius legitime constet eum Beneficium, sive patrimonium pacifice possidere.* Dicunt autem, quòd quando quis ordinatur cum patrimonio ficto, jam externe de ipso constet: ergo quamvis hic peccet in quantum facit testes jurare falsum, non incurrit tamen suspensionem. *Secunda* sententia affirmat; et posita tanquam vera sententia ut supra, quòd incurrat suspensionem ordinatus sine patrimonio, hanc sequendam censeo cum *Sanch. de Matrim. dist. 32. n. 8. Suar. de Censur. dist. 31. sect. 1. n. 35. Bon. l. c. p. 5. n. 21. Barbosa All. 19. n. 57. et Salm. c. 6. num. 78.* qui eam certam vocant cum *Fagn. Leand. Bonac. Led. Rodr. Potest. ib. n. 65.* Isti enim dicunt, quòd ordinatus cum patrimonio ficto non solum peccet, testes mendaces adhibendo, et Ecclesiam decipiendo, sed incurrat suspensionem. Ratio, quia is qui ordinatur cum patrimonio ficto, revera sine patrimonio ordinatur, juxta mentem Concilii, et Canonum, qui requirunt titulum, ne Clericus cogatur emendicare; et ideo dixit Concilium, *nisi prius legitime constet,* etc. illud legitime significat etiam documenta tituli legitima esse debere. Alia urget ratio, quia, cum quis ordinatur sine patrimonio, tenetur Episcopus ordinans eum alere; sed non tenetur, si ipso inscio ordinatur ille cum patrimonio ficto: et sic decisum refert à S. C. *Bened. XIV, Notif. 26. n. 16. die 27 Nov. 1710.* Idem dicendum merito putant *Salm. n. 78 et 79. cum Nao. Rodr. etc.* si patrimonium constitutum fuerit in sola apparentia, quin translatum fuerit rei dominium in Clericum, quia tunc idem esset ac si non esset constitutum.

822. — Dubit. 2. An incurrat suspensionem qui ordinatur cum patrimonio donato, sed data antapoca vel fide de reddendo illud donanti post Ordinationem? Dicitur *post Ordinationem,* nam si renunciatio ante eam fieret, certum est renunciationem esse validam, et tunc sine dubio (juxta eandem secundam sententiam allatam n. 820.) ordinatus suspensionem incurreret, ut bene notat *Bonac. D. 8. q. un. p. 5. n. 23.* Dubium igitur est, si pactum sit de restituendo patrimonio post Ordinationem. *Prima* sententia dicit non teneri Clericum tale pactum exequi, et ideo non incurrere suspensionem; hanc sententiam tenent *Diana 3. p. tr. 4. R. 184. cum P. Led. et Vill. ac Escob. n. 369. cum Sa, et Leand.* Ratio, tum quia eo casu Episcopus acquirit jus supra patrimonium illud, cum aliàs ipse tenetur alere ordinatum; tum quia in *Trid. sess. 21. c. 2.* dicitur quòd titulus Ordinationis (sive sit patrimonium, sive Beneficium, sive pensio) *sine licentia Episcopi alienari, aut extinguì, vel remitti nullatenus possit.* Et pactum illud, cum sit contrarium dispositioni Concilii, tanquam turpe rejicitur; et ideo, cum Clericus ille sit vero titulo ordinatus,

suspensionem non incurrit. *Secunda* autem sententia dicit, Clericum teneri patrimonium restituere, et suspensionem incurrere; eamque tenent *Avila, Corduba, Lopez, et Delacruz apud Dianam l. c.* Ratio, quia tale pactum, esto sit illicitum, non tamen reprobatum in iure; unde Clericus sic ordinatus tenetur in conscientia reddere patrimonium cum ea conditione donatum. Sed omnino distinguendum cum *Palao p. 11. n. 15.* et dicendum, quod, si donans verum habuerit animum donandi, tunc, licet Clericus peccaverit acceptando, sub tali pacto, post Ordinationem tamen non tenetur patrimonium restituere, propter rationem supra à prima sententia allatam; quia pactum rejicitur, utpote oppositum Tridentino prohibenti alienationem patrimonii sine licentia Episcopi; et ideo suspensionem non incurrit. Ita sentiunt præter AA. ibi citatos, *Tolet. l. 1. c. 48. n. 5. et Barb. All. 20. n. 30. cum Garcia, Mamel, et aliis;* et sic declaravit S. C. die 6 Martii 1638. (apud Bened. XIV, *Notif. 28. n. 26.*), dicens: « S. C. censuit eum qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius » titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius » titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem factam esse ipso iure nullam. » Et sic pariter S. C. pluries declaravit ( ut refert *P. Zacharia apud Croix. l. 6. p. 2. ad n. 2286.* ) omnem permutationem, hypothecationem, aut fidejussionem patrimonii seu tituli, sine licentia Episcopi, esse invalidam, etiamsi ordinandus habeat unde vivat. Si vero donans non habuerit veram intentionem donandi, tunc quidem ordinatus tenetur patrimonium restituere, quia tunc nunquam acquisivit illius dominium, cum illa non fuerit vera donatio, sed fictio donationis, ac propterea talis suspensionem incurrit; ita *Nav. Man. c. 27. num. 58. Bonac. l. c. ( qui id ut certum habet ) Sanch. de Matr. l. 6. D. 32. n. 8. cum Majol. Met. etc. Roncaglia p. 130. q. 3. R. 1. cum Tamb. et Salm. c. 6. n. 82. cum Philib. Gabr. etc. item Machant. Garcia, Torrobl. Lop. etc. apud Escob. n. 367.* Neque huic obstat Tridentinum, quia Concilium prohibendo alienationem patrimonii, loquitur de Clericis, qui illud verè adepti sunt, ut patet ex ipsius verbis, *Patrimonium verò vel pensionem obtinentes.* Neque Episcopus ullum jus acquirit super re fictè donata, cum Episcopus ordinans bona fide ad nihil tenetur, ut recte ait *Sanch. l. c. cum Navarr. et Decio.* Advertendum tamen hic, quod esto Clericus teneatur eo casu in conscientia reddere patrimonium ante Judicis sententiam, attamen donans ( ut bene etiam aiunt idem *Sanch. l. c. cum Corduba et Salm. n. 82. cum communi* ) in foro externo nullam habet actionem contra Clericum ad repetendam rem donatam, imò meretur illa spoliari in pœnam sui criminis; quapropter videtur talis Clericus, si statim sit petiturus in iudicio rem sibi adjudicari, posse interim rem retinere ( licet suspensionem jam contraxerit, ) juxta dicta *Tom. 3. l. 3. n. 890.* Et *Monacel. tom. 1. p. 67. n. 4.* refert ita decisum fuisse per S. C. Episc., nempe fictè donantem teneri liberum derelinquere patrimonium ordinato.

825. — Dubit. 3. An suspensionem incurrat qui post Diaconatum, vel Subdiaconatum susceptum cum patrimonio vero donato, illud donanti renunciat ( sine ullo prævio pacto ), et deinde Sacerdos ordinatur, occultando renunciationem? Affirmant *Potest. de Exam. Ord. n. 77.* Sed verius negat *Bon. part. 5. n. 125. cum Nav. Henriq. Avila, Sayr. Mol. etc. et Salm. n. 83. cum Sanch. Diana, et Philiph.* Ratio, quia talis renunciatio est omnino nulla, ut supra vidimus; unde talis Sacerdos dicitur cum vero titulo ordinatus; pœna autem Canonum per Trident. innovata non imponitur eis, qui patrimonium alienant, sed qui sine eo ordinantur. Nec obstat quod talis ordinatus de facto non percipiat fructus patrimonii; nam sufficit quod ipse possit fructus percipere, si velit. Idque confirmatur ex Decr. S. C. supra citato *n. præced.*

824. — Dubit. 4. An Clericus possit renunciare patrimonium sine licentia Episcopi, si habeat aliunde sustentationem? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Azor. part. 2. l. 3. c. 4. q. 3. Pal. p. 11. num. 13. cum Steph. Gratiano, Flaminio, et communiore* ut asserit; item *Garcia, et Mol. ap. Salm. c. 6. n. 84.* et probabilem putant *Tamb. de Ord. loc. 7. c. 6. §. 4. n. 19. Diana part. 9. tr. 8. R. 23. et Barb. num. 90. cum Menoch. Surdo, Cecall. et Cassano;* et expressè huic sententiæ consentiunt *Sanchez Cons. l. 7. c. 1. dub. 43. et Vioa qu. 8. art. ult. n. 6. v. Circa.* Eam probant ex Trident. *Sess. 21. c. 2.* ubi dicitur: « Atque illa ( nempe patrimonium, Beneficia, etc. ) deinceps sine » licentia Episcopi alienari nullatenus possint, donec Beneficium » sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint. » Si igitur ( aiunt ) non potest Clericus sine licentia Episcopi alienare patrimonium, donec aliunde habeat unde vivat; ergo bene potest, si habet unde vivat, etiam sine licentia Episcopi; qui ceterum in aliquo casu, putà ad redimendos parentes captivos, et simili, potest dare licentiam alienandi patrimonium, quamvis Clericus non habeat unde vivat. *Secunda* sententia, quam tenent *Led. et alii ap. Vioam q. 7. art. 9. n. 6,* dicit talem alienationem esse illicitam, sed non invalidam; imò *Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 38,* dicit esse validam, etiamsi Clericus non habeat, unde vivat. *Tertia* verò sententia, quam tenent *Croix num. 2286. Barb. All. 19. num. 90. cum Quintanad. Campanile, et Ugol. Escob. num. 382. cum Marchino, Cenedo, etc. ac Salm. cap. 6. num. 85. cum Vasq. Philib. et Leand.* dicit hujusmodi alienationem esse invalidam, et illicitam. Ratio, tum quia, si Clericus non habet aliunde sustentationem, nec etiam Episcopus ( ordinariè loquendo, ut intelligendum est Concilium ) potest licentiam alienandi concedere; hoc enim significat particula illa *donec,* nempe quod Episcopus tum solum licentiam dare potest, cum clericus habet unde vivat; tum quia patrimonium connumeratur inter bona ecclesiastica, et gaudet eodem privilegio, ita ut nequeat à principe seculari subijci collectis, prout habetur in *cap. Quamquam, de Censib. in 6.* Ergo tale patrimonium sine licentia Epis-

copi est inalienabile. Et huic tertiæ sententiæ mihi magis lubet adherere, ob Decretum S. C. quæ die 4 februar. 1652, (apud Bened. XIV, *Notif.* 26. n. 9.) sic respondit: « Renunciationem » patrimonii, ad cuius titulum Clericus simpliciter sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam, non sustineri, etiam post assecutionem Beneficii ad ejus vitam sustentandam sufficientis. » Adverte hinc aliud Decretum emanatum à S. C. Conc. 5 Febr. 1604, ubi decisum fuit non esse vetitum Clerico hypothecare patrimonium, quoad eam tamen partem fructuum, quæ supersit ad ejus sustentationem, non lautè, sed tenuiter vivendo, juxta Judicis ecclesiastici arbitratum.

## §. III.

## De obligatione deferendi habitum, et Tonsuram.

825. Qu. I. An peccent graviter Clerici non deferentes habitum? — 826. Qu. II. An non deferentes Tonsuram? — 827. Quando isti ob habitum et Tonsuram dimissam, amittant privilegium fori et Canonis? — 828. An quid teneantur Sacerdotes vi obedientiæ, quam promittunt Episcopo? An possint Religionem ingredi, Episcopo contradicente? — 829. Quæ obligatio sit de Missis et precibus, quæ ab Episcopo imponuntur ordinatis? — 830. De statutis in Concordato nostri Regni.

825. — PATET ex universo Jure Canonico, Clericos teneri deferre habitum et Tonsuram Clericalem; unde ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6, possunt suspendi habitum et Tonsuram non deferentes. Sed quær. I. An peccet mortaliter Clericus, qui habitum non deferat? Affirmat *Panormit. ap. Pal.* p. 18. n. 3, etiamsi ille sit tantum in minoribus constitutus, et probat ex *cap. penult. de Vita, et honest. Cleric.* Alii, ut *Salmant.* dicunt hunc non peccare graviter (ut revera sentit communis sententia), sed non excusari à culpa veniali, eò quòd ipsi quoque tenentur suo statui se conformare. Alii verò communius dicunt hujusmodi Clericum nullam habere obligationem deferendi habitum: ita *Escob. n.* 488. *Navar. c.* 25. n. 110. *Holz. n.* 103. et *Pal. l. c. cum Arm. Sylvest. Soto, et Ang.* Et huic opinioni favet constitutio Sixti V *Pastoralis*, edita die 31 Januarii 1588, ubi declaratum fuit, habitum Clericalem non teneri deferre Clericos non recipientes pensionem, fructus, aut bona ecclesiastica sibi in una, vel pluribus vicibus reservata, et concessa, non excedentia valorem annuum 60 ducatorum aureorum de camera. Id autem certum est de Clericis conjugatis, ut habetur in *cap. Joannes, de Cleric. conjug.* Imò, si sint bigami, non solum non tenentur, sed etiam non possunt habitum deferre, ex *cap. Alternationis de Bigam. in 6.* Majus dubium est de Clericis beneficiatis, vel in sacris constitutis, an hi peccent graviter, si habitum non deferant. Per se loquendo, non dubitandum hos graviter peccare, cum ipsi temeritatis arguantur in *Trid. sess.* 14. *cap.* 6. his

verbis: « Tanta... hodie aliquorum inolevit temeritas, Religio-  
nisque contemptus, ut propriam dignitatem, et honorem Cleri-  
calem parvipendentes, vestes etiam deferant publicè laicales...  
Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ... quæ aut in sacris  
fuerint, aut Dignitates, personatus, Officia aut Beneficia... ec-  
clesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo... moniti  
fuerint, honestum habitum Clericalem. non detulerint, per sus-  
pensionem ab Ordinibus, ac Officio, et Beneficio, ac Fructibus...;  
necnon si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per  
privationem officiorum, et Beneficiorum coerceri... debeant. »  
Et hinc insuper notandum, quòd Sixtus V in Bulla, *Cum sacrosancta*, edita die 9 Januarii 1588 (apud *Barbos. in Trid. l. c. num.* 4.), declaravit Beneficiatos non deferentes habitum in urbe, mandatisque super his editis sub certo termino non obedierint, præter alias pœnas, ipso facto sine ulla alia monitione privatos esse quibuscumque dignitatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, Beneficiis, et Præstimoniiis. Dicit autem *Cajetanus Summ. 2. Cleric. Peccata*, tales non peccare mortaliter, nisi adsit contumacia, aut contemptus; et adhærent *Escob. n.* 491. et *Gobat. in Exp. tract.* 8. n. 769. dicentes non esse mortale, nisi sit periculum causandi contemptum. Sed oppositum omnino tenendum, quia ex Concilio patet ipsam delationem habitus laicalis esse parvipensionem honoris clericalis; ita communiter *Sanch. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 49. *Renzi p.* 346. *q.* 5. *Laym. c.* 12. n. 2. *cum Arm. Sylvest. et Vasq. Pal. p.* 18. n. 3. *cum Vill. Salm. c.* 3. n. 7. *cum Bann. et Led. Barb. Alleg.* 9. n. 11. *cum Abb. et Henr. Escob. n.* 491. *cum Reg. et Hurt. ac Bon. p. ult. num.* 2. *cum Nunno, et communi.*

Limitant verò 1. omnes præfati AA. et quidem probabilissimè, si id fiat ad breve tempus: nisi (ajunt *Salm. n.* 9. *cum Bannèz*) quis habitum dimitteret, vel occultaret, ut alios deciperet, vel ut liberè per plateas deambulet, vel ut aliquod malum committeret. Et sic pariter probant *Diana p.* 10. *tract.* 13. *Res.* 29. et *Burghaber Centur. 2. cas.* 59, non excusari à mortali Clericum, qui in bacchanalibus excurreret per urbem larvatus. Limitant 2. *Holz. n.* 103. et *Pal. Laym. ap. Salm. ll. cc.* si adsit aliqua justa causa se occultandi, nempe ad vitandum periculum mortis, vel damni gravis.

826. — Quær. II. An peccent graviter Clerici non deferentes Tonsuram, sive Coronam (licet corona revera differat à Tonsura, sed DD. confundunt). Alii, ut *Panor. Sot. Sylv. etc. apud Tamb. de Ord. c.* 2. §. 6. n. 16. affirmant de omnibus Clericis ex *c. Clerici, 15. de Vita, et hon. Cleric.* ubi dicitur: *Coronam et Tonsuram habeant congruentem.* Alii, ut ipse *Tamb. cum Marchino, Pal. p.* 18. n. 3. et *Renzi p.* 376. *qu.* 5. *cum Henr.* dicunt hoc, secluso contemptu, non esse peccatum mortale, etiam in Beneficiatis, et Clericis in sacris constitutis; quia (ut ajunt) ex nullo textu arguitur esse de hoc grave præceptum. Alii tamen, ut *Sanch. lib.* 7. *c.* 1. n. 49. *Laym. c.* 12. n. 3. *Escob. n.* 491. et



*Vasq. Leand. ac Hurt. apud eundem Tamb. l. c.* dicuntur Clericos in sacris constitutos, et Beneficiatos graviter peccare, si Tonsuram seu Coronam non deferant; idque confirmatum potest alicui videri ex Concil. Lateran. sub Leone X. (*sess. 9. apud Merb. p. 279. qu. 15.*), ubi sic habetur: « Clerici in sacris constituti barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant; si quis contra fecerit, excommunicationem incurrat. » Sed huic responderi posset, quod hoc Concilium, præcipiendo Tonsuram, non sit locutum propriè de Corona, sed potiùs de abrasione comæ, innovando Canones Conciliorum Roman. sub Zacharia Papa, et Gregorio XI (*apud eundem Merbes. ibid.*) ubi dicebatur: *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.* Unde saltem non est certum quod excommunicatio fuerit imposita in non deferentes Coronam; et etiam quoad comam deferentes, hodie propter usum plurimorum, adhuc Romæ degentium, (modò coma sit moderata), non videtur pœna illa excommunicationis vigere. Cæterùm, quoad qualitatem peccati pertinet, *Laymann, et Escobar II. cc.* pari modo loquuntur de non deferente Coronam, ac de non deferente habitum. Probabiliter tamen ait *Croix lib. 4. n. 1372.* facilius mortaliter peccari non deferendo habitum, quàm coronam; quis enim (dicit) arguet Sacerdotem de mortali, si per 6 vel 8 hebdomadas coronam non deferat, etiamsi nullum de ea vestigium appareat?

327. — Plura autem hîc sunt notanda pro complemento hujus materiæ. Notandum I. quod Clericus non deferens habitum, et Tonsuram, si tertio admonitus ab Episcopo non emendatur, amittat privilegium, non solum fori, sed etiam Canonis, ex *cap. Contingit. 45. de sent. excom.* Idemque dicitur de Clerico se immiscente in negotiationibus secularibus, omissis divinis Officiis, ex *cap. Ex litteris. 16. de Vita, et honest. Cleric.* Idem de gestante arma militaria in habitu laicali, si post tertiam monitionem, Clericalem non resumat. Quod si talis Clericus armis militaribus indutus insuper enormitates committat, privatur privilegio Canonis, ut habetur ex *cap. Si quis suadente. Caus. 17. qu. 4.* Dubitatur autem, an hic amittat ipso facto etiam privilegium fori? Affirmant aliqui apud *Fagnan. in d. cap. Contingit. num. 14.* Sed ipse *Fagnan. cum Alexandro, Jo. Andrea, et Petro de Angar. etc.* dicit, et probat ex pluribus juribus, non amittere privilegium fori, nisi post trinam monitionem. Hoc tamen intelligitur de Beneficiatis, et Constitutis in sacris, nam de Clerico in minoribus statutum est in Tridentino *sess. 23. cap. 6.* quod: « Is privilegio fori non gaudeat, nisi... Clericalem habitum, et tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario... aut in aliqua schola... » de licentia Episcopi... versetur. » Dicunt autem hîc *Salm. c. 7. n. 64. cum Farinac. et Philib.*, quod particula illa *Et valet præ Barb. in Trident. loc. cit. n. 21. et Alleg. 12. n. 19. cum Riccio, Armendar. et Bellet.* dicentes quod Clericus in Mino-

ribus, ut gaudeat privilegio fori, teneatur deferre simul habitum et Tonsuram, et Ecclesiæ deservire. Sufficit verò, quod inserviat alicui Ecclesiæ, etiamsi non sit illa, cui de mandato Episcopi fuerit adscriptus, ut declaravit S. C. die 23 Januar. ann. 1603 apud *Bened. XIV de Synodo l. 12. cap. 6. n. 5.* Idque tantò magis currit, si nulli Ecclesiæ sit adscriptus, ex alio Decreto *ibid.* edito 1 Februarii 1614. Pro his autem Minoristis non deferentibus habitum et Tonsuram, nulla præexigitur monitio, ut priventur privilegio fori, prout docet *Bened. XIV c. 2. n. 1. et Fagnan. in cap. Si quis de Foro Compet.* Diximus privilegio fori; nam secus dicendum de privilegio Canonis, ut tenent *Gonzal. Garcia, et Comitol. apud eund. Bened. loc. cit.* qui testatur hanc fuisse constantem sententiam S. C. Concilii, afferens plures ejusdem Decisiones, contra *de Luca.* Casu verò quo Clericus hic, non adimpletis conditionibus Tridentini, commiserit aliquod crimen, licet ipse nequeat allegare privilegium fori, potest tamen Episcopus eum sibi vindicare à Judice seculari, juxta Decretum S. C. approbatum à Pontifice, ut refert *Bened. n. 4.* Si tamen quis habitum dimissum reassumit, dummodo non sit in fraudem, ad pristina restituitur privilegia, ut docet idem *Bened. c. 2. n. 1. cum communi DD. in cap. un. de Cleric. conjug. in 6.* et pluribus Decretis S. C. Tunc autem præsumitur in fraudem reassumere, si in causa criminali jam sit in carcerem conjectus, aut dimissus sub fidejussione, ut *Fagnan. in c. Magnus de Obligat. cum Decr. S. C. et idem Bened. l. c.* In causa verò civili, si habitum reassumat, postquam fuerit citatus ad forum secularè. *Bened. ibid. cum Decr. S. C. edito die 30 Martii 1686.*

Eodem privilegio fori gaudent Clerici conjugati habitum, vel Tonsuram deferentes, et alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi deservientes, si unam solam virginem duxerint, ex *c. 2. De Foro compet. Vide Salmant. c. 7. n. 69.* Sed notandum, quod in *cap. ultim. de Temp. Ord. in 6.* prohibetur conjugatis conferri Tonsura, nisi velint ipsi Religionem profiteri, vel sacros Ordines suscipere, quod autem non licet eis sine uxoris licentia.

328. — Not. I. Sacerdos in sua Ordinatione promittit obedientiam Episcopo. Hinc quæritur, ad quid teneantur Sacerdotes vi hujus obedientiæ? Noster SS. P. *Bened. XIV in Constitut. Ex quo dilectus*, emanata die 14 Januarii 1747 (in *Bullar. t. 2. n. XXV. v. De reverentia*), sic explicat: « Agnoscimus Presbyteram hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut à servitio Ecclesiæ, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi. » Hoc tamen intelligendum, nisi Presbyter, etiam Parochus, velit transire ad aliquod Monasterium, vel Regularem Canonicam, ut habetur in *cap. Duo sunt. Can. 19. q. 2.* Tunc enim (ut ibi statuit *Urbanus II.*) potest liberè discedere, etiam contradicente Episcopo. Poterit tamen Episcopus, ut ait *Papa Bened. in præfata Bulla*, Clericum suum revocare ex justis causis, etiam post professionem, nempe si Ecclesia ex illius absentia gravem jacturam pateretur.

234 LIB. VI. TR. V. DE EXTREM. UNCT. ET ORDINIS. CAP. II.  
ut ibi dicit *Innoc. IV.*, (vide dicta *Tom. 3. l. 4. n. 75*). Per to  
autem *jacturam*, intelligit Pontifex læsionem sive damnum  
Ecclesiæ, dum affert doctrinam Abbatis Panormitani, qui sic  
ait: *Sed si Ecclesia graviter læderetur, esset rooomandus*. Unde  
concludit idem Pontifex Benedictus: *Et sic satis prooisum est  
etiam Episcopo, qui factum Clerici sui ad regularia Claustra, se  
inoito, impugnare velit.*

829. — Not. II. aliquid circa Missas et preces, quæ in Or-  
dinatione imponantur ordinatis ab Episcopo. Quoad obligatio-  
nem pertinet, alii (ut *Suar. Less. Laym. et Caputaq. apud Croix.*  
*n. 2319.*) putant persolvendas esse sub mortali. Alii tamen ibi  
(ut *Sot. Val. Dian. Pal. Pell. Gob. etc.*) dicunt probabiliter  
hujusmodi obligationem esse decentiæ, non autem sub peccato;  
saltem tenet *Croix*, non esse sub gravi, cum id Episcopi haud  
declararint. Quoad applicandas autem dictas Missas, sedulo con-  
sideranda sunt verba, quæ dicit Episcopus, videlicet: « Post  
» primam Missam tres Missas dicite, unam de Spiritu sancto,  
» aliam de Beata Virgine, et tertiam pro Defunctis; et etiam  
» Deum pro me orate. » Ex quibus verbis rectè infert *P. Maz-  
zota, de Sacrif. Miss. cap. 4. §. 3.* non esse obligationem appli-  
candi prædictas Missas juxta intentionem Episcopi, dum ibi  
præscribitur tantum, ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi bene  
possunt Missas pro aliis applicare etiam cum stipendio. Patet  
autem quòd hujusmodi Missæ non prius dicendæ sunt, quàm  
adveniant dies non impediti.

An autem Neo-presbyter pro Missa, quam celebrat cum Epis-  
copo, possit stipendium accipere? Negat *La Croix l. 6. p. 2.*  
*n. 2323.* eò quòd petens Missam videatur requirere Missam cum  
omnibus cæremoniis et actionibus, quæ peraguntur à Sacerdote  
in altari. Sed aliter opinatur *Bened. XIV de Sacrific. Missæ*  
*l. 3. c. 16. n. 10.* urgens exemplum Sacerdotum Græcorum cum  
Episcopo celebrantium, qui aliàs plerumque carere deberent  
eleemosyna.

850. — Not. III. id quod habetur statutum anno 1741 circa  
Ordinationem promovendorum in Concordato inito inter Sanc-  
tam Sedem, et Majestatem nostri Regnantis Caroli III quem  
Deus sospitet, ubi sic habetur: *I. Niuno potrà esser da ora in-  
uanzi promosso alla prima Tonsura, se non che à titolo di Bene-  
ficio, o Cappellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi,  
ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio  
sacro della Diocesi del Promoendo. II. Giudtiando qualche  
Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa conferir la  
prima Tonsura à qualche giovane, benchè non abbia verun Bene-  
ficio, potrà farlo; ma nel solo caso, che abbia il medesimo una  
pensione ecclesiastica perpetua della rendita, che ascenda almeno  
alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro nella sua Dio-  
cesi, o l'intero patrimonio: il quale, per eoitare qualunque frode  
o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente  
sopra beni stabili, e sopra annue rendite fisse, e doora regularsi*

à tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, purchè non sia  
esso patrimonio nè in minor summa di ventiquattro ducati, nè in  
maggiore di quaranta. III. Oltre al requisito del Beneficio, Cap-  
pellania perpetua, o pensione ecclesiastica perpetua, nella maniera  
spiegata di sopra, o d'ell intiero patrimonio, à niuno potrà confe-  
rirsi la prima Tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di  
sua età, non sia andato à dimorar almeno per un triennio in qual-  
che Seminario, o Conovitto Ecclesiastico; e dove ciò non possa  
farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'Abito Clericale con  
licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno  
per la maggior parte delle feste di precetto di ciascun d'etre anni  
non abbia servito a qualche Chiesa, nella maniera che gli sarà  
dal proprio Vescovo prescritta, computando questo servizio colla  
dimora, che aorebbe dovuto fare in qualche Seminario, o Conovitto  
ecclesiastico, etc. Ac ultimo loco dicitur: *Chiunque sarà pro-  
mossa alla prima Tonsura, agli Ordini minori, o agli Ordini sa-  
cri contro la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle  
pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso d'all  
esercizio d'ell ordine già conferitogli. E chi laora così ordinato, o  
pure gli avrà u tal effetto concedute le Dimissorie, se sarà Ves-  
covo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini, e  
d'all esercizio de Pontificali: e non essendo Vescovo, ma Pre-  
lato inferiore colluso de Pontificali, sarà sospeso per sempre d'all  
esercizio de medesimi; e non avendo luso di essi, come pure qua-  
lunque altra persona costituita in dignità, per sempre sarà sos-  
peso d'all esercizio d'ell officio, e d'e suoi Ordini. An autem hæc  
suspensio sit lætæ, vel terendæ sententiæ? Vide dicenda de  
*Cens. l. 7. n. 8.**

## TRACTATUS SEXTUS. DE MATRIMONIO.

### CAPUT I.

#### DE SPONSALIBUS.

#### DUBIUM I.

#### Quid sint Sponsalia.

**831.** Promissio sponsalitia, ut sit valida, debet esse voluntaria, et deliberata. — **832.** An teneatur ad Matrimonium fictè promittens sponsalia alteri repromittenti? — **833.** Quid, si quis voluit promittere, sed non se obligare? — **834.** Quando obligentur pueri? — **835.** An sint valida sponsalia contracta per dolum? — **836.** Promissio debet esse mutua. Qu. I. An acceptans sponsalia intelligatur repromittere? — **837.** Qu. II. An quis possit se obligare ad nuptias vi gratuitæ promissionis? Et an hæc obliget sub gravi? — **838.** Promissio debet esse expressa signo. Quid, si parentes contrahant pro filiis tacentibus? — **839.** Dub. I. Quid, si extranei? Dub. 2. An sufficiat, si parentes promittant pro filiis absentibus? — **840.** Sponsalia debent fieri inter habiles. Quid, si verba, vel signa sint dubia? — **841.** Verba de præsentibus apta ad Matrimonium inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in Matrimonio clandestinè contracto? — **842.** An sufficiat ad sponsalia dicere: Non ducam aliam quàm te? — **843.** An dicere: Contraham, si Papa dispensaverit? An sufficiat subarrhatio annuli, et missio munerum? Quid, si parentes annulum mittant? — **844.** Qu. I. An sponsalia contracta per metum gravem sint per se nulla? Qu. II. Quid, si per metum levem? Qu. III. An, qui contraxit ex metu levi, possit sponsalia rescindere?

**851.** — « **RESP.** Sunt promissio voluntaria, deliberata, et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas jure habiles.

« Dicitur 1. *Promissio*, quia propositum non sufficit, cum non inducat obligationem. Unde qui diceret: Volo te accipere, habere, aut ducere in uxorem, non contraheret sponsalia, ut *Bonac. q. 1. p. 1.* docet ex aliis, quia hæc verba non promissionem, sed propositum promissionis tantum significant, nisi tamen ex circumstantiis aliud colligatur.

« Dicitur 2. *Voluntaria*, et *deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, cum sponsalia sub mortali

obligent. *Diana. p. 3. t. 4. R. 273.* ex *Sanch. Pont.* etc. etsi *Bon. qu. 1. p. 4. n. 4.* plus requirat. Unde regulariter non sunt valida ante septennium completum, ut docent *Con. d. 21. a. 5.* *Sanch. l. 1. d. 16.* nisi malitia et prudentia suppleant ætatem. *Diana. t. 4. p. 5. R. 274.* *Pontius*, etc. (quod tamen quidam negant sufficere, cum jus determinarit ætatem) imò nec post septennium, si de usu rationis sufficienti non constet, uti neque si vi, dolo, errore, vel ignorantia circa substantiam, aut notabilem conditionem substantialem fiant, secundum dicta de Voto et Contractibus. »

**852.** — Quæritur an teneatur Matrimonium contrahere, qui fictè promissit sponsalia alteri verè repromittenti? Fictio hæc diversimodè potest contingere. 1. Si is non habuit animum contrahendi; 2. si non habuit animum se obligandi; 3. si non habuit animum adimplendi. In primo casu certè non tenetur stare promissis, cum omnino defuerit promittendi voluntas. Ita *Vica de Matr. q. 1. a. 1. n. 1. et Salm. eod. tit. c. 1. n. 25. de Contract. c. 1. n. 7.* cum *Sanch. Lugo, Sylv. etc. communiter.* Contra verò in tertio casu certum est teneri, quia jam contraxit obligationem. Vide *Salm. de Matr. l. c. n. 25.* et *Vica n. 5 et 7.* ubi bene advertunt, quòd si quis sciret oriri obligationem ex promissione, sed ad eam non adverteret, nihilominus teneretur ad promissum, quia jam habuit virtualemente voluntatem se obligandi.

**853.** — Quæstio tantum est de secundo casu, quando is voluit promittere, sed noluit se obligare. Et respondetur: si ipse ignoravit ex promissione illa oriri obligationem exequendi Matrimonium, certum est non teneri, ut dicunt *Salm. n. 26.* cum communi (quidquid aliqui aliter sentiant); quia qui ignorat naturam promissionis, non habet veram promittendi voluntatem. Dubium igitur est an teneatur ad Matrimonium, qui sciens naturam promissionis, fictè promiserit sponsalia, nolens revera ad Matrimonium se obligare? *Prima* sententia dicit quòd iste non solum peccet mortaliter contra justitiam, sed etiam ex justitia teneatur ad contrahendum Matrimonium; nec excusatur, si damnum alio modo velit resarcire. Ratio, quia in ipsa promissione, quando est vera, necessariò est insita obligatio ipsi competens: cum autem quis minimè vult promittere, minimè quidem obligatur, sed quando verè promittit, non potest nolle obligari juxta conditionem contractus; nequit enim à promissione obligationem illi propriam separare; ita probabiliter *Pont. de Matr. l. 12. c. 2. n. 7.* cum *Vasq. Vica l. c. n. 2. v. Dico 2. item Sot. Lop. Led. Arag. Gutt. etc.* apud *Sanch. Secunda* verò sententia probabilior, cui subscribimus, et quam tenent *Sanch. de Matr. lib. 1. Disp. 9. n. 5. et Disp. 10. n. 25. Pal. p. 2. n. 2. Laym. c. 1. n. 10. Less. c. 18. n. 61. Holzm. c. 1. n. 117. Spor. c. 1. n. 54. Escob. l. 24. n. 12. Renzi. de Matr. c. 1. sect. 1. qu. 2. Tamb. eod. tit. l. 8. c. 1. §. 4. n. 5. Mazz. c. 2. §. 1. et Salm. c. 1. n. 28.* cum *Bonac. Bec. Aversa, Vill.*

*Corneio, et Diana*, negat esse obligationem contrahendi. Ratio præcipua, est, quia omnis obligatio quæ non habetur ex lege, oritur ex privata hominis voluntate; ergo ubi deest voluntas se obligandi deficit obligatio. Et hoc etiamsi promissio fuerit juramento firmata, ut docent *Sanch. d. Disp. 9. num. 9. cum S. Bonao. S. Anton. Medina, Pal. et pluribus. Escob. num. 95. cum Riccardo, Gabr. ac Salm. cum Bonac. et Aversa, ex D. Thom. qui in 3. dist. 39. q. 1. a. 3. q. 3. docet juramentum non obligare, ubi deest animus se obligandi, juramentum enim sequitur naturam promissionis. Nec obstat ratio contraria supra allata, quæ, esto fictè promittens peccarit contra justitiam, alteram partem decipiendõ, non tenebatur tamen ex justitia ponere verum consensum, cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, et contra alter nullum acquisierit jus in eum ex suo consensu; ideo tenetur quidem postea ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, et Matrimonium contrahere. Secus verò dicendum, si interverit defloratio, quia tunc deflorans omnino tenetur ad Matrimonium, cum non possit tunc alia via sat æquivalenter damnum resarcire, ut diximus *Tom. 2. l. 3. ex n. 642.**

854. — Sufficit autem ad validitatem sponsaliorum inter pueros, ut in ipsis probabiliter agnoscatur rationis usus. Hoc putant probabilius cum communi *Salm. de Matr. c. 1. n. 71. cum Sanch. Con. Dic. Bon. et aliis, contra Pal. Avers. etc.* qui dicunt pueros ante septennium non obligari. Non peccant autem graviter pueri, vel parentes pro eis sponsalia promittentes, ut dicunt *Salm. c. 1. n. 77. cum Conc. Sanch. etc. contra Bonac. et Henr.*

855. — An verò sint irrita sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, etsi versantem tantum circa qualitatem? Affirmant *Sanch. de Matr. l. 1. D. 64. n. 3. Mol. Coar. etc.* et idem sentiunt *P. Conc. et alii* quos citavimus *T. 3. l. 3. n. 715. de Contract.* Sed ibi diximus probabilius eo casu contractum non irritari, neque de jure naturali, cum jam adsit consensus quoad substantiam, neque de jure civili, ut patet ex *Instit. l. 4. tit. 13. de Except.* cujus verba attulimus *dict. n. 715.* Habet verò tunc deceptus actionem irritandi contractum propter injuriam et defectum consensûs, idque currit, etiamsi deceptio provenerit ab alio tertio, parte ignorante, ut docet *Sanch. cum Coar. et aliis cit. D. 64. n. 4 et 5.* Cæterum satis probabile est cum *Lessio, Laym. et Sporer* relatis *eod. n. 715.* et cum *Vioa de Matr. qu. 2. art. 1. n. 2.* quòd deceptus non teneatur in conscientia stare contractui, si suus error verè fuerit invincibilis.

An autem stando primæ sententiæ, nempe quòd sponsalia sint per se irrita, etiam decipiens liber remaneat? Affirmant idem *Sanch. loc. cit. et Pontius l. 4. c. 21. n. 7. cum Con. Val. Reb. etc.* Sed oppositum est probabilius, ut fusè probavimus *Tom. 3. l. 3. n. 715. cum Lug. Less. Laym. Pal. etc.*

856. — « Dicitur 3. *Mutua.* Unde si Titius promittat nuptias » *Caia*, et hæc acceptet sine repromissione, neuter obligatur;

» quia, cum contractus sponsalium sit onerosus, et reciprocus, non » potest claudicare: involvit enim conditionem, si tu repromiseris. » Quòd si tamen Titii promissio fuisset absoluta, ac gratuita, et » acceptata à *Caia*, solus Titius obligaretur, non vi sponsalium, » sed simplicis promissionis. Ita *Sanch. l. 3. d. 3. contra Pontium* » apud *Dian. p. 3. tr. 4. res. 244.* »

Quær. hic I. An hoc ipso, quòd aliquis acceptet sponsalia, simul repromittere intelligatur? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Pont. l. 12. c. 4. n. 10. cum S. Anton. Palud. Sylo. etc.* ac probabilem putant *Salm. c. 1. n. 16. cum Vasq. Henr. Leandro, et Gabr. à S. Vincentio.* Ratio, quia sicut acceptatio Matrimonii de præsentì includit virtualement repromissionem, seu voluntatem ad illud se obligandi, cum Matrimonium valere non possit, si utraque pars non obligetur; ita etiam acceptatio sponsaliorum, quæ Matrimonii naturam sequuntur. Hinc deducunt hi Auctores cum *Mol. et Busemb.* quòd casu quo uterque sponsorum non obligatur, neuter remaneat obligatus. Secunda verò sententia probabilior negat, et hanc tenent *Bon. q. 1. p. 1. n. 7. Conc. t. 10. p. 268. n. 5. Sanch. l. 1. D. 5. n. 15. Laym. c. 1. n. 2. Spor. n. 151. Escob. n. 68. cum Soto, ac Salm. c. 1. n. 18. cum Dic. Pal. etc.* qui dicunt, bene posse stare promissionem unius de futuro Matrimonio, et acceptatam obligare, sine repromissione alterius; neque acceptationem includere repromissionem, quia potest quisque acceptare obligationem alterius, quin seipsum obliget. Advertunt tamen *Salm. n. 21.* hoc intelligi, si promittens voluit sponte se obligare independenter ab alterius repromissione, atque hoc sit certum; nam in dubio, ut dicunt, censendum est noluisse sine repromissione obligari. Et in tali casu notandum, quòd promissio illa non esset sponsalia, ideoque non induceret impedimentum publicæ honestatis, sed esset mera promissio gratuita, unam tantum partem obligans, non vi quidem sponsalium, sed vi meræ fidelitatis.

857. — Quær. II. An quis possit se obligare ad contrahendum Matrimonium vi gratiæ promissionis, libera remanente altera parte? Prima sententia negat, et hanc tenent *Pont. l. 12. c. 4. n. 2. cum Vasq. Conc. p. 259. n. 6.* et probabilem vocat *Dian. p. 3. tr. 4. R. 244.* Ratio, quia contractus sponsaliorum est instar contractus cujusdam permutationis; unde in eo nemo potest se obligare, nisi sub conditione, ut alter mutuo se obliget. Secunda verò sententia communior et probabilior affirmat, eamque tenent *Busemb. ut supra, et Sanch. l. 1. D. 5. n. 12. Laym. c. 1. n. 2. Bon. q. 1. p. 1. n. 8. Escob. l. 24. n. 71. Spor. n. 152. et Salm. c. 1. n. 20. cum Con. Dic. et Avers.* Ratio, quia, licet vi promissionis sponsalitæ non possit unus remanere obligatus, altero manente libero; tamen bene potest aliquis vi simplicis promissionis gratiæ se obstringere independenter à contractu sponsalium. An autem hæc promissio obliget sub gravi? Id pendet ab alia questione allata *Tom. 3. l. 3. n. 720.* ubi diximus cum *Cujet. Bann. Led. Henr. et Salmant.* ex auctoritate *D. Thomæ*, satis esse probabilem sen-

tentiam negativam. Rectè verò advertunt *Spor. l. c. et Tamb. de Matr. tr. 3. c. 1. §. 1. n. 4.* quòd regulariter nunquam sponsi intendant gratis se obligare sine conditione quòd alter etiam se obliget.

858. — « Dicitur 4. *Signo expressa*; quia contractus inter homines non fit, nisi signo externo. Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas Caiæ, etiam cum consensu interno in promissionem matrimonii, quod Titius ei promittit. Si tamen pater vel mater pro filio, aut filia, aut curator pro eo, cuius curam habet, præsentem et non contradicentem, dummodo metus absit, contrahat, valida erunt; quia in hoc casu jus accipit taciturnitas pro expressione consensûs. *Sanch. l. 1. d. 22. Dian. p. 3. t. 4. R. 170.* imò etiamsi pro absente: saltem si is rescians id expressè vel tacitè signo aliquo sufficienti ratificat. *Sanch. Pont. Dian. p. 3. t. 4. R. 271.* contra quos *Sot. et Henr.* ne hoc quidem requirunt, sed tantum, ut rescians non contradicat. Quod *Conin.* admittit, si per ipsos tutores, vel parentes iis proponatur; tunc enim si taceant, censeri consentire. »

Si parentes contrahant sponsalia, præsentem filio, qui taceat, et non contradicat, ipsa utique sunt valida, ut communiter docent *Laym. cap. 1. n. 3. Palaus p. 4. n. 12. Ronc. p. 133. q. 5. R. 1. Sanch. l. 1. c. 23. n. 5.* et alii passim. Et patet ex *cap. un. §. 1. fin. de Despons. impub. in 6.* ubi Bonif. VIII. sic declaravit: « Porro ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentem fuerint, nec contradixerint, obligantur. » Idemque dicendum, non solum si pater, sed etiam si mater contrahat pro filio, ut rectè etiam communiter docent *Sanch. n. 9. Pont. l. 2. c. 14. n. 2. Pal. p. 4. n. 14. Boss. c. 3. n. 159. cum Abb. et Salm. n. 47.* idque inferitur ex dicto textu, ubi non dicitur *patres*, sed *parentes*; et ratio est, quia in hoc non habetur respectus ad patriam potestatem, sed ad affectum parentum erga filios: matres autem non minus quam patres filios diligunt. Idem dicunt *Busemb. ut supra, et Spor. l. c.* de tutoribus, et curatoribus promittentibus pro pupillis et minoribus. Sed probabilius id negant *Salm. d. n. 48.* cum *Sanch. et Guttier.* quia hoc tantum de parentibus dispositum est.

Id tamen procedit duntaxat pro foro externo, ut bene advertunt *Bonac. et Roncag. ll. cc. ac Holzm. de Matr. n. 149.* cum *Anacl.* Nam in foro interno, si filius dissenserit, certè ad sponsalia illa à parentibus contracta non obligatur. Et idem omnino dicendum puto, si filius negativè se habuerit non dissentiendo neque consentiendo; ad contrahendam enim quamcumque obligationem positivus requiritur consensus. Nec obstat præfatus textus, cum ibi dicatur *obligantur*; nam ad Matrimonium, et sic pariter ad sponsalia quæ Matrimonii naturam sequuntur, non sufficit consensus internus contrahentium, sed requiritur consensus externè expressus aut verbis, aut signis, ut habetur in *Cap. Sufficiat, Caus. 27. q. 2.* Quamvis autem sponsalia contracta

per solum consensum internum non valeant, valent tamen in hoc casu speciali, ut Bonifacius decernit, nempe si pater contrahat pro filio tacente, et non contradicente; sed utique intelligendus Pontifex loqui, modò filius internè et positivè consentiat. Et sic revera mecum sentiunt *Bon. q. 1. p. 1. n. 11.* et *Salm. n. 46.* dum dicunt, tunc solum taciturnitatem filii valida reddere sponsalia, quando filius internè consentit.

859. — Dubit. 1. an sit speciale, quòd sufficiat præsentia et taciturnitas filiorum, si parentes pro eis contrahant? Negant *Hostiens. Manuel, et Anchar. ap. Sanch. l. 1. D. 22. n. 7.* qui dicunt id procedere, etiamsi extraneus contrahat sponsalia pro alio præsentem et tacente; quia (ut aiunt), cum hinc agatur de re appetibili, quisque tacens consentire videtur. Idque confirmant ex *c. 1. de Matr. contr. contra Eccles. etc.* ubi iudicantur valida sponsalia inita à fratre pro sorore præsentem, et tacita consentiente dum textus ponderat ibi aliqua signa taciti consensûs. Et huic sententiæ consentiunt etiam *ap. Sanch. l. c. Vict. Henr. Led. et Sotus*; loquendo tamen pro solo foro externo. Sed communissimè et veriùs id in utroque foro esse speciale pro sponsalibus contractis à parentibus affirmant *Escob. n. 169. Pul. p. 4. n. 17. Boss. c. 3. n. 165. et Sanch. n. 7.* cum *S. Anton. Palud. Innoc. Abba. Gabr. Coo. Tab. et aliis plurimis ex D. Th. in 4. D. 27. q. 1. ar. 2. q. 3. ad 3.* Ratio, quia licet Matrimonium sit per se appetibile, tamen obligatio ad illud est onerosa; cum autem parentes præ magno amore erga filios præsumantur ipsis bene consulere, meritò censentur filii consentire ipsorum promissioni; sed hæc ratio non militat pro aliis. Nec obstat regula juris 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur.* Nam bene respondent *Salm. n. 45. Bonac. et Ronc. ll. cc.* hoc procedere in favorabilibus, non autem in obligatoriis; ubi veriùs oppositum præsumitur: et maximè in sponsalibus, ubi (ut diximus) positivus requiritur consensus. Neque obstat textus supra oppositus; nam respondet *Escob. l. c. cum Glossa* ibi bene adfuisse expressum consensum, et textum exprimere alia signa tacita, ut confirmet adfuisse verum consensum per illa signa externatum. Rectè tamen *Sanch. n. 14.* cum aliis primam sententiam admittit, si alicubi (prout est apud Indos) esset consuetudo, ut consensus per alios exprimeretur.

Dubit. 2. an, cum parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, sufficiat ad eorum valorem, si filii certiores facti non contradicant? *Prima* sententia negat, dicitque requiri, ut ipsi sponsalia ratificent aliquo alio speciali signo expresso vel tacito: ita *Sanch. l. 2. D. 23. n. 17. Pont. l. 2. c. 14. n. 14. et l. 10. c. 9. n. 9. Ronc. p. 143. q. 5. R. 2. Escob. n. 171.* cum *Vega, et Cordub. ac Bors. c. 3. n. 188.* cum *Molin. Fill. Barb. Gutt. etc.* Et probant ex *eod. cap. unic. de Desp. imp. in 6.* ubi sic dicitur: « Et est idem si filii tempore sponsaliorum absentes, et etiam ignorantes eadem sponsalia post scienter ratificaverunt tacitè, vel expressè. » Ergo (ut arguunt) bene ibi constituitur differentia inter sponsalia contracta præsentibus filiis, ubi sufficit

taciturnitas; et filiis absentibus, ubi amplius requiritur ratificatio expressa, vel tacita. *Secunda* verò sententia dicit sufficere ad contrahendum, quòd taceant et non contradicant; hanc tenent *Bon. qu. 1. p. 1. n. 11. Sporer. n. 191. cum Con. et Tamb. Pal. p. 4. n. 14. cum Palud. et Henr. ac Salm. c. 1. n. 87. cum Soto, Dic. etc.* Hujusque sententiæ est quidem etiam *D. Th. 4. D. 27. qu. 2. art. 2. ad 1.* dum ibi ait: « Robur habent (sponsalia) » in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, et intelliguntur consentire quæ per alios facta sunt. » Ratio, quia ex præfato textu sufficit, ut filii expressè, vel tacitè sponsalia ratificent; expressè ergo intelligatur consentiendo, tacitè non contradicendo, et ideo Pontifex dicit, *Et idem est;* et in tantum ibi ait *ratificaverunt*, quia agitur de re per alios jam peracta. Utraque sententia est probabilis, sed secunda probabilior. Bene tamen advertit *Pal. n. 15. cum Coninch.* non sufficere quòd filius casu resciat sponsalia à parente contracta, et non contradicat; sed insuper requiri, ut parens vel per se vel per epistolam aut nuncium filium certiorum faciat.

840. — « Dicitur 5. *inter habiles*: id est, qui et ætatem à jure præscriptam habent, et nullo impedimento prohibentur. »

Unde resolves :

« 1. Quando verba, vel signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet; in externo autem, communi intelligentiæ et sensui verborum; » ita tamen, ut potiùs inclinetur in favorem matrimonii. » *V. Dian. p. 3. t. 4. Res. 205. Bon. q. 1. p. 1. (Sed probabilius est, ut ait Viva, inclinandum esse in favorem libertatis.)* »

841. — « 2. Verba de præsentibus inter impuberes apta ad matrimonium, cum hoc ex jure positivo sit nullum, habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa intentione contrahentium, quia actus, quando non valent, eo pacto quo fiunt, valent meliori modo quo possunt; sponsalia autem virtute continentur in matrimonio. *Laym. l. 3. n. 17.* »

Hæc doctrina est communis apud omnes; ita enim docent *Sanch. l. 1. D. 2. n. 2. Pontius l. 12. c. 5. n. 4. Pal. p. 3. n. 8. et Salm. c. 1. n. 51. ac alii universè, ex c. un. §. Idem, de Despon. impub. ubi id expressum habetur; modò (intelligendum) impubes interius non expressè dissentiat. An autem idem valeat inter puberes, si Matrimonium clandestinè, id est sine Parocho et testibus contrahatur? Affirmant *Laym. c. 1. n. 18. Con. Reb. ac Vega ap. Barb. in Trid. sess. 24. c. 1. n. 130. item Avila, Henr. Led. etc. ap. Salm. n. 52. probabile putat Escob. n. 128.* Retio, quia, ut dicitur in dicto §. *Idem*, actus qui non valet ut fit, valet tamen ut fieri potest. Sed communissimè et probabilius negant *Sanch. l. 1. D. 20. n. 3. Barb. All. 32. n. 143. Bon. p. 8. n. 48. Conc. p. 262. n. 14. Escob. n. 128. cum Nao. Led. Manuel, et Palac. Boss. c. 3. n. 12. cum aliis pluribus, et**

*Sanch. n. 54. cum Becan. Dian. et Vill. qui assertit Declar. Cardinalium.* Ratio, quia cum actus est nullus, non jam ex parte contrahentium, sed ex parte sui ipsius, eò quòd est contra bonos mores, et jus illi resistit ( prout huic resistit Tridentinum sess. 24. c. 1. declarans Matrimonium clandestinum omnino irritum, et insuper personas omnino inhabiles ad sic contrahendum ), tunc talis actus nullam parit obligationem ex *l. Non dubium, C. de Legib.*

842. — « 3. Ad sponsalia non sufficit 1. si dicas: *Non ducam aliam quam te;* quia sunt verba merè negativa, et potest ducere nullam. *Bon. q. 1. p. 7. n. 13.* »

Idem rectè tenent *Laym. c. 2. n. 2. Pal. p. 3. n. 13. Escob. n. 148. c. 1. n. 44. Boss. c. 3. n. 213 et 224. Holzm. n. 148. cum Anac. et communi ut asserit, ac Sanch. l. 1. D. 19. n. 5. cum Henr. Man. Vega, Ledesm. etc. contra Aug. Sylo. Adrian. Villal. etc. ib. n. 3.* Ratio, quia talia verba, licet importent, quòd si ille velit uxorem ducere, non posset aliam accipere, ut bene advertunt *Laym. Pal. Bon. Salm.* Et alii communiter; tamen per se non important quòd illam ducere teneatur. Dicimus per se, nam aliter dicendum cum *Bon. Escob. et Salm.* si ex circumstantiis colligatur talem verè voluisse sponsalia contrahere. Probabilissimè autem dicunt *Pont. l. 4. c. 10. n. 7. Viva qu. 1. art. 4. n. 2. cum Perez, et alii ap. Boss. n. 221.* quòd si verba sint de præsentibus, nempe *Nullum volo nisi te,* tunc verè contrahit sponsalia.

843. — « 2. Non sufficit ad contrahenda sponsalia dicere, » *contraham tecum, si Papa dispensaverit.* *Barb. et alii 10. cum Dian. p. 3. t. 4. R. 292. contra Sanch. Conin. et Pont.* Ac proinde licitum est utrique contrahenti, ante et post impetratam à Pontifice dispensationem, altero invito resilire. Si tamen impensæ magnæ factæ sint causa dispensationis, eas tenebitur refundere resiliens. » (Hujusmodi tamen sponsalia, impleta conditione, probabilius sunt valida, juxta dicenda n. 859. Et interim, licet non valeant ad inducendum impedimentum publicæ honestatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si Papa in tali impedimento soleat dispensare, secus si non soleat; vide dicta *Tom. 1. lib. 3. n. 65.*) » 3. Subarrhatio annuli, et missio munerum jocalium, nisi consuetudo patriæ habeat. » Ratio est, quia potest fieri ex aliis causis. » (Ita etiam *Sanch. l. 1. D. 22. n. 2. Boss. c. 3. n. 120. Pal. p. 4. n. 10. Conc. p. 262. n. 13 et alii passim.*) » Quòd si tamen verba unius præcesserint, tunc immissio annuli, et verbum, *recipio*, operatur sponsalia, vel etiam matrimonium, pro ratione promissionis, ut docet *Fill.* quia recipiendo sic anulum tacitè consentit: itemque si habito inter amicos tractatu de matrimonio, sponsus misit arrhas, et munera jocalia: eaque sponsa accepit. *Laym. l. 5. t. 10. c. 2. (Ita pariter Pal. p. 4. n. 10. Escob. n. 164. Boss. c. 3. n. 123. Holz. n. 146. et Sanch. l. 1. D. 22. n. 3. cum Abbat. Sylo. Angl. Tab. Arm. Coe. et alii,* et hoc etiam si (ut hi dicunt) non adsit verbum *recipio*, ut vult *Busemb.* sufficit enim sola acceptatio. Si autem parentes

annulum mittant ad sponsam, non præsumitur filius contraxisse sponsalia, nisi annulus ex suo consensu missus fuerit, ut rectè sentiunt Palau *loc. cit. Sanch. n. 7. et Boss. n. 125. cum Mol. Gutt. Menoch. etc.* 4. Sponsalia metu gravi contracta, licèt juramento firmata, sunt invalida, quia juramentum metu extortum non firmat contractum; imò probabiliter nec obligat, adeoque relaxatione non indiget. *Sanchez, Barb. Diana. part. 3. t. 4. Resol. 278. sup. l. 3. t. 2. cap. 2.*

844. — Quæritur I. Utrum sponsalia per metum gravem injustum contracta sint ipso jure invalida? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 4. D. 21. n. 3. Pontius l. 4. c. 6. n. 12. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. Bon. p. 7. n. 6. Salm. c. 1. ex num. 62. cum Bec. Cov. Diana, et Aversa, ac Boss. c. 12. n. 113. cum Panorm. Azor. Sa, Rodr. etc.* Et probant ex *c. Ex litteris, 11. de Despons. impub.* ubi, cum quædam puella contraxisset sponsalia cum juramento, postea *nolens* (ut ait textus) *et invito, minis parentum impulsâ*, adducta fuit in domum sponsi; ideo Pontifex declaravit eam liberam esse ab illis sponsalibus. Nec obstat dicere, quòd talis puella non contraxerit sponsalia per metum, sed per metum domum sponsi adiverit. Nam communiter supponunt DD. cum Glossa, hanc puellam desponsatam fuisse per metum; idque rectè ait *Sanchez* certè supponi in eod. textu, alias enim Pontifex eam ab obligatione sponsalium non absolvisset. Dicitur autem per metum *gravem*; nam si esset levis, aliter dicendum, ut mox videbimus in Quæst. II. item dicitur *per metum injustum*; quia si esset justus, valida quidem essent sponsalia; tunc enim pars, quæ ea contraxit, esset irrationabiliter invita, si nollet contrahere, ut rectè dicunt *Salm. d. n. 66. juxta dicenda n. 1057. Secunda* verò sententia, quam tenent *Conink. D. 28. n. 7. Viva q. 1. a. 8. n. 9.* item *Hurt. Dic. et Trull. apud Salm. n. 61.* tenent hujusmodi sponsalia ex metu gravi contracta posse quidem irritari à metum passo, sed non esse per se irrita; ideoque dicit, quòd si adfuit juramentum, debet ipsum servari, donec relaxetur. Ratio, quia omnes contractus, præter solum Matrimonium, per metum iniiti per se validi sint, juxta dicta *Tom. 3. l. 3. n. 717.* Respondent autem ad textum allatum in *dict. c. Ex Litteris*, quòd ibi ageretur de puella quæ omnino invita contraxerat, et ideo ejus promissio fuerit irrita declarata. Utraque sententia est probabilis, sed prima mihi videtur probabilior; licèt enim, loquendo de contractibus in genere, oppositum tenui (ut dixi), nempe quòd contractus metu iniiti sint de se validi, circa sponsalia verò diversa occurrit ratio; nam in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, nec eis resistat jus, bene potest metum passus, nisi velit contractus rescindere, manere obstrictus ad illum exequendum; at nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, et cui jus resistit, qualis esset Matrimonium durante tali metu contrahendum; unde sicut non potest aliquis esse obligatus ad tale Matrimonium, ita nec ad ejus media, sive dispositionem, prout sunt sponsalia; dispositiones enim induunt eandem naturam actus, et

ideo passim Doctores asserunt, sponsalia naturam Matrimonii sequi. Adde, quòd connexorum idem debeat esse judicium, ut inferitur ex *cap. Translatio, de Constitut.* Quapropter sicut Matrimonium ex metu est irritum, idem dicendum de sponsalibus. Ex his inferitur, quòd ex hujusmodi sponsalibus minime oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Quæritur II. An sint valida sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Nav. c. 22. n. 51. Less. c. 17. Dub. 6. n. 46. Ronc. p. 132. qu. 4. R. 2. et Boss. c. 12. num. 288. cum Rebell. Comit. Sylo. etc.* Ratio, quia is qui per metum (etsi levem) extorquet consensum alterius, adhuc injuriam ei irrogat, unde indignus est, ut ex sua malitia commodum reportet. *Secunda* verò sententia communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Bon. p. 9. n. 6. Pont. l. 4. c. 10. n. 5. cum Medina, Salm. c. 1. n. 60. cum Aversa, Croix l. 7. p. 3. num. 105. Viva de Matr. q. 4. art. 3. n. 6. et Mazz. l. 4. p. 142.* Ratio, quia non censetur alter veram injuriam tibi intulisse, cum facillè poteras tu metum illam repellere; quare, si non repulisti, censeris sponte voluisse talem injuriam pati.

Quæritur III. An qui contraxit sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Pon. l. 4. c. 10. n. 6 et 10. et Viva q. 4. art. 3. n. 6. cum Perez, Med. etc.* Et ratio est eadem quæ mox supra adducta est pro secunda sententia in Quæst. præced. Hæc sententia est satis probabilis, sed communior est, et probabilior videtur *secunda* sententia affirmans, quam tenent *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 6. n. 4. Sanch. l. 4. D. 19. n. 6. Wigandt tr. 3. n. 19. Bon. p. 9. n. 8. Salm. c. 1. n. 60. Mazzotta tom. 4. p. 142. Croix n. 105. cum Becan. et Lugo de Contract. D. 22. n. 138. cum Azor. Reg. Lop. Led. etc.* et probabilem putat *Viva q. 4. art. 3. n. 7.* Ratio, quia, cum metus dederit causam contractui, ita ut alias iniitus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere; unde, sicut ille tenetur relaxare fidem injustè per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare. Idque tantò magis procederet, si hic apprehendisset metum illum ut gravem, licèt in se fuisset levis, quia eo casu talem metum non facillè repellere poterat, sicut poterat quando novisset ut levem. Quid autem dicendum, si metus fuerit justus, vel ab intrinseco; vide dicenda ex num. 1053.

## DUBIUM II.

## Quæ, et quanta sit obligatio sponsalium.

845. Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum Matrimonium? — 846. An Judex possit, et debeat cogere nolentes ad Matrimonium? — 847. An fornicatio sponsæ, vel sponsi cum alia sit specie diversa? Fictè promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorserit a virgine. (Vide etiam dicta de Rest. T. 2.

annulum mittant ad sponsam, non præsumitur filius contraxisse sponsalia, nisi annulus ex suo consensu missus fuerit, ut rectè sentiunt Palau *loc. cit. Sanch. n. 7. et Boss. n. 125. cum Mol. Gutt. Menoch. etc.* 4. Sponsalia metu gravi contracta, licèt juramento firmata, sunt invalida, quia juramentum metu extortum non firmat contractum; imò probabiliter nec obligat, adeoque relaxatione non indiget. *Sanchez, Barb. Diana. part. 3. t. 4. Resol. 278. sup. l. 3. t. 2. cap. 2.*

844. — Quæritur I. Utrum sponsalia per metum gravem injustum contracta sint ipso jure invalida? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 4. D. 21. n. 3. Pontius l. 4. c. 6. n. 12. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. Bon. p. 7. n. 6. Salm. c. 1. ex num. 62. cum Bec. Cov. Diana, et Aversa, ac Boss. c. 12. n. 113. cum Panorm. Azor. Sa, Rodr. etc.* Et probant ex *c. Ex litteris, 11. de Despons. impub.* ubi, cum quædam puella contraxisset sponsalia cum juramento, postea *nolens* (ut ait textus) *et invito, minis parentum impulsâ*, adducta fuit in domum sponsi; ideo Pontifex declaravit eam liberam esse ab illis sponsalibus. Nec obstat dicere, quòd talis puella non contraxerit sponsalia per metum, sed per metum domum sponsi adiverit. Nam communiter supponunt DD. cum Glossa, hanc puellam desponsatam fuisse per metum; idque rectè ait *Sanchez* certè supponi in eod. textu, alias enim Pontifex eam ab obligatione sponsalium non absolvisset. Dicitur autem per metum *gravem*; nam si esset levis, aliter dicendum, ut mox videbimus in Quæst. II. item dicitur *per metum injustum*; quia si esset justus, valida quidem essent sponsalia; tunc enim pars, quæ ea contraxit, esset irrationabiliter invita, si nollet contrahere, ut rectè dicunt *Salm. d. n. 66. juxta dicenda n. 1057. Secunda* verò sententia, quam tenent *Conink. D. 28. n. 7. Viva q. 1. a. 8. n. 9. item Hurt. Dic. et Trull. apud Salm. n. 61.* tenent hujusmodi sponsalia ex metu gravi contracta posse quidem irritari à metum passo, sed non esse per se irrita; ideoque dicit, quòd si adfuit juramentum, debet ipsum servari, donec relaxetur. Ratio, quia omnes contractus, præter solum Matrimonium, per metum iniiti per se validi sint, juxta dicta *Tom. 3. l. 3. n. 717.* Respondent autem ad textum allatum in *dict. c. Ex Litteris*, quòd ibi ageretur de puella quæ omnino invita contraxerat, et ideo ejus promissio fuerit irrita declarata. Utraque sententia est probabilis, sed prima mihi videtur probabilior; licèt enim, loquendo de contractibus in genere, oppositum tenui (ut dixi), nempe quòd contractus metu iniiti sint de se validi, circa sponsalia verò diversa occurrit ratio; nam in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, nec eis resistat jus, bene potest metum passus, nisi velit contractus rescindere, manere obstrictus ad illum exequendum; at nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, et cui jus resistit, qualis esset Matrimonium durante tali metu contrahendum; unde sicut non potest aliquis esse obligatus ad tale Matrimonium, ita nec ad ejus media, sive dispositionem, prout sunt sponsalia; dispositiones enim induunt eandem naturam actus, et

ideo passim Doctores asserunt, sponsalia naturam Matrimonii sequi. Adde, quòd connexorum idem debeat esse judicium, ut inferitur ex *cap. Translatio, de Constitut.* Quapropter sicut Matrimonium ex metu est irritum, idem dicendum de sponsalibus. Ex his inferitur, quòd ex hujusmodi sponsalibus minime oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Quæritur II. An sint valida sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Nav. c. 22. n. 51. Less. c. 17. Dub. 6. n. 46. Ronc. p. 132. qu. 4. R. 2. et Boss. c. 12. num. 288. cum Rebell. Comit. Sylo. etc.* Ratio, quia is qui per metum (etsi levem) extorquet consensum alterius, adhuc injuriam ei irrogat, unde indignus est, ut ex sua malitia commodum reportet. *Secunda* verò sententia communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Bon. p. 9. n. 6. Pont. l. 4. c. 10. n. 5. cum Medina, Salm. c. 1. n. 60. cum Aversa, Croix l. 7. p. 3. num. 105. Viva de Matr. q. 4. art. 3. n. 6. et Mazz. l. 4. p. 142.* Ratio, quia non censetur alter veram injuriam tibi intulisse, cum facillè poteras tu metum illam repellere; quare, si non repulisti, censis sponte voluisse talem injuriam pati.

Quæritur III. An qui contraxit sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Pon. l. 4. c. 10. n. 6 et 10. et Viva q. 4. art. 3. n. 6. cum Perez, Med. etc.* Et ratio est eadem quæ mox supra adducta est pro secunda sententia in Quæst. præced. Hæc sententia est satis probabilis, sed communior est, et probabilior videtur *secunda* sententia affirmans, quam tenent *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 6. n. 4. Sanch. l. 4. D. 19. n. 6. Wigandt tr. 3. n. 19. Bon. p. 9. n. 8. Salm. c. 1. n. 60. Mazzotta tom. 4. p. 142. Croix n. 105. cum Becan. et Lugo de Contract. D. 22. n. 138. cum Azor. Reg. Lop. Led. etc.* et probabilem putat *Viva q. 4. art. 3. n. 7.* Ratio, quia, cum metus dederit causam contractui, ita ut alias iniitus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere; unde, sicut ille tenetur relaxare fidem injustè per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare. Idque tantò magis procederet, si hic apprehendisset metum illum ut gravem, licèt in se fuisset levis, quia eo casu talem metum non facillè repellere poterat, sicut poterat quando novisset ut levem. Quid autem dicendum, si metus fuerit justus, vel ab intrinseco; vide dicenda ex *num. 1053.*

## DUBIUM II.

## Quæ, et quanta sit obligatio sponsalium.

845. Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum Matrimonium? — 846. An Judex possit, et debeat cogere nolentes ad Matrimonium? — 847. An fornicatio sponsæ, vel sponsi cum alia sit specie diversa? Fictè promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorsit a virgine. (Vide etiam dicta de Rest. T. 2.



l. 3. ex n. 642.) — 848. Si quis cum duabus sponsalia contraxit, et cum secunda coërit, quam ducere debet? — 849. De filiis nuptias contrahentibus insciis parentibus. An tales nuptiæ sint validæ? Qu. I. An et qualiter peccent filii nubentes, parentibus insciis, vel inconsultis? Quid, si sponsalia fuerint jurata? Quid, si sponsus post illa virginem desloraverit? An Prælati teneantur has nuptias impedire? Ex quibus autem causis excusentur filii contrahentes sine consensu parentum? — 850. Quæst. II. An teneatur filius obedire patri præcipienti Matrimonium? — 851. Quæst. III. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irriter sponsalia? — 852. Resiliens perdit arrhas, etc. Not. I. Quid, si mulier promittit aliquid viro, ut eam ducat, et quid è converso? — 855. Not. II. De pœna apposta in resipientem. Qu. I. An liceat adjicere pœnam in resipientem injuste? Qu. II. An juste resiliens teneatur ad pœnam promissam cum juramento? Qu. III. An soluta pœna, teneatur recipiens eam restituere? Qu. IV. Quid, si relinquatur legatum puellæ ut nubat cum aliquo, et illa cum alio nuptias contrahat? Qu. V. Quid, si legatum relinquatur ut non nubat, et illa nubat? — 854. An liceant tactus et oscula inter sponsos?

848. — « RESPONDEO I. Obligant ad ineundum matrimonium » sub peccato mortali: \* (Ita communiter omnes (vide Salm. c. 1. n. 81.); et patet ex c. Ex litteris de sponsal. Ratio, quia, » licet promissio simplex, juxta probabilem sententiam, non in- » ducat gravem obligationem, secus verò est de promissione mu- » tua, quæ perfectum constituit contractum ex utraque parte » obligatorium.) \* si tamen terminus non sit præfixus, sufficit » si promittens impleat, quando à promissario requiretur, vel pro » more regionis. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi, » in re gravi. Ratio posterioris est, quia id est commune omni » debito. Sanch. l. 1. d. 28. Conin. d. 22. dub. 1. apud Dian. p. 3. » t. 4. R. 245. Pontius tamen ibid. vult obligari statim post con- » tractum. »

Quæritur igitur, an qui sponsalia contraxit sine tempore præfixo ad Matrimonium contrahendum, teneatur illud inire statim ac commodè possit. Prima sententia negat, et dicit tum solum teneri, cum altera pars requirit; ita Bus. ut supra. Sanch. l. 1. d. 28. n. 2. Nav. c. 17. n. 79. Holz. n. 177. cum Abb. et Piring. ac Escob. n. 78. cum Pal. Syol. etc. Ratio, quia sic habetur in lib. Debitorum præsentibus, C. de Pignor. ubi dicitur: Debitorum prius denunciationibus conveniendi sunt. Secunda tamen sententia verior affirmat, et hanc tenent Pontius l. 12. c. 6. n. 1. Pal. p. 7. n. 2. Conc. p. 268. n. 26. Ronc. p. 134. q. 2. R. 2. et Salm. c. 1. n. 85. cum Con. Led. et Aversa. Ratio, quia sic habetur expressum in l. In omnibus, ff. de Reg. Jur. ubi sic dicitur: « In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsentem die debetur. » Et in l. Eum qui, §. Quoties, ff. de Verb. obl. ubi: Quod sine termino præfixo debetur, statim debetur. Respondetur autem ad textum oppositum, quòd illud tantum statuatur pro debitoribus qui dederint pignora, quæ jure merito non sunt distrahenda à creditoribus, nisi prius debitores moneantur. Sed

notandum quòd DD. primæ sententiæ (ut Sanch. et alii) dicunt, quòd si altera pars ex oblivione, timore, verecundia, vel simili causa non peteret, ut præcipuè in scæmmis evenit, tenetur tunc sponsus de se sine petitione Matrimonium contrahere, cum commodè possit. E converso DD. secundæ sententiæ (ut Pal. l. c. et Salm. n. 85. cum Con. etc.) dicunt, quòd si altera pars, cum possit commodè petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire; et sic præfatæ sententiæ satis conciliantur. Quid autem, si in sponsalibus appositus sit terminus præfixus ad nuptias ineundas? vide dicenda n. 867.

846. — « 1. Resiliens cogi potest ad matrimonium etiam à » iudice per censuras: quòd tamen rarò expedit ob periculum » infelicis exitus. »

Nulli dubium, ut diximus, quòd in foro conscientiæ nolens implere sponsalia sine justa causa graviter peccaret. Dubium est an Judex possit nolentem cogere? Alii affirmant, alii negant, nisi promissio juramento firmata fuerit. Alii negant, etiamsi adfuerit juramentum. Et has sententias omnes probabiles putant Salm. c. 1. n. 88. Attamen veriùs et communiter dicunt Pal. p. 8. ex n. 2. Conc. p. 266. n. 27. Tamb. c. 1. §. 1. n. 10. Holz. n. 178. Pont. l. 12. c. 6. n. 2. Salm. c. 1. n. 89. cum Con. Becan. Dic. etc. et Salm. lib. 1. d. 29. num. 4. cum S. Bonao. S. Antonin. Nav. Palud. et aliis innumeris, quòd si ex tali Matrimonio timeantur rixæ, aut scandala, non debeat Judex ad illud ineundum cogere partem invitam; secus, si scandala non timeantur; et ita habetur expressum in cap. Ex litteris. 10. de sponsal. ubi dicitur: Ecclesiastica censura compellas, nisi rationalis causa obetiterit. Et sic censuit S. C. abstinendum à coactione, suffragante aliqua probabilis causa: secus verò sanxit aliàs, ut refert P. Zacharia apud Croix l. 6. p. 3. ad n. 62. Rectè autem advertunt Busemb. et Tamb. rarò expedire, ut partes ad tale Matrimonium cogantur: huicque consentit P. Concina, dicens semper minus malum esse, ut pars innocens ab hujusmodi Matrimonio abstineat. Item rectè advertit Tamb. quòd si pars renitens fuerit excommunicata, et persistat, Judex debeat eam absolvere, quia tunc non speratur profectus; et contra, si tale Matrimonium contraheretur, prudenter malus exitus timendus esset. Notant etiam Salm. n. 92. cum Sanch. Pont. Pal. etc. quòd si constet de sponsalibus, tam Judex Ecclesiasticus, quàm secularis habent jus cogendi sponsos ad Matrimonium.

« 2. Si Judex secundum allegata, et probata cogat ad Matrimonium, licet à parte rei revera coactio sit injusta, valet » Matrimonium. Sanch. et M. Perez, contra Texed. apud Dian. » p. 9. t. 8. R. 26. »

847. — « 3. Fornicatio sponsæ est circumstantia in confessione » exprimenda, quia mutat speciem, et constituit injustitiam, quæ » in sponsa gravis est, ideoque mortalis habetur, ut si quis rem » alteri promissam notabiliter corrumpat: quòd tamen sponsus » non censetur facere fornicando cum in viro fornicatio non tanti

» æstimetur, nisi aliud accedat. *Sanch. l. 1. dist. 2. Coninck,*  
 » *Fagund. Fill. etc. probabiliter contra Laym. Azor. etc. Vide*  
 » *Lugo d. 16. n. 176.* »

Circa hanc quæstionem adest triplex sententia probabilis. *Prima* dicit, quod fornicatio tam sponsæ quam sponsi induat malitiam specie diversam; et ita tenent *Pal. p. 7. n. 5. Laym. cap. 1. n. 6. Holzm. n. 194. Azor apud Fill. cap. 2. n. 53. et Salm. de Sponsal. cum Con. Dicast. et aliis c. 1. n. 11.* quia ex parte utriusque injuria irrogatur juri, quod unus acquisivit ad rem, sive ad corpus alterius. *Secunda* dicit, quod peccet specie diversa tantum sponsa, non autem sponsus, qui fornicando levem injuriam videtur afferre sponsæ; ita *Sanch. l. 1. D. 2. n. 6. Bon. q. 1. p. 10. n. 62;* item *Fill. et alii apud Salm. n. 9. Tertia* demum sententia adhuc satis probabilis, quam tenent *Pontius l. 21. c. 6. n. 8. et Trull. Covar. Diana, ac Vivald. apud Salm. n. 7. et probabilem putant Sanch. n. 7. Laym. c. 2. n. 6. Lugo. de Pæn. D. 16. n. 17. cum Lud. et Megala, Salm. l. c. ac Elbel n. 59,* dicit neutrum fornicando committere injustitiam, quia neuter sponsorum jus acquisivit in corpus alterius, cum neuter adhuc corpus suum tradiderit. Id igitur currit tam pro sponso, quam pro sponsa; si enim hæc committeret injustitiam fornicando, non posset deinde Matrimonium cum sponso contrahere, nisi manifestaret vitium occultum sui corporis, quia tunc adesset inæqualitas; sed ad hoc non tenetur, ut ait *Pontius* cum aliis (vide dicenda n. 865. ad n. II.): ergo adest æqualitas, et per consequens non committit injustitiam.

» 4. Qui simulato animo promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias, tametsi damnum creatum debeat resarcire.  
 » Dixi, per se, quia si facta promissione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere. *Bonac. l. c. p. 2. Ubi excipit,*  
 » si puella esset longè inferioris conditionis, v. g. quoad nobilitatem, vel divitias: tunc enim non teneri ducere, v. g. virum nobilem filiam agricolæ, præsertim si illa fuerit conscia disparis status, seu conditionis, eo quod tum decipi potius voluerit, quam decepta sit, unde nec teneri eo casu illam dotare: secus tamen si ipsa inæqualitatem status ignorarit, aut si ipse non fictè, sed ex animo Matrimonium promiserit. Ita *Bonac. qu. 1. p. 3. n. 7. et seq. ex Vasq. Mol. d. 106. Sanch. l. 1. d. 10. Vid. Less. l. 2. c. 10. d. 3. Laym. c. 1. n. 10. et M. Per. d. 2. s. 3. (De omnibus his vide ea quæ fusè notavimus de Restit. Tom. 2. l. 3. ex n. 642.)*  
 » 848. — » 5. Sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, tametsi jurata sint, aut copula etiam accesserit, sunt invalida, *Sanch. et Vill. Contrarium tamen tenent Con. et Pont. cum Diana p. 3. t. 4. R. 210. Matrimonium tamen post sponsalia contractum cum altera est validum, licet injustum. Bon. p. 5 et 7. Laym. c. 1. n. 5.* »

Certum est quod si secunda sponsa fuerit conscia priorum sponsalium, Matrimonium cum prima debet contrahi, quia tunc

secunda non fuit decepta, sed ipsa voluit decipi; ita *com. inter Bossius c. 3. n. 90. Salm. c. 2. n. 94. Viva n. 2. p. n. 5. Holzm. n. 217,* et alii passim. Dubium est, si illa fuerit ignara. *Prima* sententia dicit sponsum teneri contrahere cum secunda, si cum hac copulam habuit; ita *Pal. p. 22. n. 6. Viva l. c. Pont. l. 12. c. 14. n. 4. cum Major. Boss. l. c. cum Diana, et Salm. l. c. cum Con. Reb. et Leand. Ratio,* tum quia ex *cap. Is qui fidem, de sponsal. olim per copulam animo maritali factam sponsalia transibant in Matrimonium; licet hoc Matrimonium hodie ex jure novo Tridentini sess. 24. c. 1. non amplius subsistat,* tamen textus ille bene fundat jus in re, quod acquiritur à secunda sponsa per corporis traditionem, quæ olim Matrimonium constituebat: tum quia, quando unus agit de lucro acquirendo, et alter de damno vitando, huic potius favendum est quam primo. *Secunda* verò sententia communior et probabilior dicit sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda, ita *Sanch. lib. 1. D. 49. n. 5. cum Led. Henriq. Man. et Lop.; item Nao. cap. 22. n. 26. Bon. p. 5. n. 7. Ronc. p. 370. q. 6. R. 2. Elbel p. 370. n. 17. cum communi ut asserit Escob. n. 245. Laym. c. 1. n. 5. cum Soto, et Rodr. Holz. n. 117. cum Manastr. et Anacl. ac Croix n. 73. cum Hurt. et Aversa. Ratio,* quia promissio facta secundæ sponsæ semper est nulla utpote de re illicita, cum fuerit priori sponsæ promissa: nec injuria illata alteri jus huic admittit. Et hoc, etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata, ut dicunt *Holzm. n. 116. Sanch. Dist. 50. num. 2. Escob. n. 248. Laym. l. c. et alii;* quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Nec obstat prima ratio sententiæ oppositæ, nam textus ille (ut rectè dicunt *Navarr. Sanch. ll. cc. cum Soto, et Led.*) intelligendus est loqui de copula affectu maritali habita, non autem de habita affectu fornicario, ut esset in nostro casu. Neque valet secunda ratio, nam hic revera non agitur de contractu lucrativo, sed potius oneroso, cum sit ultro citroque obligatorius. Dicunt tamen *Sporer loc. cit. Sanch. n. 6. Elbel. p. 371. n. 19. et Bonac. cum Reg. ac Mol. ac Croix cum Aversa, et Ronc. ll. cc. quod ex æquitate teneatur prima sponsa reddere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur,* quia caritas obligat ad leve nocumentum patiendum, ne proximus gravissimum subeat, unde aiunt *Henriq. apud Sanch. l. c. et Croix* cum aliis, quod Judex eo casu bene possit cogere sponsum ad ducendam secundam. Sed non improbabiler *Holzm. d. num. 117. cum Anacl. Gutt. et Pichler. sentiunt ad hoc illam non teneri, quia secunda debet suo crimini imputare, quod tale damnus patiatur.*

849. — » 6. Liberi, qui parentibus insciis contraxerunt sponsalia, etiam cum iis, qui imparis sunt conditionis, v. g. nobilis cum ignobili, licet peccarini, tamen obligantur; nec à parentibus possunt impediri, quominus servent fidem datam. *Laym. l. c. n. 12. ex S. Th. etc. nisi scandalum magnum ex Matrimonio timeretur. Dian. part. 9. tom. 7. Resol. 71. ex Mol. Sanch. etc.* »

Certum est Matrimonia filiorumfamilias contracta sine consensu parentum esse valida, contra Lutherum, Bucerum, et Erasmus (apud Bellarm. de Matr. c. 19.), qui invalida asserebant; id patet ex Trident. sess. 24. c. 1. de Ref. ubi sic dicitur: « Quique falsò affirmant Matrimonia à filiisfam. sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse. » Unde non satis videtur probabilis opinio Pont. l. 2. c. 1. n. 5. et Tourn. Præl. Theol. t. 11. p. 197. quòd olim hujusmodi Matrimonia sine consensu parentum inita, essent invalida; nam obstat communis sententia omnium Scholasticorum, ut ipse Pont. fatetur, et videtur certum esse ex præfato textu Concilii. Ex hoc infert Laym. c. 1. n. 13. Spor. c. 5. n. 202. et Holzm. n. 167. cum Anacl. et aliis communiter, quòd sicut tale Matrimonium est validum, ita et sponsalia. Nec officere ait Holz. textum in l. 1. §. 7. ff. de Sponsal. ubi ad valorem sponsalium videtur requiri consensus parentum, pari modo ac requiritur in Matrimonio, juxta l. Si ut proponis 7. C. eod. tit. Respondet enim, quòd lex, tametsi prohibeat hujusmodi sponsalia, non tamen illa invalidet. (V. not. V. pag. 364.)

Hæc quoad validitatem; sed quæritur I. an, et quando, et qualiter peccent filiifamilias nuptias contrahentes sine consensu parentum? Quatuor adsunt sententiæ. Prima, et quidem communior docet universè eos peccare lethaliter, si Matrimonium ineant, parentibus sive inconsultis, sive invitis; ita Pontius l. 2. c. 1. n. 26. Mol. t. 1. tr. 2. D. 166. Syloius Suppl. q. 47. art. 6. Concl. 4. Nav. c. 14. n. 15. Petrocor. tom. 4. p. 413. Abelly p. 205. Roncag. p. 269. q. 3. Conc. p. 281. n. 4. et pro hac sententia fusam edidit dissertationem Illustriss. D. Franciscus Muscettola Episcopus Rossanensis, cui novissimè doctas addidit adnotationes eruditissimus Canonicus Neapol. Alezius Mazzochius ubi citantur pro eadem sententia Alber. Magn. Estius, Merbes. Megal. Fag. Nald. Turcrem. Bellar. Amic. Mastr. Martin. Leand. Marchant. Vidal. Patel. Isamb. Genett. Natal. Alex. Juenin. Cabassut. et alii: sed notandum, quòd ex his plures (ut observavi), prout Bellarm. Albert. M. Estius, Turcrem. Juenin, et Cabassut. dicunt quidem hæc Matrimonia esse illicita (quod revera omnes DD. concedunt), sed non explicant an sub culpa gravi vel levi. Probatur hæc sententia 1. ex c. Aliter, Causa 30. q. 5. ubi legitur Decretum illud Evaristo Papæ tributum, quo dictum fuit præsumi non conjugia, sed adulteria, illa quæ fiunt sine consensu parentum, et sine præviis precibus, sine benedictione Sacerdotis, et custodia Paranymphtarum, etc. ex c. Honoratur 32. ubi dicitur non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum expectare, Item probatur ex Trid. dict. c. 1. sess. 24. ubi, cum sermo habeatur de Matrimoniis clandestinis, et simul sermo de Matrimoniis contractis à filiisfamilias sine consensu parentum, dicitur: « Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. » Probatur 2. ex Jure Civili, quo irritæ declarantur nuptiæ sine consensu parentum contractæ,

ut videtur expressum in l. 2. ff. de Rit. Nupt. l. Si ut proponis, C. de Nupt. et aliis, ac signanter in Institut. de Nupt. ubi: « Si filii sint, consensum habeant parentum; nam hoc fieri debere » et civilis et naturalis ratio suadet. » Et infra: « Si adversus ea » aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec Matrimonium, nec dos intelligitur. » Et licet hæc leges à Jure Canonico sint correctæ, ut habetur in c. Tua de Sponsal. et cap. Cum causa de Raptor. ac in Tridentino d. c. 1, tamen ex illis deducitur ex ipso lumine naturali deprehendi deformitatem talium nuptiarum. Probatur 3. ratione, tum quia ex hujusmodi nuptiis gravia incommoda et scandala oriuntur; tum quia hoc requirit obedientia parentibus debita; tum quia iidem graviter offenduntur, si filii, ipsis insciis vel invitis, Matrimonium contrahant.

Secunda sententia dicit teneri quidem filios sub mortali parentum consilium petere, non verò illud sequi; ita Sanch. l. 4. D. 23. n. 10. Laym. c. 2. n. 14. Barb. in Trid. sess. 24. c. 1. n. 2. Vioa de Matr. q. 4. art. 2. n. 5. Bon. eod. tit. q. 4. p. 17. n. 25. item Vasq. Fill. Vil. etc. ap. Boss. de Matr. c. 11. n. 81. Probatur prima pars, quia censetur gravis contemptus in re tam gravi non consulere parentes, quibus incumbit prospicere bono filiorum; poterit enim pater, qui majori prudentia ac experientia pollet, aliqua aperire filio, per quæ hic mutet voluntatem. Secunda autem pars (quam præter AA. mox citatos tenent etiam Tolet. Burgh. etc. apud Croix l. 6. p. 3. n. 570. atque Viguier. Led. et Riminald. ap. Sanch. l. c. et videntur ibid. expressè etiam tenere Host. Suar. Lupus, et Cocar. saltem dicunt ibi non esse mortale Victor. et Heniq.) probatur, inquam, hæc secunda pars ex D. Th. 2. 2. qu. 104. art. 5. ubi ait: « Non tenentur nec servi » dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda. » Et licet S. Doctor ibi non loquatur de filio contrahente sine consensu patris, sed de patre cogente filium ad Matrimonium, ratio tamen quam ibi præmitit est generalis, et pro utroque casu concludit, dum dicit: « Tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda; in quibus tamen, secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi... » et sequitur ut supra. Fundamentum intrinsicum hujus sententiæ est, quia cum per Matrimonium homo perpetuæ servituti obligetur, ratio exposcit, ut sit omnino liber in eo contrahendo. Et quamvis sit de jure naturæ, ut filii obsequium parentibus præstent, tamen de jure etiam naturali et potiori est, ut in nuptiis omnimoda servetur libertas. Nec obstant textus supra allati, consensus parentum exquirentes, ipsi enim tantum probant illum requiri de decencia, et honestate, non verò de præcepto, ut aiunt Salm. c. 6. n. 24. Boss. c. 11. n. 87. et Sanch. l. c. cum Host. Suar. etc. ex Gloss. in c. fin. Caus. 30. q. 2. v. Parentum, ubi: Hoc tantum ad hones-

*tatem referas.* Textum autem Tridentini non est certum referri ad Matrimonia contracta sine consensu parentum, quia verba illa *Dei Ecclesia illa semper detestata est*, potius referri possunt ad Matrimonia clandestina, ut colligi videtur ex verbis subsequentibus, ubi dicitur, quod cum Matrimonia illa prohibita homines improbi etiam contraherent, ideo declarantur irrita: ergo Tridentinum declarat hęc, Ecclesiam tantum *detestatam* fuisse Matrimonia quę prohibuit, et nunc Concilium reddit invalida. Ob eandem rationem, ut supra, tantò minus obstant leges civiles; quę autem (ut sentiunt *Cujacius, et Gothofredus ad l. Filius ff. de Ritu Nupt. et Holzm. n. 168. ac Gonzal. in d. c. Tua n. 8.*) non invalidabant tales nuptias, sed tantum eas reddebant civiliter irritas; nempe quoad solos effectus contractus civilis, prout declaravit Ludovicus XIII in Regno Galliarum *ap. Tourn. t. 11. p. 104.*

Tertia sententia dicit, quod si filii familias Matrimonium contrahunt, sive inconsultis parentibus, sive invitis, illicitè quidem contrahant, at per se loquendo non peccant mortaliter, sed tantum venialiter; ita *Palaeus p. 12. n. 11. Boss. c. 11. n. 87. Elbel. p. 368. n. 9. Tamb. Dec. l. 5. c. 2. §. 3. n. 6. Renzi. p. 204. q. 2. Holzm. n. 172. cum Pichler, Spor. num. 206. cum Henr. Led. et Gob. ac Salm. c. 6. n. 22. cum Covar. Victor. Aversa, Dic. et Henriq.* Ratio, quia licet filii teneantur hoc obsequium præstare parentibus, nempe eos consulendi in re tam gravi, hæc tamen obligatio non potest esse gravis, quando filii eorum consilio stare non obstringuntur; satis autem vel per se, vel per alios viros prudentes aliunde valent cognoscere, quę circa id occurrere possunt; è converso parentes nequeunt esse rationabiliter graviter invitati, quod eorum consilium non exquiratur in re quę absolute pendet ab electione liberorum. Si autem filii non tenentur (saltem sub gravi) parentum consilium sequi, ut concedunt DD. secundę sententię, non adest ratio cur sub gravi teneantur eos consulere; tantò magis, quia parentes magis se existimant offensos, si filii nuptias ineant ipsis invitis post consilium datum, quam ipsis inconsultis. Idque tantò magis valet, si filius iudicet parentes non graviter laturòs Matrimonium illud contrahi ipsis insciis. Imò minimè peccabit filius, si reputet parentes in eo libenter consensuros, vel ipsos injustè impedituros si consulantur, ut dicit *Barb. l. c. cum Con. Sanch. et Vasq. ac Boss. c. 11. n. 81. cum Bellarm. Nav. Sayr. Gutt. etc.* Idque satis probatur ex *cod. Trident. d. cap. 1. sess. 24.* ubi conceditur Matrimonium contrahi omissis denunciationibus, *si fuerit probabilis suspicio Matrimonium malitiose impediri posse.* Communiter tamen præfati AA. tam secundę quam tercię sententię, ut *Sanch. n. 11. Pal. n. 9. Holz. l. c. Croix n. 570. et Salm. n. 19.* et alii passim, dicunt, non excusari à culpa mortali filios Matrimonium contrahentes, si parentes justè contradicant, vel si censeantur rationabiliter invitati, putà si tales nuptię redundarent in dedecus familię, vel si ex eis sint oritura gravia scandala aut dissensiones.

Quarta demum sententia, quam tenent *Laym. c. 1. n. 14. et Delbene, ac Aversa apud Croix l. 6. p. 3. n. 570.* distinguit, et dicit quod si parentes ab omni Matrimonio filium avertere conantur cum periculo incontinentię, filius non teneatur obedire; si verò impedire velint aliquid certum Matrimonium, tunc videndum: si parentes injustè impediunt, tunc filius nec tenetur obedire; secus si parentes justè impediunt; nempe si ex tali Matrimonio oriatur dedecus, aut scandalum familię, tunc enim filius graviter peccat, si non obedit, et Matrimonium contrahit.

Casu autem quo filius non posset sine peccato tale Matrimonium inire, dicunt DD. quod ad illud non obligetur, etiamsi cum juramento sponsalia contraxisset; quia, cum hæc promissio esset de re illicita, juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; ita *Rebellius p. 2. l. 2. qu. 14. sect. 1. n. 9. Pignat. t. 4. Cons. 11. n. 1. Salm. tr. 9. c. 2. n. 85. Boss. c. 11. num. 93. cum Menoch. item Card. de Lauraa, Gab. à S. Vincent. et Opatov. ap. Mazzoch. p. 90. in cit. Diss. ex c. Quanto, de Jurejur. ubi: Juramentum fuisse illicitum, et nullatenus observandum, etc.* Et clariùs ex Responso Alexandri II. *apud eumd. Mazzoch. p. 99. n. 186.* ubi: «Peccator iste notatur perjurio, quia quod observare legaliter non potuit sine iudicio parentum, temerè jurare præsumpsit.» Et ait *D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 1. ad 1.* id esse verum perjurium, nempe jurare illicitum: *Quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat.* Hocque verum esse dicunt *Tolet. l. 4. c. 22. n. 2. Sanch. l. 1. D. 32. n. 1. cum Abb. Cov. et Mol.; item Suar. et Grass. ap. Mazzoch. p. 99. n. 187. ex D. Bonao. et D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7.* etiamsi res juramento promissa esset venialiter mala; et meritò, quia iniquitas levis etiam est vera iniquitas, cujus juramentum non potest esse vinculum.

Idem dicendum putant communiter AA. scilicet non teneri sponsum adimplenda hujusmodi sponsalia cum gravi parentum injuria, etiamsi virginem defloravit, sed sufficere quòd eam detet, ita *Valent. t. 5. D. 3. Marchant. t. 2. r. 7. tit. 1. qu. 2. §. 3. dub. 2. R. 2. Sanch. l. 1. D. 14. n. 3.* qui id verissimum censet cum *Navar. Lop. Cordub. Gutt. etc.* Item *Reg. Trull. Tamb. Serius, Graff. et Gob. apud Mazzoch. ex pag. 130.* (contra *Boss. c. 21. numer. 90.*) Ratio, virtus justitię nequit obligare ad actum qui sine peccato impleri non potest. Ex qua probabiliter videtur inferri, quòd si talis sponsus non possit defloratam dotare, nec etiam tenetur eam ducere: quia non potest damnum illius reparare cum gravi injuria parentum. Præterquam quòd posito quòd ipse non teneatur vi promissionis, nec etiam videatur teneri ratione deflorationis ad reparandum damnum illatum, cum nemo teneatur reparare damnum cum excedenti suo detrimento.

Et quoties filius peccaret in contrahendo Matrimonio indigno, ex quo dedecus familię, vel scandala et infelices exitus pru-

denter timeri possent, tunc dicunt *Laym. c. 1. n. 14. Bonac. q. 4. p. 17. n. 26. Dicast. D. 4. dub. 18. Delbene de Immun. p. 1. c. 8. dub. 19. sect. 9. n. 43. ac Boss. c. 11. n. 89. cum Pontio et Rebelle.* quod parentes implorare possint auctoritatem Prælati ad tales nuptias impediendas, et Prælati teneatur impedire; ideo (ut *Bossius ibid.*) mortaliter peccaret Prælati, si filio faveret, vel dispensaret in denunciationibus ad Matrimonium præmittendis.

Conveniunt autem Doctores, ut notat Auctor prædictæ dissertationis *p. 36. dub. 1. n. 41.* filios excusari saltem à mortali, si absque consensu parentum nuptias contrahunt ex justis causis, et præcipue I. Si pater injustè prohibeat filium à conjugio; ita *Bellarm. d. c. 19. Laym. c. 1. n. 14. Mol. t. 5. D. 51. n. 2. Elbel de IV. Præc. n. 538. cum Spor. et communi.* II. Si causa majoris dotis indignam mulierem ei dare velit, *Bellarm.* III. Si pater velit tradere filio uxorem ægram, aut duræ conditionis, *Guttier. c. 79. n. 19.* IV. Quando filius à parentibus injustè opprimeretur *Guttier. ib.* V. Si pater procul distet, et filius non posset commodè eum certiorum facere, credatque patrem libenter consenturum, *Gonet. c. 8. q. 1. VI.* Si pater ideo prohibeat justum Matrimonium, quia vult filium ducere aliquam contra ejus voluntatem; ita Auctor præfatae *Diss. l. c. VII.* Si pater impediatur filium ab aliquo Matrimonio sine justa causa; tunc enim filius non tenetur obedire, et pater graviter peccat impediendo, ut communiter dicunt *Viva de Matr. q. 4. art. 2. n. 2. Boss. c. 1. n. 69. cum Guttier. Rebelle. etc. ac Sanch. l. 4. D. 22. n. 6. cum P. Soto, Cordub. Lop. et Vega.* An autem pater injustè impediens nuptias filii incurrat excommunicationem? affirmat *Lopez, ap. Sanch. l. c. n. 9. ex Trid. sess. 24. c. 9. ubi dicitur: «Sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus liberè Matrimonia contrahant.»* Sed verius negant *Sanch. ib. cum Mol. Henr. Gutt. Man. et communi;* nam, ut patet ex contextu, Concilium tantum ibi loquitur de dominis et Magistratibus, qui cogunt alios ad nuptias. Præterquam quod probabilius dicat *Barb. in Trid. l. c. n. 9. cum Nav. Mol. Pont. Bon. Con. Menoch. Henr. etc.* præfata excommunicationem infligi à Concilio, non contra impediens à Matrimonio, sed tantum contra cogentes ad illa.

An verò dissensus parentum sit per se justa causa solvendi sponsalia? vide dicenda *n. 877.* et an parentes possint exheredare filios nubentes contra ipsorum voluntatem, vel nubentes cum indignis? vide dicta *Tom. 3. lib. 3. n. 948 et 949.*

830. — Quær. II. an teneatur filius obedire patri præcipienti ut Matrimonium contrahat, vel ut aliquam ducat mulierem, à qua filius abhorret? Communis est sententia negans, quam tenent *Sanch. l. 4. D. 23. n. 3. cum Scoto, Host. Sylo. Soto, Tambur. Ang. Ledes. etc. item Croix l. 6. p. 3. n. 570. cum Aversa, et aliis passim ex. D. Th. 2. 2. q. 104. art. 5. ubi: «Non tenentur filii parentibus*

» obedire de Matrimonio contrahendo.» Et *D. Bonac. in 4. D. 29. n. 10.* «Per præceptum non potest pater ad contrahendum cum hac vel illa obligare.» Communiter tamen dicunt *Petrocro. t. 4. p. 414. q. 5. Laym. c. 1. n. 14. cum Syloest. Croix l. c. cum Tolet. Sanch. n. 4. cum S. Bonac. Bellarm. Nav. Soto, Henr. etc. et Bossius c. 11. n. 77. cum Lop. et Led. teneri filium obedire, si Matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum, non jam vigore præcepti, sed ex virtute pietatis, quia filius tenetur subvenire parentibus in necessitate. Et huic consentit *D. Th. in 4. D. 29. q. 1. art. 4. ubi docet: «Pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, sed potest eum inducere ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris; at si illa causa cogat de necessitate vel de honestate, et præceptum similiter cogat: aliàs non.»* Sed hoc intelligendum, ait *Sanch. n. 5. cum Palac. Led. etc.* ex suppositione quod filius velit statum conjugalem eligere; nisi (excipit *Sanch. cum Led.*) Matrimonium aliquod locuples esset necessarium ad subveniendum necessitati parentum; sed hoc etiam cum grano salis intelligendum.*

Dicit autem *Bossius n. 70. cum Menoch. et Salon.* quod præcis his causis, poterit pater moderata et levi coactione, scilicet paterna increpatione et suasionibus cogere filium ad aliquod Matrimonium. Sed melius ait *Spor. de IV. Præc. c. 5. n. 22. cum Bellarm. et aliis,* tantum permissum esse patri filium ad nuptias invitare ob aliquam justam causam, puta familiam propagandi, facultates ampliandi, aut nobilitatem augendi. Ait tamen idem *Bossius, l. c.* nullo modo posse patrem cogere filium ad nuptias, si hic velit meliorem statum eligere, nempe Religionis, aut cælibatûs; item addit *n. 71, cum Sanch. Gutt. etc.* quod si filius jam sponsalia contraxerit, à quibus non possit justè recedere, non poterit pater eum cogere ad aliam ducendam.

831. — Quær. III. an notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia contracta? Sedulo hæc quæstio discutienda est, cum hic casus frequenter occurrat. Certum est, quod si contrahentes tempore sponsalium non fuerint disparitatis conscii, sponsalia sunt nulla, dummodo ignorantia fuerit antecedens; valida tamen, si fuerit concomitans; vide *Vivam de Matr. q. 1. art. 5. n. 7.* Dubium est, si jam conscii fuerint. Communiter Doctores infra citandi dicunt teneri ad Matrimonium; nisi (excipiunt) ex illo eveniat dedecus, aut scandalum propinquorum, in hoc indistinctè loquentes. Sed hic necessario distingui debet dedecus à scandalo. Nam si Matrimonium non posset contrahi nisi cum dedecore familiæ, non dubitandum quin sponsi non teneantur Matrimonium contrahere. Ratio, quia promissio tunc est nulla, cum sit de re graviter illicita, utpote quæ impleri non potest nisi cum magno familiæ detrimento. Ita communiter *Laym. de Matr. l. c. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14. cum Nav. et Gutt. item Spor. de Matr. c. 1. n. 203. Ronc. de 4. Præc. c. 1.*

q. 3. cum Menoch. et Gobat. ac Sanch. l. 1. D. 14. n. 3. cum Pa-  
norm. *Fraxos. Sara. Fern. Lap. etc.* Et ucci Laym. et Sanch.  
n. 2. dicant, quod sponsalia contracta cum persona disparis condi-  
tionis per se valeant, addunt tamen, quod si Matrimonium non  
possit iniri sine familiæ dedecore, vel magno scandalo inter con-  
sanguineos, talis promissio non obliget, utpote versans circa rem  
illicitam, ad quam nemo potest se obligare. Notandum autem hic  
quod non sufficiat qualiscumque disparitas ad liberandum spon-  
sum à Matrimonio promisso, sed requiratur notabilis, puta si vir  
nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici, ut ait Navarr. c. 26.  
n. 18. vel agricolæ, ut Busemb. n. 848. p. 4. Vide dicta Tom. 2.  
lib. 3. n. 643.

Sed quid dicendum, si Matrimonium contrahi posset sine fa-  
miliæ dedecore, nempe si disparitas non sit in nobilitate, sed  
tantum in divitiis? Eo casu, duo (ut in principio diximus) Doc-  
tores asserunt: primò, quod per se teneatur promittens ad Ma-  
trimonium; secundo, quod non teneatur, imò non possit promit-  
tens Matrimonium contrahere, si adsit probabilis timor magni  
damni, vel odii capitalis inter consanguineos. Ita communiter  
Sanch. de Matr. l. 1. D. 14. n. 1. cum Mol. et Cord. Bonac. de  
Matr. q. 1. p. 2. n. 2. Less. l. 2. c. 18. n. 9. Laym. de spons. p. 1.  
n. 24. Spor. de Matr. c. 3. n. 189. Salm. de Matr. c. 1. n. 82. cum  
Azor. *Visa dict. n. 7. et aliis.* Ratio primæ partis, nempe quod  
sponsus teneatur ad Matrimonium, est, quia promittens, licet  
peccaverit ejusmodi prodigam promissionem faciens, tamen te-  
netur ad illam, quia promisit quod suum est, et cum jam cognitam  
habuerit suam meliorem conditionem, censetur excessum illum  
donasse; prodiga enim promissio (ut dicunt) quamvis illicite  
fiat, facta tamen, et ab altero acceptata, valet, et obligationem  
parit. Hoc est totum fundamentum istius sententiæ.

Cum autem ratio hæc pendeat à quæstione, nimirum an pro-  
missio prodiga acceptata obliget, hæc prius hic disserenda. Ad-  
sunt in ea tres sententiæ. Prima sententia tenet obligare ad totum:  
hanc tenent Lug. de Just. D. 18. n. 61. Sanch. l. c. n. 5. Croix.  
l. 3. p. 2. n. 795. Spor. de Matr. c. 3. n. 198. Fill. t. 2. D. 271.  
item Mol. Cayet. et Val. ap. Sanch. in Dec. l. 3. c. 9. n. 27. qui  
etiam huic sententiæ inclinatur. Ratio, quia licet promissio fuerit  
facta cum peccato, tamen, cum is cui facta est promissio jam  
acquisierit jus ad rem promissam, illius executio, ad satisfaciend-  
um juri alterius, evadit licita et debita. Secunda sententia,  
quam probabilem putat Tamb. Dec. l. 3. c. 3. §. 5. n. 20. cum  
Tancredi, dicit hujusmodi promissionem ad nihil obligare, nec  
etiam ad partem quæ licite dari potuit; quia cum promissio sit  
indivisibiliter facta, tota materia evadit inhonesta. Tertia sen-  
tentia, cui subscribimus, verior et communis, ut fatetur ipse  
Lugo, docet promissionem prodigam obligare ad partem quæ  
non est prodiga, non verò ad excessum. Ita Salm. de Rest. c. 1.  
n. 167. cum Soto, Bann. Prado, Serra, item Suar. Led. Palac.  
Salon. Manuel, et Arag. ap. Sanch. l. c. in Dec. d. n. 27. qui æquè

probabilem putat, et Croix. l. 3. p. 1. n. 319. etiam probabilem  
censet. Ratio cur obliget ad partem, quia utile per inutile non  
vitiatur; et sic respondetur secundæ sententiæ Tamb. Ratio  
autem, cur non obliget promissio ad excessum, est, quia malitia  
prodigalitati principaliter consistit in præstatione, minus verò  
principaliter in promissione; ideo enim non licet prodigè pro-  
mittere, quia illicitum est prodigè dare. Posito igitur quod actus  
prodigæ præstationis sit per se principaliter malus, minime un-  
quam poterit ipse impleri sine peccato; neque executio poterit  
coonestari ab obligatione promissionis factæ, quia nemo se po-  
test obligare ad rem illicitam exequendam, ut habetur ex reg.  
juris 69. in 6. ubi: *In malis promissis fidem non expedit seruari.*  
Et consequenter pars acceptans, ex promissione ipsi facta nullum  
potest jus acquirere ad id quod altera pars nequit sine peccato  
prestare. Et sic respondetur ad rationem primæ sententiæ. Hinc  
infertur I. *Sot. de Just. l. 3. q. 7. a. 1. ad 2. et Led. Bann. Sa,*  
*Machad. Palac. ac Manuel ap. Sanch. l. c. de Matr. D. 14. n. 1.*  
quod si quis prodigè aliquid promiserit meretrici pro usu corporis,  
non teneatur solvere excessum, quia, cum sit promissa res illicita  
ratione prodigalitati, promissio nulla est. Rectè infertur II.  
*Salm. l. c. cum aliis à se citatis,* quod si res promissa sit impar-  
tibilis, ad nihil teneatur promittens, quia tunc verè tota materia  
evadit illicita.

Juxta igitur hanc tertiam sententiam, ut ad casum nostrum  
veniamus, sponsus prodigè promittens Matrimonium, cum res  
sit indivisibilis, et promissio tota per se illicita evadat, non tene-  
bitur utique ad illam. Nec obstat, quod culpa prodigalitati non  
excedat veniale peccatum; quia promissio rei qualitercumque  
malæ, adhuc venialiter, puta mentiendi, etc. nec etiam potest  
ullam parere obligationem, ut notant *Salm. ib.* et certum est.  
Pro conclusione igitur hujus puncti, mihi et aliis doctis Juniori-  
bus (salvo sapientiorum judicio) videtur dicendum I. sponsus,  
qui antecellit divitiis, in casu proposito non teneri ad Matrimo-  
nium; necnon venialiter peccare ratione prodigalitati, si illud  
contrahat. Dicendum II. hoc procedere, stando in terminis veræ  
prodigalitati: verumtamen, cum culpa prodigalitati non sit  
plus quam venialis, quævis mediocris justa causa vitium prodig-  
alitati auferre potest. Hinc satis excusabitur sponsus, femina  
disparem ducens, si noverit in ea aliquam specialem prærogati-  
vam, nimirum providentiæ, devotionis, magnæ honestatis, vel  
etiam alicujus dotis naturalis, propter quam putet sponsus cum  
illa quietam ducturum vitam. Hinc infertur vix casum accidere  
posse, quod sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime  
deerit aliqua ex his causis, quæ culpam prodigalitati excusabit.  
Dicendum III. quod casu quo sponsus vi promissionis copulam  
extorserit à virgine, vel à femina honesta, tunc omnino tenetur  
eam ducere: quia proditio virginitatis, aut bonæ famæ est res  
pretio inestimabilis, quæ prævalet, aut saltem æquivalet excessui  
disparitatis sponsi; et ideo in eo casu promissio facta bene est

valida, cum jam adfuerit æqualitas in contractu sine vitio profligalitate; et hoc procederet (juxta id quod ait *Lugo de Just. D. 12. n. 34.*) non solum cum fœmina famam amiserit, sed etiam cum se exposuerit periculo famæ amittendæ. Hoc tamen currit, si disparitas sit tantum in divitiis; nam si sit in nobilitate, tunc etiam si intercesserit defloratio, non tenetur vir ad Matrimonium cum dedecore familiæ, imò probabiliter nec etiam ad damnum illatum, ut diximus *l. 3. n. 643.*

Ad id autem quod DD. dicunt, ut supra diximus, scilicet quòd talis sponsus non possit illud dispar Matrimonium inire (intelligitur dispar tantum ratione divitiarum, non autem nobilitatis cum dedecore familiæ, ut jam distinximus), si probabiliter timeantur damna, aut odia propinquorum; rationem afferentes, quia eo casu graviter peccaret sponsus contra caritatem, et ideo, cum Matrimonium illud contrahere tunc esset res illicita, non potest promissio facta ad illam obligare. Et ob eandem rationem dicit *Sanch. l. c. n. 3. cum Naqar. Cordub. Lop. et Gutt.* hoc dicendum, etiamsi sponsa deflorationem passa fuerit. Et etiamsi (ut addit *Sanchez ibid. cum Lop.*) nulla sit inter contrahentes disparitas. Fateor quidem hanc esse communem sententiam, et per se loquendo veram, quando filius commode hujusmodi scandala vitare posset; sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductæ videtur obstare, quòd caritas non obliget cum gravi incommodo: hinc puella ad vitanda scandala virorum non tenetur perpetuò domi manere, ne diu sua libertate privetur; quia grave incommodum hoc ipsi esset, ut dictum est *l. 2. n. 53. cum Cajet. Sanch. Pal. Less. Nav. Azor. Salm. Spor. et aliis.* Si ergo mulier, ne sua libertate diu privetur, non tenetur longo tempore abstinere ab egrediendo, etiamsi alii scandalum sint passuri, quomodo filius tenebitur sub mortali, ne parentes scandalum patiantur (sine tamen eorum dedecore ut supponimus), à Matrimonio desiderato abstinere? Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur Matrimonium cum puella, quacum credit quietam se ducturum vitam, ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam? grave quidem incommodum existimant hoc omnes DD. illi, quos in præcedenti questione retulimus, qui ideo excusant à culpa gravi filios Matrimonium ineuntes invitis parentibus; quia, ut dicunt *Sanch. d. l. 4. D. 23. n. 10. Escob. de Matr. Dub. 175. n. 723. et Salm. c. 6. n. 23.* per Matrimonium quisque perpetuæ obligatur servituti, maxima secum afferenti onera, quæ nisi ex omnino spontanea voluntate suscipiantur, difficillimè perferri poterunt. Si igitur ob hoc motivum excusantur filii ab obsequio parentibus debito, cur non ob eandem rationem excusabuntur à præcepto caritatis, quod cum gravi incommodo non obligat? Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis junioribus vibedatur cum *Pal. D. 2. p. 12. n. 9.* tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus, ab hujusmodi Matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tantò magis quòd (ut dicunt ipse *Sanch.*

*l. 1. D. 14. n. 3. et Holz. n. 266.*) hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen Matrimonio facilè evanescent, et animi conciliantur. Cæterum, cum hoc sit contra communem, propterea sapientibus discutiendum relinquo.

832. — « 7. Resiliens culpabiliter à sponsalibus perdit suas arrhas, et tenetur ad alterius partis reddendas, ac ad restitutionem, quanti ejus intererat talem contractum impleri. »

Hinc autem notandum I. quòd si à muliere promittatur aliquid viro, ut eam ducat, valet quidem promissio, prout habetur ex *c. De illis, de Condit. appos.* quia tunc promissio præsumitur facta causa dotis. Secus si vir promittat aliquid mulieri, si secus nupserit, quia tunc promissio præsumitur facta ob causam turpem, nempe libidinis explendæ; ita communiter *Sanch. l. 1. D. 33. n. 3. et Salm. c. 2. n. 108.* cum aliis passim, ex *l. Si ita stipulatus, §. Si tibi, ff. de Verbor. signif.* ubi id expressè habetur. Excipiunt tamen, si vir sit ignobilis aut senex, et mulier sit nobilis aut juvenis; quia tunc promissio justè fit in compensationem nobilitatis aut juventutis, ex *l. Mulieres C. de Dignit.*

833. — Notandum II. quòd promissio pœnæ appositæ in sponsalibus in resilientem est illicita et invalida, ex *c. Gemma, de Sponsal.* quia per hujusmodi pœnam Matrimonii libertas læderetur; ita in textu præfato: « Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda. » Hinc communissimè dicunt Doctores peccare, qui sponsalia cum hac pœna contrahunt. Alii verò dicunt id esse mortale, ut *Bonac. qu. 1. p. ult. num. 3. et Salm. c. 1. n. 94.* Alii autem censent esse veniale, ut *Sanch. l. 1. D. 30. n. 2. Boss. c. 11. n. 415. cum Cajet. Arm. Gutt. et Reb.* Hoc autem procedit, si pœna apponatur à sponsis, vel ab eorum consanguineis, aut amicis, ut communiter tenent *Pal. p. 9. n. 1. Sanch. n. 11. et Salm. n. 95. cum Aversa, Lop. et Corneio.* Non verò si apponatur ab extraneo, ut iidem AA. ex *l. Cum ita, C. de Spons.* Ratio, quia in primo casu etiam minuetur libertas Matrimonii, eò quòd sponsi illud possunt inire, ne propinqui, vel amici talem pœnam solvant: secus tamen accidit, cum pœna motu proprio ab extraneis apponitur. Præterea advertendum id procedere, si pœna generaliter apponatur etiam in eum qui justè resiliat, tunc enim certum est apud omnes promissionem pœnæ non obligare, sed

Quærit. I. an promissio talis pœnæ sit valida et licita, si adiciatur iniuste resilientem? Prima sententia satis probabilis negat, et hanc tenent *Sanch. l. 1. D. 30. n. 2. Bonac. p. ult. n. 1. Boss. c. 11. ex n. 420. Conc. p. 267. n. 30. et Aversa, Becan. et Dic. ap. Salm. n. 96.* Et probant ex *l. Titia 134. ff. de Verb. oblig.* ubi dicitur: « Inhonestum enim videtur Matrimonia, sive contrahenda, sive contracta, metu pœnæ obstringi. » Item ex *l. fin. de Spons.* ubi: « Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interpretata ex utraque parte, nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. » Probant

etiam ratione, quia adhuc libertas læderetur; posset enim accidere, quod pars quæ justè posset resilire, nequiret suam causam in judicio probare, et sic invita nuptias iniret. *Secunda* verò probabilior sententia affirmat, et hanc tenent *Pontius l. 12. c. 19. n. 8. Laym. c. 1. n. 8. Ronc. p. 135. qu. 3. R. 2. Holz. n. 203. cum Anacl. et Haunold. Palaus D. 1. p. 9. n. 8. cum Suar. Vasq. et Con. ac Salm. cum Leand. et Diana.* Ratio, quia talis adjectio pœnæ non est neque contra jus naturale, neque positivum. Non contra naturale, quia per se rationale est pœnam imponi culpabiliter resilienti; nec est contra libertatem ad Matrimonium requisitam, impedire sponsos ab injustè resiliendo; licet enim jura in Matrimonio approbent libertatem rationabilem, reprobant tamen irrationabilem; et ideo non officit libertati Matrimonii, quod Judex cogat sponsos ad contrahendum per censuras, carcerem, aut pœnam pecuniariam, cum talis metus justè incutiatur. Quod autem aliquando posset aliquis justè resilire, et non posset probare, hoc per accidens se habet, et fundamentum nostræ sententiæ non elidit. Neque obstant leges supra allatæ, nam in tantum hæc leges promissionem pœnæ in sponsalibus irritabant, in quantum olim ex Jure Civili ad sponsalia solvenda sufficiebat voluntas unius partis, sive cum causa, sive sine causa resiliebat, ut patet ex *l. 1. C. de spons. et Glossa ibi; sed de jure Canonico c. Præterea 1. de Spons. omnino requiritur consensus utriusque. Cæterum, in l. fin. ibid. approbatur tanquam valida et licita pœna solvendi duplum, triplum, vel quadruplum pro arrhis, quas injustè resiliens acceperit. Imò Leo Imperator in Novell. 18. ( ut videre potes apud Pontium ) expresse approbat adjectionem pœnæ in sponsalibus contra inconstantes, sive injustè resilientes, addens id esse jam consuetudine firmatum.*

Quærit II. an justè resiliens à sponsalibus teneatur solvere pœnam promissam, si promissionem juramento firmaverit? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent *Lessius l. 2. c. 17. n. 56. v. Ubi, Mol. tr. 2. D. 151. Suar. de Relig. tom. 2. l. 2. c. 23. et Con. D. 22. dub. 5. n. 25.* Ratio, quia, licet sit vetita promissio pœnæ, non tamen est vetita ejus solutio, quæ aut vi obligationis naturalis, aut saltem juramenti debetur, juxta dicta *Tom. 2. l. 3. n. 177.* ubi dictum est ex *cap. Debitorum de Jurejur.* juramentum obligare, esto promissio facta irritetur à jure in odium iniqui creditoris, prout est promissio solvendi usuras. *Secunda* verò sententia probabilior negat, et hanc tenent *Sanch. l. 1. D. 31. n. 21. Pontius l. 12. c. 19. num. 7. Bossius c. 11. num. 443. cum Barb. Bonac. Filliuc. et Vill. Pal. p. 9. n. 6. cum Gomez. Coar. et Gutt. Escob. n. 195. cum Bartol. Aug. et Præpos. ac Salm. cum Aversa, Trull. Corneio, et Dic.* Ratio, tum quia, cum adjectio pœnæ contra justè resilientem sit iniqua, et ideo illicita, non obligat juramentum, quod non potest esse vinculum iniquitatis; tum quia jus prohibens promissionem pœnæ, non tam promissionem interdicit, quam solutionem; non tam enim promissio quam

solutio Matrimonii libertatem lædit. In contractu verò usurario irrita est promissio, non autem solutio usurarum, et ideo promittens tenetur ad juramentum.

Quærit III. an si pœna in sponsalibus adjecta solvatur, teneatur recipiens illam restituere. *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Sanch. l. 1. D. 31. n. 2. Less. c. 17. n. 56. et Escob. n. 292. cum Mol. Henr. Vega, Lop. etc.* Ratio, quia jura solam promissionem irritant, non verò solutionem. Et confirmant ex simili, nempe quod recipiens pecuniam victam in ludo vetito non tenetur restituere, licet victus non tenebatur eam solvere. *Secunda* tamen sententia probabilior affirmat, et hanc tenent *Salm. c. 1. n. 106. cum Dicast. Boss. c. 11. ex n. 449. cum Hurt. Gutt. et Mascard. ac Pal. p. 9. n. 9. cum Soto. Med. Lop. etc.* Ratio, quia recipiens non habet titulum retinendi, cum jus omnino talem promissionem irritet, ut patet ex *l. fin. C. de spons.* ubi dicitur, quod talis adjectio pœnæ, ex utraque parte nullas vires habeat. Unde deficiente titulo, nequit ille dominium soluti acquirere. Nec obstat paritas ludi, nam ibi ideo victor pecuniam recipiens non tenetur restituere, quia contractus per se est validus, et jura tantum præbent actionem victo repetendi solutum, ut diximus *l. 3. n. 887.* ac ideo potest victor retinere illud, usque dum in judicio repetatur. Bene tamen *Palaus* cum *Guttier.* hanc secundam sententiam limitat, nisi qui solverit pœnam, jam noverit se non esse obligatum; quia tunc rectè censetur donasse. In dubio autem hæc donatio non præsumitur, ut rectè ait *Boss. ex Gutt. n. 454.* juxta *l. Campanus, ff. Oper. liberat.*

Quærit IV. an debeatur legatum relictum puellæ sub conditione nubendi cum aliquo viro, si illa cum alio nubat? Per se loquendo, certum est non deberi, ex *l. Titio §. 1. ff. de Condit. et Demonstr.* quia, cum liberè possit puella tales nuptias acceptare, vel respuere, hæc non læditur libertas ad Matrimonium requisita. Excipiendum tamen, nisi alioquin à patre gravetur legitima filix debita; vel nisi ipsa inducatur ad nubendum cum indigno; quia tunc conditio illa rejicitur tanquam turpis, et debetur ei legatum, si ipsa nubat cum alio, ex *lib. Cum, ita §. Videamus, ff. eod. tit.* Ita communiter *Salm. cap. 1. num. 107. et Boss. cap. 11. num. 468. cum Rota Rom. Mol. Gutt. Villal. Laym. Pontio, Vasq. etc.* Item ait *Buss. num. 469. cum Coq. Sanch. Gutt. Mol. Vill. etc.* ( contra *Pontium*, et alios *ibid.* ) si puella, ut obediat patri, alium ducat; quia, adhuc admissa sententia, quam tenet et objicit *Pontius*, quod filia non peccet si nubat personæ dignæ sine consensu patris, tamen ( ut vidimus *n. 849.* ) commune est inter *DD.* esse contra honestatem non expectare in nuptiis patris consensum; et ideo, cum puella non possit honestè nubere, patre non consentiente, non debet legato privari. Sed huic responderi potest, quod ex hac eadem justà causa, nempe ne illa legatum amittat, satis ab hujusmodi dehonestate excusaretur, si cum persona designata digna ipsa nuberet.

Quærit V. an legatum relictum mulieri, ut non nubat, debea-



tur ei si nubat? Vide dicta *Tom. 3. l. 3. n. 930. v. Dub. 7.* ubi diximus deberi, si mulier esset virgo; secus si vidua.

« Resp. 2. ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia jure antiquo transeunt in Matrimonium per quævis signa externa, maritali affectu exhibita, v. gr. per copulam. Dico ubi *Trid.* etc. quia ubi hoc receptum est, hæc signa non tenent, si sint clandestina; ideoque graviter in iis peccari potest. »

Unde sequitur :

854. — « Sponsis non licent tactus impudici, cum proximè disponant ad copulam, et pollutionem, etsi liceant amplexus, et oscula in signum amoris. *Sanch. l. 9. d. 47.* Vide *Dian. p. 2. t. 17. R. 6. et t. 1. misc. R. 31. et p. 4. R. 131.* »

Quær. an inter sponsores sint peccata mortalia oscula, et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem? ( dicitur pudici, nam certum est impudicos esse lethalia ). Duplex adest sententia. Prima sententia, quam tenent *Sanch. de Matr. l. 9. D. 46. n. 37. ac Salm. c. 15. n. 91.* cum *Aversa, Diana, et Azor.* dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis, et adsit commotio spirituum genitalium, dummodo non sit magna, et absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ratio, quia sicut Matrimonium coonestat copulam, sic sponsalia, quæ sunt quedam inchoatio Matrimonii, coonestant tales actus, qui sunt copulæ inchoatio. Eò magis, quia per illos plus fovetur amor ad Matrimonium contrahendum. Adduntque *Salm. ib.* prædictos actus excusari etiam à veniali, si adsit causa justa, v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriæ. Secunda sententia longè probabilior, et omnino sequenda, quam tenent *Less. t. 14. n. 59. Mazzot. t. 4. p. 169. Roncag. p. 299. qu. 6. R. 1. Conc. t. 10. p. 359. n. 9. Bon. de Matr. q. 4. p. 9. Prop. 1. num. 6. cum Henr. et Rebell. Croix l. 6. p. 3. n. 151.* cum *Mendo* et aliis, ac *Vioa de Matr. qu. 1. art. 7. n. 6 et 7.* cum *Suar. Perez, et Hurt.* docet, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo, quo vetantur omnino solutis. Ratio, quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit jus ad corpus sponsæ; et si fortè aliquale jus acquirat per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfectè dominus rei, non potest re illa uti ne imperfectè quidem: sicuti ille cui promissa est venditio vineæ, nequit illa uti ne imperfectè quidem, donec vinea de facto ei vendatur, et tradatur. Præterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus, qui tantum ad copulam sunt ordinati. Concedunt tamen *Croix, et Vioa locis cit.* cum aliis AA. ab ipsis adductis, quòd oscula, et amplexus juxta morem patriæ aliquando sponsis permitti possint: sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modò tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit *Roncag. l. c.* qui etiam eos admittit ad benevolentiam demonstrationem: sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus,

ut etiam ait *Mazzot. l. c.* Id autem quod dicunt *Busemb. lib. 3. n. 431. et Less. ib. n. 58 et 59.* cum *Nao. Tol. Cajet. etc.* nempe quòd sponsis liceant tactus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam, secus verò si veneream, rectè aiunt *Ronc. ib. et Croix d. n. 151. in fin.* non esse practicè probabile, quia ordinariè semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream, cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione spectata, prima etiam sententia nec practicè probabilis est; quia in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere à non labendo in pollutionem, vel copulæ consensum. An autem sponsis liceat delectari de copula futura? Vide dicta *Tom. 4. l. 5. n. 24.* ubi sententiam negativam ( contra *Bonac. Salm. etc.* ) omnino tenendam diximus cum *Holz. Pal. Laym. Sanch. Ronc. etc.* quibus adde *Lessium l. 4. numer. 120. et Mazzot. tom. 4. pag. 170.*

### DUBIUM III.

#### Quomodo dissolvantur sponsalia.

855. Solvantur sponsalia I. Per Matrimonium cum alia. ( Vide etiam de hoc n. 875. ) II. Per mutuum consensum inter puberes. Quid, si sponsalia fuerint jurata? — 856. Quomodo autem solvantur inter impuberes? Quid, si ipsi juramento promiserint nuptias? — 857. III. Per impedimentum dirimens superveniens. Dub. 1. An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis? — 858. Dub. 2. An nocens teneatur petere dispensationem? — 859. Dub. 3. An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant? — 860. IV. Per crimen alterius. — 861. An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi? Dub. 1. Quid, si sponsa fuerit per vim oppressa? — 862. Dub. 2. Quid, si uterque sponsus fornicetur? — 865. V. Per mutationem notabilem, nempe 1. Si timeantur odia, etc. 2. Si superveniat defectus noxius. 3. Si superveniat paupertas. — 864. An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso? — 865. An cum defectu non pernicioso? Et quid si sponsa interrogetur an sit virgo? — 866. VI. Per discessum alterius in longinquum. Quid, si in propinquum, animo redeundi? — 867. VII. Per lapsum temporis præfixi. Dub. 1. Quid, si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem? — 868. Dub. 2. Quid, si alter fuerit justè impeditus. Dub. 3. An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur. — 869. VIII. Per Susceptionem Ordinis Sacri, et ingressum in Religionem. — IX. Per votum Castitatis. — 870. Distinctiùs de his agitur, et I. de Professione Religiosa. Dub. 1. An per ingressum in Religionem solvantur sponsalia ante Professionem? Dub. 2. An, si sponsalia fuerint jurata, teneatur Sponsus ante ingressum nuptias inire? — 871. II. De Susceptione Ordinum. Dub. 1. An peccet Sponsus suscipiens Ordines Sacros invita Sponsa? — 872. Dub. 2. An per susceptionem Ordinum Minorum solvantur sponsalia? — 875. III. de Voto ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines Sacros, aut servanda

tur ei si nubat? Vide dicta *Tom. 3. l. 3. n. 930. v. Dub. 7.* ubi diximus deberi, si mulier esset virgo; secus si vidua.

« Resp. 2. ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia jure antiquo transeunt in Matrimonium per quævis signa externa, maritali affectu exhibita, v. gr. per copulam. Dico ubi *Trid.* etc. quia ubi hoc receptum est, hæc signa non tenent, si sint clandestina; ideoque graviter in iis peccari potest. »

Unde sequitur :

834. — « Sponsis non licent tactus impudici, cum proximè disponant ad copulam, et pollutionem, etsi liceant amplexus, et oscula in signum amoris. *Sanch. l. 9. d. 47.* Vide *Dian. p. 2. t. 17. R. 6. et t. 1. misc. R. 31. et p. 4. R. 131.* »

Quær. an inter sponsos sint peccata mortalia oscula, et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem? ( dicitur pudici, nam certum est impudicos esse lethalia ). Duplex adest sententia. Prima sententia, quam tenent *Sanch. de Matr. l. 9. D. 46. n. 37. ac Salm. c. 15. n. 91.* cum *Aversa, Diana, et Azor.* dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis, et adsit commotio spirituum genitalium, dummodo non sit magna, et absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ratio, quia sicut Matrimonium coonestat copulam, sic sponsalia, quæ sunt quedam inchoatio Matrimonii, coonestant tales actus, qui sunt copulæ inchoatio. Eò magis, quia per illos plus fovetur amor ad Matrimonium contrahendum. Adduntque *Salm. ib.* prædictos actus excusari etiam à veniali, si adsit causa justa, v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriæ. Secunda sententia longè probabilior, et omnino sequenda, quam tenent *Less. t. 14. n. 59. Mazzot. t. 4. p. 169. Roncag. p. 299. qu. 6. R. 1. Conc. t. 10. p. 359. n. 9. Bon. de Matr. q. 4. p. 9. Prop. 1. num. 6. cum Henr. et Rebell. Croix l. 6. p. 3. n. 151.* cum *Mendo* et aliis, ac *Vioa de Matr. qu. 1. art. 7. n. 6 et 7.* cum *Suar. Perez, et Hurt.* docet, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo, quo vetantur omnino solutis. Ratio, quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit jus ad corpus sponsæ; et si fortè aliquale jus acquirat per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfectè dominus rei, non potest re illa uti ne imperfectè quidem: sicuti ille cui promissa est venditio vineæ, nequit illa uti ne imperfectè quidem, donec vinea de facto ei vendatur, et tradatur. Præterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus, qui tantum ad copulam sunt ordinati. Concedunt tamen *Croix, et Vioa locis cit.* cum aliis AA. ab ipsis adductis, quòd oscula, et amplexus juxta morem patriæ aliquando sponsis permitti possint: sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modò tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit *Roncag. l. c.* qui etiam eos admittit ad benevolentiam demonstrationem: sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus,

ut etiam ait *Mazzot. l. c.* Id autem quod dicunt *Busemb. lib. 3. n. 431. et Less. ib. n. 58 et 59.* cum *Nao. Tol. Cajet. etc.* nempe quòd sponsis liceant tactus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam, secus verò si veneream, rectè aiunt *Ronc. ib. et Croix d. n. 151. in fin.* non esse practicè probabile, quia ordinariè semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream, cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione spectata, prima etiam sententia nec practicè probabilis est; quia in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere à non labendo in pollutionem, vel copulæ consensum. An autem sponsis liceat delectari de copula futura? Vide dicta *Tom. 4. l. 5. n. 24.* ubi sententiam negativam ( contra *Bonac. Salm. etc.* ) omnino tenendam diximus cum *Holz. Pal. Laym. Sanch. Ronc. etc.* quibus adde *Lessium l. 4. numer. 120. et Mazzot. tom. 4. pag. 170.*

### DUBIUM III.

#### Quomodo dissolvantur sponsalia.

835. Solvantur sponsalia I. Per Matrimonium cum alia. ( Vide etiam de hoc n. 875. ) II. Per mutuum consensum inter puberes. Quid, si sponsalia fuerint jurata? — 836. Quomodo autem solvantur inter impuberes? Quid, si ipsi juramento promiserint nuptias? — 837. III. Per impedimentum dirimens superveniens. Dub. 1. An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis? — 838. Dub. 2. An nocens teneatur petere dispensationem? — 839. Dub. 3. An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant? — 860. IV. Per crimen alterius. — 861. An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi? Dub. 1. Quid, si sponsa fuerit per vim oppressa? — 862. Dub. 2. Quid, si uterque sponsus fornicetur? — 865. V. Per mutationem notabilem, nempe 1. Si timeantur odia, etc. 2. Si superveniat defectus noxius. 3. Si superveniat paupertas. — 864. An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso? — 865. An cum defectu non pernicioso? Et quid si sponsa interrogetur an sit virgo? — 866. VI. Per discessum alterius in longinquum. Quid, si in propinquum, animo redeundi? — 867. VII. Per lapsum temporis præfixi. Dub. 1. Quid, si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem? — 868. Dub. 2. Quid, si alter fuerit justè impeditus. Dub. 3. An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur. — 869. VIII. Per Susceptionem Ordinis Sacri, et ingressum in Religionem. — IX. Per votum Castitatis. — 870. Distinctiùs de his agitur, et I. de Professione Religiosa. Dub. 1. An per ingressum in Religionem solvantur sponsalia ante Professionem? Dub. 2. An, si sponsalia fuerint jurata, teneatur Sponsus ante ingressum nuptias inire? — 871. II. De Susceptione Ordinum. Dub. 1. An peccet Sponsus suscipiens Ordines Sacros invita Sponsa? — 872. Dub. 2. An per susceptionem Ordinum Minorum solvantur sponsalia? — 875. III. de Voto ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines Sacros, aut servanda

Castitatis. Dub. 1. An per votum Castitatis, aut suscipiendi Ordines Sacros, solvantur sponsalia etiam ex parte voventis? — 874. Dub. 2. Quid, si Sponsus post votum copulam extorsit? — 875. X. Rursus agitur de solutione sponsalium per Matrimonium validum cum alia, et quaeritur an per illud solvantur sponsalia etiam mortuo conjugē? — 876. XI. An per Hæreditatem novam supervenientem? Et quid, si offeratur conjugium notabiliter melius? — 877. An dissensus Parentum sit causa solvendi sponsalia? — 878. Dub. 1. An ad solvenda sponsalia semper requiratur auctoritas Judicis? Dub. 2. Quæ probatio sufficiat in foro externo, et quæ in interno?

« RESP. I. Dissolvuntur sequentibus casibus, r. Per Matrimonium validum, cum alia initum, Bon. part. 6. \* (An autem, mortuo conjugē, obligent? vide infra n. 875.) \* II. Per Mutuum consensus, sicut quivis contractus. Laym. c. 2. n. 8. »

855. — Inter puberes per mutuum consensus solvantur sponsalia, etiam juramento firmata, non solum validè, sed etiam licitè, si adsit rationalis causa; nam aliàs esset saltem veniale: ita communiter *Viva de Matr. q. 2. ar. 1. n. 1. Holzm. p. 496. n. 28. Pal. p. 17. n. 4. cum Con. et Guttier. Sanch. l. 1. D. 52. n. 8. cum Nav. Henr. et Lop. Pontius l. 12. c. 9. n. 2. cum Mol. et Reb. ac Escob. n. 264. cum Vioald. Philarch. contra Sotum, Sylvest. Ang. etc. ibid. n. 262. Idque probabiliter dicunt Ronc. p. 137. q. 1. R. 1. et Pal. Viva, ac Holzm. ll. cc. et Salm. c. 2. n. 5 et 15. cum Sanch.*, procedere, etiamsi sponsalia sint jurata principaliter propter Deum; quia juramentum in favorem tertii, quamvis principaliter fiat in honorem Dei, semper conditionem includit, si alter acceptet vel si non remittat, juxta dicta de jurament. Tom. 2. l. 3. n. 193. ex D. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 9. ad 2. ubi dicit, quod juramentum factum in utilitatem proximi bene possit ab eo remitti. Casu autem quo una sola pars consentiat in solutionem sponsalium, sponsalia non solvantur absolute, sed tantum datur jus resiliendi alteri parti juxta communem: vide *Salm. l. c. n. 4.*

856. — Inter impuberes verò non solvantur sponsalia, nisi ipsi fiant puberes ex c. De illis, de Despons. impub. ubi dicitur: « Cum ad annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari. » Perveniendo autem ad pubertatem, quæque pars potest resilire, reclamando statim, scilicet post triduum coram judice, vel testibus, aliàs præsumitur consensisse. Tempus tamen hoc trium dierum incipit currere à tempore, non jam pubertatis adeptæ, sed adeptæ cognitionis privilegii resiliendi; tempus enim utile datum à Legge ad utendum privilegio, non currit, nisi postquam privilegium agnoscitur. Quod si impubes sciens, et advertens suum privilegium, volensque resilire, statim non resilit, jam sponsalibus censetur consentire. Quod impubes factus pubes debet statim reclamare, inferitur ex cit. cap. De illis: ex verbis: Cum ad annos pubertatis pervenerit, reclamaerit; etc. Ubi enim non apponitur tempus, intelligitur

statim, ut communiter hinc intelligunt DD. utque diximus n. 845. ubi probatum est, statim deberi id quod debetur. Quod autem illud statim intelligatur intra triduum, probatur ex l. fin. C. de Errore advoc. ibi: *Incontinenti, id est triduo.* Ita communiter *Sanch. l. 1. D. 51. n. 14. Pont. l. 10. c. 1. n. 4. Salm. c. 2. n. 9. Viva l. c. Pal. p. 17. n. 5. cum Guttier. et Filin. ac Holzm. num. 213. cum Pichler.* Dicunt autem *Sanch. n. 16. Pontius n. 5.* quod si alter Sponsorum ante pubertatem dissenserit, et in tali dissensu perseveraverit, solvantur sponsalia, cum ille ad pubertatem pervenit. Si tamen internè tantum dissenserit, censent *Sanch. l. c. et Bon. q. 1. p. 6. n. 3. cum Con. etc.* posse etiam resilire in conscientia; sed probabilius id negant *Conc. p. 268. n. 3. et Pontius, ac Pal. ll. cc. cum Gutt. etc.* tum quia hoc beneficium resiliendi non conceditur à jure nisi reclamantibus, quod certè intelligitur externè, tum quia, sicut ad ineundum contractum non sufficit solus consensus internus, ita ad contractum solvendum nec sufficit solus internus dissensus.

Quær. autem, an casu quo impuberes juramento sponsalia firmaverint, possint invita parte resilire in pubertate? Negant *Bon. n. 4. Ronc. p. 136. q. 1. R. 2. et Salm. c. 2. n. 15. cum Aversa, Becano, Dic. et Sanch.* (ut citant) *l. 1. D. 51. n. 22.* Id probant 1. ex c. *Litteris de Sponsal.* ubi dicitur id expressum haberi. Probant 2. ratione, quia sponsalia impuberum, secluso juramento, valida sunt quamvis dissolubilia; ergo juramento firmantur. Sed affirmant *Pontius l. 12. c. 9. n. 8. Conc. p. 368. n. 3. Viva q. 2. ar. 1. n. 3. cum Perez, ac Pal. p. 17. n. 9. cum Palud. Henr. etc.* Et meritò *Salm. l. c.* id probabile putant, quia juramentum sortitur legem contractus, seu sponsalium, quæ (ut vidimus) inter impuberes sunt revocabilia. Nec obstat textus in cit. c. *Ex litteris*, nam ut advertunt *Pont. Pal. et Viva*, ibi sermo erat tantum de *Impubescentibus* (ut exprimit textus), id est de pubertati proximis, qui, malitia ætatem supplente, jure merito ut puberes habentur, et huic sententiæ etiam adhæret *Sanch. loc. cit. n. 24. cum Cov. Lop. etc.*

857. — « III. Si superveniat Impedimentum dirimens Matrimonium, Bonac. p. 8. n. 5. »

Dubit. 1. An per impedimentum superveniens sponsalia dissolvantur? Hic distinguendum: Si impedimentum sit impediens, communissimè et probabilius *Sanch. lib. 1. D. 56. n. 3. Pal. p. 26. n. 185. Escob. n. 185. cum Palud. Bonac. p. 7. n. 8. cum Reg. et Salm. cum Con. contra Sotum, Aversa, et Led.* negant sponsalia dissolvi, nisi impedimentum proveniat ex voto Religionis, et valde probabiliter etiam castitatis, juxta dicenda n. 873. Dub. 1. Ratio, quia alia impedimenta hodie non vigent, nec indigent dispensatione. Si verò impedimentum sit dirimens, certum est apud omnes (vide *Salm. c. 2. n. 70.*) dissolvi ex parte innocentis, ita ut iste non teneatur admittere dispensationem. Sufficit autem ad solvenda sponsalia sola fama hujusmodi impedimenti, ut bene advertit *Viva q. 2. ar. 7. n. 4. ex c. Cum in*

*tua 27. de Spons. et c. Super eo 2. de Consang.* ubi: *Si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, etc.* Ad hoc tamen requiritur fama, non sufficit rumor: *fama* est quando adest opinio impediti apud majorem partem viciniae, *rumor* apud minorem; *Viva l. c.* Sed dubium est, an tunc sponsalia solvantur etiam ex parte nocentis? Affirmat *Dic. tr. 10. D. 1. dub. 38.* et probabile putant *Salm. c. 2. n. 70.* quia, supposito tali impedimento, jam factum est impossibile Matrimonium. Negant verò communius et probabilius *Sanch. l. 1. D. 56. in fine, et Pal. p. 26. n. 2. cum Con. et Gutt.* qui dicunt tunc suspendi obligationem sponsalium, donec tollatur impedimentum; quia æquum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet, *ex c. 2. de Translat. Prælat. Sed*

858. — Dubit. 2. An qui impedimentum apposuit, teneatur dispensationem obtinere, vel ipsam oblatam acceptare? Alii, ut *Fill. Con. et Aversa ap. Salm. c. 2. n. 72.* dicunt non teneri, etiamsi sponsalia fuerint jurata, nisi ad hoc obligetur ratione damni illati, nempe deflorationis, vel famæ deturpatæ; tum quia promissio intelligitur facta, rebus in eodem statu manentibus, *ex c. Quemadmodum de Jurejur.*; tum quia nemo tenetur à lege se extrahere per dispensationem. Alii verò, ut *Ronc. p. 140. q. 10. R. 2. Pal. p. 26. n. 4. cum Ochag. ac Salm. n. 73. cum Led. etc.* dicunt teneri, adhuc præciso damno illato, ad procurandam dispensationem, unà cum diligentia et expensis quæ communiter pro tali dispensatione fieri solent, etiamsi essent magnæ. Ratio, quia tenetur quisque modo quo potest resarcire jus alterius, quod ipse injustè læsit, opponendo impedimentum. Alii demum probabilius, ut *Sanch. l. 1. D. 56. n. 4. Viva q. 2. ar. 7. n. 3. Wigandt, tr. 16. n. 22. Bon. p. 7. n. 9. cum Gutt. et Spor. num. 277.* (cum communi ut asserit) dicunt teneri quidem, etiam secluso damno illato, si dispensatio facile posset impetrari: secus si ad eam requirentur magnæ expensæ, et longa mora; quia obligatio orta ex sponsalibus urget Sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et facilia, non autem difficilia et extraordinaria. Excipit tamen *Spor. l. c. cum Tamb.* nisi esset reparandum damnum deflorationis, vel famæ ut supra: quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare; sed non tanta, ut cogereletur à suo statu decidere. An autem habens votum castitatis teneatur ducere virginem defloratam sub promissione Matrimonii? Et an teneatur petere dispensationem, qui sub promissione Matrimonii violaverit consanguineam? Vide dicta *Tom. 2. l. 3. n. 649 et 650.*

859. — Dubit. 3. Si sponsalia sint contracta inter habentes impedimentum dirimens, sub conditione expressa, si Papa dispensaverit, utrum, impleta conditione, validas sint sine novo consensu? Vide dicta *Tom. 2. lib. 3. n. 650.* ubi sententiam tenuimus affirmativam cum *Lugo, Laym. Pal. Salm. etc.* quibus adde *Pontium l. 12. c. 7. n. 1. et Bon. D. 1. p. 7. n. 10.* Licet enim sponsalia ante conditionem impletam vera sponsalia non sint, inducunt tamen absolutam obligationem expectandi eventum

conditionis; ergo consensus perseverat usque ad impletionem conditionis. Unde infertur, quòd esto ante conditionis verificationem hæc sponsalia non inducant impedimentum publicæ Honestatis, peccaret tamen Sponsus si cum sorore Sponsæ Matrimonium contraheret; et hæc secunda sponsalia essent nulla, cum esset promissio de re injusta, quæ non obligat, ut rectè dicunt *Spor. n. 211. et Pont. l. 7. c. 36. n. 7. cum Decr. S. C.*

860. — «IV. Per atrox crimen alterius sponsi, solvantur ex parte innocentis: quale censetur. 1. fornicatio, sive spiritualis, » ut hæresis; sive corporalis, tam sponsi quàm sponsæ, post sponsalia, et sponsæ etiam ante illa, sed à sponso ignorata, licet per vim facta. *Bonac. part. 8.* Imò si sponsa permittat se tangi impudicè ab alio per oscula et amplexus, potest sponsus resilire à sponsalibus; sed non vice versa, quia etsi sponsus id faciat, non est dedecus sponsæ, nec mutatio alicujus momenti. *Reg. Dian. p. 3. l. 4. R. 283.* (Ita etiam *Sanch. l. 1. D. 55. n. 5. et Salm. c. 2. n. 80. cum Con. Dic. etc.*) \* Limitant tamen (Ut etiam *Sanch. et Salm. ll. cc. cum aliis citatis*) \* nisi talia oscula, et tactus sint ita frequentes, ut indicent valde propensum sponsi animum in alteram, ut meritò timeri possit ne sponsæ non sit fidem servaturus. Si autem uterque sponsus fornicetur post sponsalia, neutrum posse resilire docent *Pal. et Bon. contra Con. Regin. Sanch. Laym. et Pont.* qui soli viro id eo casu permittunt, eò quòd delicta sint imparia, et longè gravius damnum imminet ipsi propter incertitudinem proliis, *Dian. l. c. R. 284. 2.* Furtum grave, homicidium, etc. vel simile, quòd grave damnum vel infamiam pariat. *Bonac. p. 8. n. 12.* »

861. — Si fornicatio fuerit ante sponsalia, certum est apud omnes posse virum, cognita fornicatione Sponsæ post sponsalia, eam relinquere. E converso non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem Sponsi cum alia ante habitam, ut communiter docent *Sanch. lib. 1. D. 53. n. 9. Pont. l. 12. c. 18. n. 2. et Salm. c. 2. n. 88. cum Pal. et Dic. (contra Holcm. n. 265.)* Nisi, limitant *Sanch. n. 10. Pont. l. c. Tamb. de Matrim. c. 5. §. 9. n. 6. et Ronc. p. 139. q. 7. R. 2. cum Con. et Pal.* vir insuper prolem ex alia habuerit, vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio, cum pluribus fœminis se committendo. (R)

Si verò fornicatio fuerit post sponsalia, certum est posse Sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntariè fornicata sit. Sed dabitur 1. an vir possit à sponsalibus resilire, si Sponsa violenter fuerit fornicationem passa? Negant *Armilla; Tabiena, Rosella, etc. apud Escob. n. 273.* Quia (ut aiunt), cum ipsa culpa vacaverit, non est suo jure privanda. Sed communiter, et verius affirmant *Sanch. l. 1. D. 55. n. 7. Nap. c. 22. n. 27. Conc. p. 276. n. 25. Spor. n. 272. Holcm. n. 254. Pont. l. 12. c. 17. n. 3. Pal. p. 26. n. 5. Laym. c. 2. num. 11. cum Sylo. et Cov. Escob. n. 175. cum S. Antonino, Palud. Soto, et Led. ac Bon. p. 8. n. 3. cum Con. Fill. Henr. Gutt. ex c. Raptor. 33.*

*Caus. 27. q. 2.* ubi expressè permittitur Sponso repudiare Sponsam violenter raptam. Et ratio est, quia Sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur; unde notabiliter mutantur circumstantiæ juxta mox dicenda n. 863.

862. — Dubit. 2. an, utroque Sponso fornicante, utriusque liceat resiliere? Adsunt tres sententiæ. *Prima*, quam tenet *Pal. p. 2. n. 10.* affirmat: nam esto fornicatio Sponsæ turpior sit, tamen Sponsus, cum etiam per suam fornicationem violet fidem datam, jam tribuit Sponsæ justam causam resiliendi. *Secunda* sententia, quam tenent *Vicoa q. 2. art. 2. n. 2. Bonac. D. 1. p. 8. n. 6. cum Palud. Holz. num. 258. cum Bambest. item Avers. et Perez. apud Salm. c. 2. n. 83.* dicit neutrum posse resiliere, sed dari compensationem, ita ut neuter queat à sponsalibus recedere. Ratio, quia sicut post Matrimonium contractum, si uterque conjux adulteretur, neuter potest petere divortium *ex c. 6. de Adulter.* ita si post sponsalia utroque Sponsus fornicetur, neuter potest resiliere. *Tertia* verò sententia probabilior, et communis (ut fatetur ipse *Pal.*), quam tenent *Pont. l. 12. c. 17. n. 3. Sanch. l. 1. D. 55. n. 9. Laym. c. 2. n. 12. Conc. p. 279. n. 26. Escob. n. 181. Spor. n. 271. Renzi p. 345. q. 3. et Salm. c. 2. n. 84. cum Con. Henr. Diana, Leand. Dic. etc.* docent Sponsum bene posse resiliere, non verò sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur æqua compensatio, cum longè turpior sit fornicatio Sponsæ quam Sponsi. Dispar autem est ratio divortii propter adulterium, quia obligatio Matrimonii quoad torum difficilius solvitur quam sponsalium obligatio, quæ solvi potest ex quacumque rerum notabili mutatione (sicut esset hæc) superveniente, ut mox dicitur *n. seq.*

863. — « V. Si Notabilis mutatio accidat, vel detegatur, que » si à principio cognita fuisset, à sponsalibus deterruisset; » *Ita comm. Sanch. l. 1. D. 63. n. 2. Pont. lib. 12. c. 6. n. 18. Pal. p. 29. Salm. c. 2. n. 67. et alii passim. Et hoc procedere » ait Vicoa qu. 2. art. 6. n. 4. etiamsi interoenerit copula, tunc » etiam sufficit damnum compensare) » qualis esset v. g. I. ini- » micitia, vel odium grave inter sponso; quo refertur morum » asperitas, vel sævitia post sponsalia primùm cognita: iten » justus timor, ne ex matrimonio scandala, et gravia odia nas- » cantur inter parentes, vel consanguineos. *Laym. c. 1. n. 18. Bon. p. 18. n. 8. etc. II.* Si alteruter incidat in lepram, para- » lysim, morbum gallicum, etc.; si graviter mutiletur, ut » amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur, præser- » tim sponsa vel sponsus reddatur ineptus ad officium exer- » cendum, vel acquirendum officium ad sustentationem familiæ » necessarium. *Dian. p. 3. tr. 4. R. 85. Sanch. l. 1. d. 57. Con. dist. 23. dub. 8. Laym. et Bonac. ll. cit. (Ita comm. omnes » cum D. Th. Suppl. qu. 43. art. 3. et hoc etiamsi non adsit certitudo » de tali defectu, sed sola (vehemens tamen sive prudens) » suspicio, ut Pontius l. 12. c. 17. n. 4. et Pal. p. 27. n. 3.) »**

» Non tamen tenetur sponte aperire tales defectus, qui reddant » nuptias minùs quidem appetibiles, non tamen perniciosas, » præsertim si aliquam infamiam habeant adjunctam (v. g. si » sponsa, vi vel sponte fuisset corrupta); dummodo tamen » contrarium positivè verbo, factove non simulet; potestque » interrogatus licitè dissimulare, et contrahere Matrimonium. » Si verò defectus sint perniciosi, v. g. morbus contagiosus, » gravis infamia, sive personalis, sive generis, aut familiæ, » non licet, etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit, » contrahere, cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipsè » patiatur. *Coninch. Pont. Dian. part. 5. tom. 4. Resol. 87.* ubi » ex *Con. et Salm. contra Pont. Nav. etc.* infert, Sponsam post » sponsalia corruptam posse Sponsum defectus istius oculi » ignarum cogere ad standum sponsalibus, et contrahendum » Matrimonium. III. Si magna alterius debita detegantur, vel » grave sit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis, etc. » non licet, etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit, » Sponsus incipiat vagari cum incommodo Sponsæ; *Bonac. l. c. » (Item Spor. n. 282. Sanch. l. 1. Dist. 59. n. 2 et 4. ac Pont. » l. 12. c. 17. n. 8. cum Con. Reb. et Tol. sive dos, ut aiunt, » sit promissa, sive non. Et idem dicunt Spor. et Pont. ll. cc. si » timeatur Pater filium exhæredaturus.)* Quòd si autem defectu » sponsæ detecto dubitet Sponsus, an si cum ab initio cogno- » visset, contracturus fuisset, tunc si defectus ille censeatur » gravis ac notabilis, præsumetur pro Sponso, cui liberum erit » resiliere. *Sanch. Conc. Tan. t. 1. l. 1. dist. 65. secus, si defectus » sit levis. Bard. l. 6. c. 11. p. 7.* »

864. — Quær. an pars laborans occulto defectu sufficienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel eis contractis, ante Matrimonium? Distinguendum cum communi. Si defectus redderet nuptias perniciosas, ut esset infamia, lepra, morbus gallicus, aut alius contagiosus, tenetur manifestare, vel à nuptiis desistere, nisi altera pars eodem defectu laboret; ita *Pont. l. 12. c. 18. n. 6. Ronc. p. 140. q. 12. Pal. pag. 50. n. 5. cum Salm. cap. 2. n. 99. cum Diana 3. p. tr. 4. R. 287. Spor. n. 286. cum Perez, et Gob. (quidquid dicant Sanch. lib. 1. D. 68. num. 8. et alii apud Salm.)* Ratio, quia sicut peccat contra justitiam qui alteri vendit merces noxias credenti bonas, ita à fortiori qui cum pernicioso defectu vult Matrimonium contrahere.

865. — Si verò defectus non redderet nuptias noxias, sed tantum minùs appetibiles, nempe si Sponsa esset pauper, quæ reputatur dives; ignobilis, quæ nobilis; deformis, quæ pulchra; corrupta, quæ virgo; tunc esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem à tali defectu, tamen non tenetur defectum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare æquivocè respondendo; tunc enim non fingit, sed occultat vitium occultum; ita *Sanch. l. 6. D. 27. n. 9. Pont. Spor. Dian. ll. cc. Ronc. l. c. et Reg. in prax. 7. Renzi p. 437. q. 10. Croix n. 182. Pal. p. 30. n. 2. cum Con. et Turr. Salm. c. 2. n. 97. cum Dic. et Avers.*

*Escob. n. 324. cum Hurt. et Leand. ( contra Ochag. ibid. n. 322. et Conc. p. 278. n. 31. )* Ratio, tum quia est consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, tum quia nemo tenetur pro palare suum defectum cum propria infamia, si non lædat jus alterius; Licet enim Sponsus, cognito defectu, habeat jus resiliendi à sponsalibus, opponendo exceptionem propter talem defectum, tamen usquedum ipse exceptionem non opponit, potest cogi à Sponsa ad Matrimonium: sicut adultera usquedum vir non opponit exceptionem propter cognitum adulterium, potest ab eo debitum petere. Unde dicunt præfati AA. quòd sponsa ab alio corrupta, etiamsi interrogetur à sponso, an fuerit ab alio cognita, poterit dissimulare et negare per restrictionem non purè mentalem, respondendo non esse corruptam, subintelligens in communi æstimatione, aut ad aperiendum tibi, additque *Dian.* posse illam sine peccato, aut saltem sine mortali uti aliquo artificio, quo impediatur ne vir deprehendat esse corruptam.

Excipiunt tamen 1. *Sporer n. 286. Pal. p. 30. n. 5. Pont. d. 6. et Croix n. 183. cum Con. et Perez,* si Sponsa ex concubitu habito cum alio sit prægnans, quia tunc adest periculum damni Sponsi, nempe quòd deberet alere prolem alienam. Excipiunt 2. *Sanch. n. 11. Pont. ib. Salm. n. 98. Ronc. d. Reg. 7. Croix n. 184. et Pal. n. 3. cum Nav. Con. et Turrian.* si, non manifestato defectu, prudenter timeatur, ne ille propaleatur post nuptias ininitas, et graves inde discordiæ sint proventuræ; tunc enim dicunt teneri Sponsam vel suam violationem passam propalare, vel à Matrimonio desistere, quia tenetur ex caritate erga Sponsam, et etiam erga seipsam talia damna præcavere; sed huic obijci posset, quòd caritas non videatur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi, vel remanendi semper innuptam; vide dicta n. 851. v. *Ad id autem.*

Ad videndum autem, quænam causæ sufficiant ad solvendam obligationem sponsalium, attende has duas regulas. *Prima*, pro causis supervenientibus ad sponsalia, sufficit illa causa, quæ si esset prævisa, sponsalia non fuissent contracta: tunc enim ab eis libera manet pars, quæ de novo has causas non dedit; ita communiter *Sanch. l. 1. D. 62. n. 3. Pal. p. 28. n. 8. et Salm. c. 2. n. 63. cum Aversa, Led. Henr. Dic. et aliis.* Ratio, quia sponsi sub hac conditione censentur obligari, nisi accedat notabilis mutatio, qua prævisa, minimè contraxissent. *Secunda* regula, pro causis ignotis anterioribus ad sponsalia, illa sufficit, quæ si superveniret, jam esset sufficiens ad illa rescindenda; ita *Pontius lib. 12. cap. 18. Sanchez lib. 1. D. 63. n. 2. Pal. p. 29. et Salm. cap. 2. n. 87. cum Dic. Aversa, Leand. et communi,* quia in tali casu etiam adest notabilis mutatio, quæ si ab initio fuisset cognita, jam sponsalia impediisset. Quapropter si ignorantia non dedisset causam contractui, sed fuisset concomitans, nempe si Sponsus, adhuc cognita prius causa, etiam contraxisset, minimè poterit à sponsalibus deinde resilire, quia tunc non advenit illa notabilia

mutatio; ita *Pontius l. c. n. 4. Sanch. Dist. 65. n. 2. Pal. n. 2. et Salm. n. 93. cum Dic. Con. Leand. et Trull.*

866. — « VI. Si alter sine alterius licentia proficiscatur in terram longinquam; quia censetur renunciare suo juri. *Laym. l. c. Bon. p. 6.* »

Certum est, quòd si Sponsus aliò transfert suum domicilium, vel si in longinquam regionem abeat, etsi cum animo redeundi, poterit Sponsa statim ad alias nuptias transire; hoc est expressum in *c. D. illis. 5. de Spons.* ubi dicitur: « Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre. » Si verò sponsus discessit in propinquum locum cum animo redeundi, tunc si discessus fuerit ex causa necessaria, puta infirmitatis, aut alterius gravis negotii, statutum est in *lib. Sæpe de Spons.* expectandum esse negotii finem; si autem ex causa voluntaria, quando discessus fuerit intra Provinciam, dicitur in *l. 2. C. eod. tit.* expectandum esse ad biennium; quando extra Provinciam, ad triennium ex *l. 1. C. de Repub.* Dicunt autem fere communiter *Sanch. l. 1. Dist. 54. n. 6. Bonac. part. 6. n. 8. Spor. n. 244. Vioa q. 2. art. 3. n. 2. Ronc. p. 137. q. 2. Holz. n. 250. Escob. n. 270. cum Soto, Armilla etc. ac Salm. c. 2. n. 61. cum Dic. Gonet. et Aversa.* Jus Civile in hoc correctum fuisse à Jure Canonico in *cit. cap. De illis.* Et hoc dicendum (ut aiunt *Sanch. n. 6. Ronc. et Vioa l. c. cum Perez, contra Bonac.*) etiamsi discessus fuerit ex causa necessaria. Sed melius dicunt *Palau p. 23. n. 2. Pontius l. 12. c. 15. n. 4. cum Canisio,* in hoc minimè correctum fuisse jus Civile à Canonico, nam in *dicto c. De illis* sermo fit tantum de eo qui domicilium mutavit, non autem de illo qui discessit reversurus. Verùm rectè addunt, neque in hoc standum esse Juri Civili, quia præfatæ leges terminum statuunt, non ut Sponsa possit sponsalia dissolvere, cum (ut diximus n. 853. *Qu. I.*) ex Jure civili olim sufficiebat unius Sponsi voluntas ad solvenda sponsalia, sed ut possit Sponsa resilire, lucratis arrhis. Unde concludendum cum *S. Antonino 3. p. tit. 1. c. 18. §. 1. eod. Pont. l. c. Sanch. n. 10. et Salm. n. 62. cum Con. Reb. et Dic.* quòd semper ac sponsus discessit in propinquum locum, expectandum sit donec redeat; vel requiri debet Sponsus, ut intra certum tempus accedat ad contrahendum Matrimonium: quòd si ille requisitus reditum justa ex causa differat, vel erit expectandum ad prudentis arbitrium, ut dicunt *Ronc. Spor. l. c. Conc. p. 374. num. 17. et Salm. n. 62. cum Con. Reb. et Dic.* Vel (quod securius est) causa est remittenda arbitrio Judicis, qui inspectis circumstantiis, vel admonebit Sponsum, ut redeat infra certum tempus, vel terminum determinabit ( præsertim si ille longè abierit) post quem sponsa libera ramaneat, ut dicunt *Pontius et Ronc. l. c. Pal. n. 3. ac Salm. cum eisdem AA.* Et idem docet *Bened. XIV. Notif. 46. num. 5. cum Anac. Cler. Perez, etc. ac Declar. S. C. die 2 Octob. 1723,* quæ pariter sic agendum res-

pondit. Hæc autem procedunt, si in sponsalibus nullum fuerit tempus præfixum ad nuptias ineundas, nam si fuerit terminus assignatus; vide dicenda *num. seq. (V. Not. VI, pag. 364.)*

867. — VII. Si sint inita cum conditione, certo tempore contrahendi matrimonium, liberatur obligatione is, per quem non stetit, quominus sit contractum. *Laym. num. 16.*

Cum terminus sponsalibus apponitur, spectandum est, an apponatur ad sollicitandam, sive ad non differendam obligationem contrahendi Matrimonium, vel an ad obligationem finiendam. Tunc apponitur ad sollicitandum, quando partes ideo præfigunt terminum, ut neutra ante illum possit alteram cogere ad implendum contractum. Tunc autem ad finiendum, quando terminus apponitur, ut eo elapso nulla remaneat obligatio. Et hæc ita servanda sunt, si expressis verbis partes ita conveniant. Sed

Dubit. 1. Si verba sint ambigua, quando terminus censeri debeat appositus ad sollicitandam obligationem, et quando ad finiendam? Respondetur cum communi sententia duas regulas in tali dubio assignari. *Prima*: Si terminus ab una tantum parte præfigitur, altera negativè se habente, tunc censetur appositus ad sollicitandum; si verò ab utraque, ad finiendam. *Secunda*: Si terminus apponitur antequam sponsalia contrahantur, censetur ad finiendum; secus si post sponsalia contracta: ita *Sanch. l. 1. D. 43. n. 3. Ronc. p. 137. qu. 3. R. 2. Renzi p. 435. qu. 3. et Salm. c. 2. num. 51. cum Con. Bec. Dic. etc.* Quamvis Pontius *l. 12. c. 16. n. 3.* dicat præfatas duas regulas non esse genericè veras. Casu autem quo terminus est appositus ad finiendam obligationem, elapso tempore ex culpa unius partis, altera innocens liberatur, etiamsi sponsalia fuerint jurata, ut commune est apud omnes cum *D. Thom. in 4. D. 27. quæst. 2. art. 3. ad 2.* et patet ex *c. Sicut 22. de Sponsal.* ubi Pontifex præcepit imponi pœnitentiam cuidam sponso qui recessit à sponsalibus cum quadam contractis, et nuptias cum alia inivit: « Nisi ( addidit ) » juramento suo certum terminum præfixit, intra quem dictam » P. duceret in uxorem, et per eum non stetit ( nota ), quin ad » statutum terminum Matrimonium consummaverit. » Ergo si per eum non stetit, licitè recessisset.

868. — Dubit. 2. An elapso termino ex defectu v. g. Sponsi, possit sponsa resilire à sponsalibus, si inculpabiliter omiserit ille nuptias inire, justo detentus impedimento? *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Pontius l. 12. c. 16. n. 4. Bonac. p. 6. n. 6. cum Reg. Viva q. 2. ar. 3. n. 3. et Sanch. l. 1. D. 53. num. 7. cum Palud. Gomez. etc. ibid. n. 16. item Guttier. ap. Pal. p. 24. n. 7. Trullenc. ap. Salm. c. 2. n. 56.* Ratio, quia non est æquum, ut privetur jure suo, qui ex juxta causa impeditur à promissis adimplendis, ex *l. 1. C. de Annal. except.* ubi *Legitimè impedito non currit tempus, ut jure prioritur.* Id probant etiam ex citato *c. Sicut*; sed præfatus textus veriùs probat oppositum, ut mox videbimus. Notant verò *Bon. et Viva ll. cc. cum aliis*, quòd ut pars innocens liberetur à sponsalibus, mora alterius debet esse tanta, ut, in-

specis circumstantiis, prudenter ipsa censeatur rea culpæ mortalis. Item advertit *Pontius*, quòd si ob tale impedimentum unius partis diutius differatur Matrimonium, bene poterit altera adire iudicem, ut monita parte impedita, alium terminum præfigat, quo elapso ipsa omnino libera remaneat. *Secunda* verò sententia communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Laym. c. 2. n. 17. Pal. p. 24. n. 8. Navar. c. 22. n. 27. casu 11. Coninck D. 27. d. 6. n. 47. Salm. c. 2. n. 57. Conc. p. 273. n. 16. Ronc. p. 773. q. 3. R. 2.* Ratio, quia terminus ad hoc apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis, aliàs frustra tempus præfigeretur. Hæc autem sententia clarè probatur ex prædicto textu *in c. Sicut*, quem perperam ad suam sententiam adversarii detorquent: casus enim ( ut diximus ) ibi fuit, quòd vir quidam post sponsalia contracta cum una, contraxisset Matrimonium cum alia; hinc Pontifex decrevit quòd si per ipsum stetit, quominus cum prima nuptiæ inite fuissent intra terminum præfixum, debuisset agere pœnitentiam. Unde ex textu consequenter declaratum fuit, quòd si per ipsum non stetit ( intellige quidem culpabiliter, nam aliàs, si culpa defuisset, nulla ei fuisset imponenda pœnitentia ) quin Matrimonium intra definitum tempus contractum fuisset, licitè potuerit elapso termino eum alia contrahere. Ergo, si licitè ille potuit Matrimonium inire cum secunda, cum per ipsum culpabiliter non steterit, quin statuto tempore cum prima nuptiæ fuissent contractæ, supponit Pontifex quòd ipse elapso termino liber omnino remanserit ab obligatione sponsalium. Hinc concluditur, quòd cum terminus præfixus elabatur, omnino cesset obligatio sponsalium ex parte illa quæ jam parata erat ad nuptias. Sed

Dubit. 3. An, elapso termino in sponsalibus appposito, remaneat libera ab eorum obligatione etiam pars quæ culpabilem apposuit dilationem? *Prima* sententia communior negat, et dicit remanere liberam tantum partem per quam non stetit: ita *Pont. l. 12. c. 16. n. 4. Laym. c. 2. n. 17. Pal. p. 24. n. 8. Nav. c. 22. n. 27. Con. d. 6. n. 47. Salm. c. 2. n. 55. et Sanch. l. 1. D. 53. n. 7. cum Palud. Gom. etc.* Ratio, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Certum est autem apud omnes cum *Pont. l. c. et Sanch. n. 6.* quòd si per utramque partem stetit, ne Matrimonium intra tempus præfixum celebratum esset, ex utraque parte sponsalia solvantur. *Secunda* verò sententia affirmat, quòd elapso termino, utraque pars remanet libera, etiam illa quæ in culpa fuit: sic tenent *Ronc. p. 137. q. 3. R. 2. in fine, Conc. p. 273. num. 16.* et hanc expressè etiam tenet *D. Th. in 4. D. 27. qu. 2. art. 3. ad 2.* ubi ait: « Si per eum stetit, » quòd Matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti, et contra- » here cum alia, si vult, iudicio Ecclesiæ. » Ratio videtur esse, quia cum terminus sit appositus ad obligationem finiendam, illo elapso cessat obligatio; cum enim terminus sit conditio intrinsece opposita contractui, ea deficiente, esto per culpam unius

contrahentis, ipse liber manet; nec obstat quòd tunc ex sua culpa commodum reportet, quia lex contractus non culpam, sed conditionis defectum respicit, ex Reg. jur. in 6. ubi: *Contractus ex conditione legem accipere dignoscitur*. Prima sententia est quidem longè communior, et mihi longè probabilior; sed hæc secunda sua probabilitate non caret, maxime ex auctoritate *D. Thomæ*.

869. — « VIII. Solvantur, licèt sint jurata, per susceptionem » Ordinis sacri, vel ingressum alterius in religionem, aut votum » eam ingrediendi, *Laym. l. c. Bonac. p. 5*. Nec obstat, si hic » postea ad seculum redeat, ut docet *Sanch. l. 1. d. 24*, licèt » *Præp. Fill.* et alii putent, talem ex parte sua prioribus spon- » salibus teneri, uti etiam ad damna resarcienda sponsæ, si quæ » passa esset. Unde non posset ingredi religionem, si sponsam » deflorasset, nec aliter quàm per Matrimonium posset resarcire » damnum. Vide *Dian. p. 4. t. 3. R. 207. Bon. loc. cit.*

« IX. Probabile est solvi etiam per votum simplex castitatis, » ut docent *Suarez, Azor.* aliique, cum hoc sit de meliøre bono : » etsi contrarium doceant *Fill. Sanch. Con.* et alii, eò quòd Deus » non acceptet promissionem rei alteri promissæ, et in alterius » præjudicium. Unde etiam in foro externo talis solet compelli, » ut vel fidem servet, vel intret religionem. Interim post tale » votum alteri parti datur jus sponsalia solvendi, eò quòd vovens » resilierit, et censeatur juri suo renunciassè. Vide *Bon. p. 5. » num. 13.* »

870. — Hinc distinguendum inter Professionem Religiosam, susceptionem Ordinum Sacrorum, et Votum Religionis, vel Ordinum, vel Castitatis. Et I. Quoad Professionem Religiosam, dubitatur 1. utrum per ingressum in Religionem unius Sponsi, solvantur sponsalia contracta ante Professionem? Adsunt tres sententiæ. Prima asserit per ingressum ex neutra parte dissolvi sponsalia; ita *Coo. Durand. Armill. etc.* apud *Salm. de Matr. c. 2. n. 19*. Ratio, quia sicut Matrimonium ratum non per ingressum, sed tantum per Professionem dissolvitur, ut ex *c. 2. de Convers. conjug.*, ita dicendum est etiam de sponsalibus; sed hæc sententia non videtur satis probabilis. Secunda sententia communior cui adhæreo, et quam tenent *Laym. c. 2. n. 2. Spor. n. 148.* cum communi ut asserit *Croix n. 187. Pal. p. 18. n. 3. Pontius l. 22. c. 10. n. 4. cum Reb. et Gab. Viva q. 2. art. 4. n. 4. cum Con. Perez, et Henr. ac Salm. c. 2. n. 21. cum Gonet, Vill. et Led.* dicit, tunc dissolvi sponsalia tantum ex parte manentis in seculo, tum quia alter ingrediendo Religionem censeatur cessisse juri suo; tum quia ex ejus parte tunc accedit notabilis mutatio, cum dedecori æstimetur nubere cum eo qui Religionem deseruit; non autem dissolvi ex parte ingredientis, si postea ad seculum redeat; quia per ingressum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum Matrimonium, sicut redderetur per Professionem. Tertia sententia, quam tenent *Bus. n. ant. Sanch. l. 1. d. 42. n. 2 et 5. Tol. l. 7. c. 21. Bon. p. 5. n. 2. cum Con. Fill. Henr. etc.* item *Becan. et Dic. ap. Salm. c. 2. n. 20.* dicit

dissolvi sponsalia ex parte utriusque. Ratio 1. est, quia sicut Novitatus se habet ad professionem, ita se habent sponsalia ad Matrimonium: quemadmodum igitur Matrimonium ratum dissolvitur ex parte utriusque per professionem, ut declaratur in *c. 2. de Conversione Conjug.* ita sponsalia per ingressum. Sed huic rationi respondetur, quòd tale privilegium ex jure Divino ( ut declaratum est ab Ecclesia ) concedatur tantum Professioni Religiosæ tanquam statui perfectionis; sed quòd per ingressum sponsalia solvantur, nullo jure habetur: et revera æquum non esset, ut gauderet privilegio concesso statui Religioso, qui ab eo viliter retrocedit. Ratio 2. hujus sententiæ est, quia ingressus in Religionem cum animo perseverandi jam solvit votum a voto Religionis, ita ut, si postea egrediatur experiendo Religionem imparem suis viribus esse, jam liber maneat a voto: ergo a fortiori solvit obligationem sponsalium, quæ sunt minoris obligationis voto Religionis. Sed hæc ratio neque suadet, nam vovens ideo per ingressum liberatur a voto, quia jam implet suam obligationem; votum enim intelligitur emissum sub conditione, si Religio sibi conveniat: contra verò Sponsus per ingressum in Religionem nullo modo implet obligationem sponsalium; et ideo si ab illa egreditur, merito manet eadem obligatione obstrictus. Hinc secunda sententia absolute probabilior mihi videtur.

Dubit. 2. an, si sponsalia sint juramento firmata, teneatur Sponsus ante ingressum in Religionem Matrimonium celebrare: Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Scot. Nav. et Led. Ap. Pont. l. 12. c. 10. n. 10. ac Reb. et Vega ap. Salm. c. 2. n. 17.* Id probant ex *c. Commissum. 16. de spons.* ubi dicitur tutius esse quòd eo casu Sponsus prius nuptias ineat, et deinde ante consummationem ingrediatur Religionem, si velit; en verba textus: *Tutius est ei ( Religione juramenti servata ) prius contrahere, et postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Secunda tamen sententia communissima, et per se loquendo verior, negat, eamque tenent *Pontius n. 13. Sanch. l. 1. d. 43. n. 3. Pal. p. 15. n. 2. Bonac. p. 5. n. 4. Petr. t. 4. p. 279. Viva q. 2. art. 4. n. 5. Spor. n. 246. Holz. n. 240. et Salm. c. 2. n. 18. cum Dicast.* Ratio, tum quia juramentum semper censetur emissum sub conditione, nisi status perfectior eligatur; tum quia juramentum sequitur naturam contractus, ex *c. Quemadmodum 25. de Jurejurando*, ubi dicitur, quòd qui juravit se cum muliere contracturum, propter supervenientem fornicationem, vel deformitatem repellere potest; si ergo sponsalia nuda non obligant ad Matrimonium contrahendum ante ingressum in Religionem, nec etiam obligant jurata. Rectè autem respondent præfati AA. ad textum oppositum, quòd ibi, cum Sponsus non erat certo determinatus ad ingrediendum, sed tantum aspirabat, ut ibi exprimitur, ideo Pontifex, ne ille fieret reus perjurii non ingrediendo Religionem, nec celebrando Matrimonium tempore statuto, dixit tutius ei esse nuptias contrahere, et deinde si voluerit Religionem intrare; unde si sponsus antequam terminasset tempus præfixum, Reli-



gionem ingressus esset, vel deliberatè statuisset ingredi, utique non tenebatur, imò nec poterat Matrimonium sine gravi culpa inire, ut bene advertunt *Sanch. l. 7. Spor. l. c. Pont. l. 12. c. 2. n. 2. cum Sot. et Bon. p. 5. n. 11. cum Sylo. Con. Gutt. et Rodr. contra Cajet. et Led.* quia gravem injuriam irrogasset Sponsæ, eam cogendo per annum suam professionem expectare. Dixi, per se loquendo, nam rectè addunt *Bon. Spor. et Holzm. ll. cc. ad Pont. d. c. 10. n. 13. cum Suar.* quòd teneretur Sponsus ante ingressum nuptias celebrare, si hoc necessarium esset ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsæ providendum, si alio modo non posset occurrì. Et hoc casu nec etiã permittitur sponso post celebrationem Matrimonii ingredi Religionem, illudque non consummatum relinquere; nequit enim tunc deserere Uxorem, quæ propter infamiam non posset alias Nuptias invenire, ut rectè notavit *Busemb. t. 1. l. 4. n. 65. v. Unde*

871. — II. Per *Susceptionem Ordinum Sacrorum* certum est etiã dissolvi sponsalia, non autem Matrimonium ratum; ita omnes cum *Sanch. l. 1. Dist. 47. n. 1. Pont. l. 1. c. 11. n. 2. Conc. p. 270. n. 6.* et aliis passim: et patet ex *Extrao. Antiquo de Voto*, ubi dicitur: « Licet votum solemnizatum per sacri » susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium, sit efficax reputandum, etc. » Sed dubitatur 1. utrum peccet qui Ordines sacros suscipit, inscia vel invita Sponsa? *Prima* sententia affirmat peccare graviter, et hanc tenent *Sanch. l. c. n. 3. Pal. p. 19. n. 2. Ronc. p. 137. q. 5. R. 2. et Croix l. 6. p. 3. n. 200. cum Con. et Perez.* Ratio, quia nullo jure concessum est Ordini sacro sponsalia dirimere, sicut est datum statui Religioso, imò ipsum jus prohibet ordinari in præjudicium alterius, habetur ex *c. un. de Oblig. ad ratioc. non ordin.* *Secunda* verò sententia non minus probabilis negat, eamque tenent *Pont. l. 12. c. 11. n. 3. Nav. c. 22. n. 25. Con. d. 260. n. 6. Bon. p. 5. n. 20. cum Gutt. et Cord. Salm. cap. 2. n. 26. cum Aversa, Diana, et Henr. ac Escob. n. 237. cum Soto, Sylo. et Vega.* Ratio, quia in promissione sponsalium inhibita semper est conditio, nisi melior status eligatur; æquum enim non est, ut ad serviendum creaturæ impediatur status Creatori se dicandi. Nec obstat textus oppositus, nam ibi non tam consideratur præjudicium tertii, quam infamia Ecclesiæ, ut ibidem exprimitur, præterquam quòd, in nostro casu nulli infertur præjudicium, cum Sponsus utatur jure suo. Idque videtur confirmari ex eadem *Extrao.* supra citata, ubi tantum prohibetur suscipere Ordines sacros post Matrimonium contractum, non autem post sponsalia.

872. — Dubit. 2. utrum per susceptionem Ordinum Minorum dissolvantur sponsalia? *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Ronc. p. 138. q. 5. R. 1. Spor. n. 256. cum Tanner et Gob.* tum quia talis est mutatio sponsi, dum Minoribus initiatur, ut merito judicetur noluisse Sponsa se obligare ad nuptias cum eo contrahendas; tum quia censetur sponsus cedere juri suo, cum

suscipiat statum qui ordinatur ad Ordines Majores impossibiles cum Matrimonio. *Secunda* tamen sententia communior et verior negat, et hanc tenent *Sanch. l. 1. Dist. 47. n. 3. cum Palud. Wig. tr. 16. n. 29. Pont. l. 12. c. 11. n. 1. Salm. c. 2. nu. 25. et Escob. nu. 234.* Ratio, quia revera status Ordinum Minorum per se non est impossibilis cum Matrimonio, cum quis bene possit fieri Clericus conjugatus, ut patet ex *c. 1. et de Cler. conjug.*

875. — III. Quoad *Votum* ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel Castitatis servandæ, certum est 1. quòd vovens ingredi Religionem, licitè voveat, et debeat ingredi, nec teneatur stare sponsalibus, si verè vult fieri Religiosus; nam si egreditur, tenetur, ut diximus supra n. 870. Certum est 2. cum *Sanch. l. 1. D. 46. n. 5. et D. 47. n. 4. Pont. l. 12. c. 12. n. 4. Ronc. p. 138. q. 5. R. 3. 4 et 5. Viva q. 2. art. 4. nu. 8. Salm. c. 2. n. 29 et 31,* ac aliis passim, quòd per hujusmodi tria vota solvantur sponsalia ex parte non voventis, cum meritò judicetur per ipsa vovens sponsalibus renunciare. Certum est 3. quòd si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiã profitendi Religionem, tunc sponsalia ex parte utriusque dissolvantur; quia vovens tunc fit omnino inhabilis ad Matrimonium contrahendum, ut rectè dicunt *Salm. d. n. 29. et Viva d. a. 4. in fine. Sed*

Dubit. 1. an per votum servandæ Castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros solvantur sponsalia etiã ex parte voventis? Si votum antecedit sponsalia, certum est ipsa esse irrita, quia ipsorum promissio, cum sit de re illicita, non obligat; dubium igitur est, si subsequatur. *Prima* sententia negat, et hanc tenent *Nav. c. 22. n. 27. Laym. c. 2. n. 6. Pal. p. 20. n. 6. Cabass. t. 1. l. 3. c. 17. n. 20. Ronc. p. 138. q. 5. R. 4 et 5. Holzm. n. 236. Spor. n. 258. Viva q. 2. a. 4. n. 8. et Sanch. l. 1. D. 46. n. 9. et D. 47. n. 3. cum S. Anton. Arm. Sylo. Cord. etc. item Tol. Con. Hurt. Fill. Bec. Reb. etc. ap. Escob. n. 232 et 235.* Ratio, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, et ab eo acceptatæ, nec ullo jure habetur, quòd sponsalia per hæc vota dirimantur. Neque obstat aint textum in *c. Veniens. Qui Clerici vel Vov.* ubi casus fuit, quòd quædam mulier sponsalia contraxerit cum certo, cujus sævitia ( ut narrabatur ) postea deterrita, votum emisit castitatis; quo audito, vir Matrimonium cum alia inivit. Consultus autem *Alex. III* respondit: « Mandamus, quatenus » ( mulier quæ licentiam nubendi petierat ) si plus non processit, » sibi de fide mentita, et voto violato congruam satisfactionem » indices, et ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuere » non postponas. » Hunc textum Doctores utriusque sententiæ pro se adducunt, sed revera ille pro neutra parte concludit. Auctores secundæ sententiæ, quos mox recensebimus ex verbis illis, *de voto violato... et licentiam tribuere, etc.* inferunt prædictum votum validum fuisse, et proinde dispensatione indiguisse; ergo, ut dicunt, per simplex votum castitatis, cum sit

validum, jam sponsalia dirimuntur. Sed huic rectè respondent *Pal. Laym. et Holzm. cum Glossa ib. verb. Vota violata*, quòd hoc nihil aliud probet, nisi quòd votum satis esset validum respectu ad nuptias cum alio contrahendas, quas mulier intentabat; et ideo Pontifex ipsam declaravit ream de voto violato; sed minimè probat validum fuisse respectu ad virum, quocum priùs sponsalia contraxerat.

*Secunda* verò sententia affirmat, et hanc tenent *Pontius l. 12. c. 11. n. 3. et c. 12. n. 4. Petrocor. t. 4. p. 280. v. Instabit. Suar. l. 2. de Voto c. 4. n. 15. Conc. p. 270. n. 7 et 9. cum Gonet et Led. Azor. l. 11. c. 21. qu. 10. cum Rirh. Ang. et Major. Escob. n. 233 et 237. cum Vasq. Diana et Bon. p. 5. num. 13. cum Sot. Nald. Gutt. Henr. et Rodr. item Cajet. Turr. Præpos. Lop. Veracr. Manuel. etc. ap. Sanch. l. 1. D. 46. n. 7, qui vocat probabilissimam, et communiter probabilem vocant et tutam Salm. cap. 2. n. 33. Pal. p. 20. n. 3 et 6. Cabas. l. c. et Laym. n. 7. Eamque absolutè docet D. Th. suppl. qu. 53. art. 1. ad I. : Propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda. Ratio S. Doctoris est, quia ubi duæ concurrunt obligationes, potior est præferenda. Ratio alia, quam communiùs tradunt, est quia promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione, nisi melior status eligatur. Idque valere dicunt etiamsi sponsalia fuerint jurata, quia ( ut pluries supra dictum est ) juramentum sequitur naturam contractùs. Et adest etiam de hoc *Decisio S. C. Conc. ap. Pitton. de Matr. n. 2513. edita 5 Martii an. 1701, ubi dictum fuit votum castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines, per electionem melioris statùs irritare sponsalia etiam juramento firmata. Nec officere aiunt præfatum textum in cap. Veniens, ubi dicitur de fide mentita, ex quo Adversarii arguunt illicitè mulierem vovisse castitatem per sponsalia contracta; nam probabiliter respondet Pont. loc. cit. num. 5. Papam sic dixisse, quia agebatur de foro externo; cum enim votum fuisset secretum, et sponsalia publica, de his quidem constabat, non autem de voto; unde de foro externo meritò censendum erat fidem fuisse violatam. Item respondent Petrocor. et Concina, et fortè meliùs, quòd ideo Pontifex sceminam ream dixerit de fide mentita, non quia voverat in præjudicium sponsalium, sed quia in fraudem ipsorum, nempe ut sponsam eluderet, et deinde nuberet alteri per dispensationem voti, quam jam petebat. Utraque sententia est probabilis. Rectè autem inquit *Concina num. 10*, quòd si Sponsus votum ederet, ut sponsam eluderet, scil. petendo dispensationem post votum, ut alteri nuberet, tunc graviter peccaret, et priora sponsalia deberet implere. Item probabilius dicunt *Salm. d. n. 33. cum Reb. et Aversa*, quòd etiamsi sine animo eludendi sponsus voverit castitatem, si postea obtineat dispensationem voti, non poterit aliam ducere, quia prior obligatio non omnino extinguitur, sed tantùm suspenditur, donec castitas servatur. Sed non omnino improbabiler *Bon. n. 16. et Sanch. D. 56. n. 8. id negant, quia per votum priora sponsalia omnino solvantur: unde, cum***

obligatio illa omnino sit extincta, per dispensationem voti non reviviscit; et huic consentit etiam *Conc. l. c. quamvis addat teneri de honestate Sponsum ducere desponsatam, ut scandala et murmura vitentur.*

874. — Dubit. 2. ad quid teneatur vir qui vovit Religionem, Ordines, vel Castitatem, et postea mulierem cognovit sub promissione Matrimonii? Vide dicta *Tom. 2. l. 3. n. 649. ubi tenuimus cum Less. Sanch. Lugo, Vasq. Con. etc.* ( contra *Laym. Salm. etc.* ) quòd si mulier fuerit inscia voti, non obstante voto, ille tenetur ad Matrimonium, sive ejus promissio fuerit vera, sive ficta; et etiamsi mulier fuerit conscia voti, probabiliter tenetur petere dispensationem. Utrum autem casu quo mulier fuerit inscia voti, possit Sponsus eam ducere sine dispensatione? Negant *Salm. de Rest. c. 3. n. 3. Lugo de Just. Dist. 12. n. 41. et Pont. l. 6. c. 12. n. 8*, quia, cum de facili possit, tenetur utrique obligationi satisfacere. Sed negant *Tamb. Dic. l. 5. n. 36. et Spor. de Matr. cap. 3. n. 601; item Less. Trull. et Candido apud Salm. l. c. quia tunc cessat, sive omnino suspenditur obligatio voti, cum revera non possit tunc utrique obligationi satisfieri, et prævaleat ( ut diximus ) obligatio Matrimonii ineundi. Contracto tamen Matrimonio, eo casu non poterit vir petere debitum; et ideo rectè subdit *Tamb. cum Less. adeoque dispensationem obtinendam esse, ut etiam petere valeat.**

875. — « X. Per Matrimonium validum sponsalia dissolvuntur, » saltem quoad eum qui non contraxit matrimonium; quoad eum » verò qui contraxit, non extingui obligationem, si alter expectet, » sed suspendi, et matrimonio isto soluto, teneri ad implenda » sponsalia priora, docet *Pont. contra Sanch. qui vult omnino » dissolvi. Vide Dian. p. 3. t. 4. R. 209. »*

Quæritur, an per Matrimonium subsequens omnino dissolvantur sponsalia antecedentia? Certum est quòd, durante Matrimonio post sponsalia cum alia contracto, cessat illorum obligatio, ex c. *Si inter, de spons. et c. 1. de spons. duor.* Dubium est an, illo soluto per mortem conjugis, urgeat obligatio priorum sponsalium? *Prima* sententia negat et hanc tenent *Bon. p. 2. n. 1. Laym. c. 2. in fine, Wigandt tr. 16. n. 25. Conc. p. 272. n. 13. ( qui huic inclinat ) Escob. n. 241. cum Bec. Fill. Henr. Rodr. Vill. Machad. ac Sanch. l. 1. D. 48. n. 3. cum Palud. Manuel. Gabr. etc. cum S. Bonao, qui sic ait: « Jurantem sponsalia, » aliudque ineuntem Matrimonium amplius non obligari. » Ratio quia obligatio semel extincta nunquam reviviscit ex c. *Quæris, de Consec. Dist. 4. Secunda* verò sententia mihi absolutè probabilior affirmat, et hanc tenent *Pont. l. 12. c. 13. n. 4. Ronc. p. 138. q. 6. R. 1. Pal. p. 21. n. 4. cum Conc. Led. Adriano etc. ac Salm. cap. 2. n. 39. qui, licèt contrariam probabilem vocent, hanc tamen veriorum putant cum Gonet, Sylvio, Leand. Vega et aliis. Ratio quia nullo jure probatur, quòd sponsalia per Matrimonium subsequens omnino irritentur: non jure positivo, quia nullibi hoc habetur: non naturali, quia obligatio sponsalium durante Matri-**

monio cum illa persona inito, utique pro illo tunc non obstringit, et ideo suspenditur quidem, sed non extinguitur, prout patet in eo qui post votum Religionis Matrimonium consummaret, hic enim mortuo conjugē teneretur quidem votum adimplere. Nec valet dicere cum *Sanch.* quòd hoc procedat quando vinculum superveniens sit diversæ rationis, non verò si vincula sint ejusdem, ut sunt Matrimonium et sponsalia; nam respondetur, nihil referre quòd obligatio subsequens sit ejusdem vel diversæ rationis, semper ac possit primæ obligationi satisfieri; tantummodo attendenda est conditio vinculi subsequentis: si illud est perpetuum, utique extinguitur prima obligatio; si verò est temporale, illa suspenditur donec impleri possit vinculo cessante, prout si quis venderet equum uni, et deinde venderet et traderet illum alteri, casu quo rediret equus in dominium ipsius, certè tenetur eum tradere primo emptori, ut colligitur ex *L. 15. Cod. de Rei vend.*

876. — « XI. Si Sponso nova superveniat hæreditas, ita ut illi » Sponsa jam sit inæqualis, non habet ideo jus resiliendi; quia » non est deceptus in conditione Sponsæ, in qua nulla facta est » mutatio. Idem est de sponsa, si ipsi hæreditas nova superveniat; » *Sanch. Con. Regin. Dian. p. 3. t. 4. R. 286.* »

Ita cum *Busemb.* sentiunt communissimè *Pal. p. 28. n. 5. Sanch. l. 1. D. 59. n. 7. Conc. p. 276. n. 23. Ronc. p. 139. q. 8. v. Aliqui, et Escob. n. 306. cum Gutt.* Sed contradicunt *Hurt. Trull. Leand. et Ochagao. apud eumd. Escob. n. 304.* ( qui probabile putat ) eò quòd in tali casu jam accedit notabilis rerum mutatio. Juxta autem primam sententiam dicit *Croix n. 160.* quòd si quis contraxerit sponsalia cum una, et postea offeratur ei conjugium cum altera ditiore, non poterit primam relinquere, quia tunc nulla in ea facta est mutatio. Sed si qualitas secundæ Sponsæ esset excedenter melior, ego non auderem Sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet; licet enim in hoc casu non mutetur status Sponsæ, sive sponsalium, tamen ( ut communiter dicunt DD. ) sponsalia non obligant nisi rebus in eodem statu manentibus; unde sicut non teneretur Sponsus illa exequi cum magno suo damno, ita nec teneri, alicui videri posset, cum amissione magni lucri; talis enim amissio gravi damno æquiparatur ex *L. un. C. de Sent. quæ pro eo etc. juxta dict. Tom. 2. l. 3. n. 301.* Et sic invenio, in *Vita S. Joannis à Capistrano c. 9.* sensisse plures Theologos in hujusmodi casu, quamvis ipse *S. Joannes* contrariæ fuerit sententiæ, à qua revera abscedere nec unquam ego consulere auderem.

877. — Quæritur pro complemento hujus puncti, an dissensus Parentum sit causa solvendi sponsalia? Afirmant *Menochius apud Croix n. 101.* Et sic etiam sentire debent omnes illi qui dicunt, *Trident. sess. 24. c. 1.* jam declarasse quòd hujusmodi Matrimonia sine consensu Parentum celebrata, ab Ecclesia sint prohibita; ita enim dicunt *Petrocor. t. 4. p. 413. Ronc. p. 269. q. 3.* atque *Fagnan. Gonet, Sayr. et Marchant. apud Episc. Muscettula in sua Dissert. de filiis, etc. pag. 10. n. 11.* qui proinde ex præ-

fato textu ( *p. 224. n. 330. ibid.* ) infert dissensum Parentum esse verum impedimentum impediens Matrimonium. Sed communiter id negant ipse *Croix loc. cit. cum Gab. Sanch. l. c. D. 14. n. 2. Laym. c. 1. n. 14. Holzm. p. 167 et 287.* cum communi, ut testatur *Elbel. p. 368. n. 9.* etiam cum communi, *Spor. n. 202. et Boss. c. 11. n. 106.* Hi dicunt, quòd sponsalia filiorum ex hoc solo capite, quòd sint inita sine consensu Parentum, nequeant irritari, quia eorum consensus non de necessitate, sed tantum de honestate à Jure Canonico requiritur. Excipiunt tamen, nisi magnum scandalum ex tali Matrimonio timeatur, eò quòd virtus justitiæ non possit obligare ad actum qui sine peccato impleri nequit; ita *Laym. l. c. v. Enim verò, Nav. c. 16. n. 18. Holzm. n. 167 et 266. ac Sanch. l. c. n. 3. cum Cord. Gutt. et Lop.* Et hoc addit *Sanch. ib. cum Lop.* valere, etiamsi nulla sit disparitas inter contrahentes. Advertunt tamen ipsi *Sanch. et Holzm.* cautè considerandum esse hoc scandalum; sæpe enim ( ut dicunt ) minæ, et discordiarum pericula jactantur, quæ postea, teste experientia, ubi nuptiæ contractæ sunt, facile cessant, et animi conciliantur. Sed redeundo ad quæsitum, ego censeo dicendum cum *Ronc. p. 140. q. 9. R. 1.* qui citat *Laym. et Gutt.* quòd si pater injustè dissentiat à tali Matrimonio, filius non possit à sponsalibus recedere, et tam ipse quam pater peccarent, si vellent ea dissolvere. Secus verò, si pater justè contradicat, nempe si Matrimonium vergeret in dedecus Familiæ; tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exequendam rem injustam. Et idem dicunt *Laym. et Sanch. l. c.* cum aliis communiter, si ex tali Matrimonio magna scandala sint oritura inter propinquos. Posse etiam ( addit *Ronc. R. 2.* ) filium solvere sponsalia, si pater justè minetur exhæredationem; et ego subdo etiam si injustè, quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi ( ut diximus *n. 863.* ) sub hac conditione, si non accedat talis mutatio, unde grave sit contrahere Matrimonium. Excipe, nisi hæc exhæredatio jam fuerit prævisa, quia tunc contrahens merito censetur juri suo cessisse.

878. — « Resp. 2. In supradictis causis, quando manifestæ » sunt, non requiritur auctoritas Judicis ad dissolvenda sponsalia, » alioqui requiritur. Quòd si sponsus, cognito suo jure resiliendi, » nihilominus carnaliter cognoverit sponsam, censetur tacitè » suo juri renunciassse, et sponsalia ratificasse, *Laym. c. 1. » n. 23.* »

Dub. 1. An ad sponsalia solvenda semper requiratur auctoritas Judicis? Resp. Certum est 1. quòd si sponsalia sint publica, et causa publica ac certa, non requiritur auctoritas Judicis, et idem dicendum, si sponsalia sint occulta, et causa occulta; ita *Sanch. l. 1. D. 69. n. 3. Pont. l. 12. c. 18. in fin. Nav. c. 22. n. 28. Holzm. n. 277. et Pal. p. 31. n. 1. cum Sylo. Val. Gutt. et Reb.* Certum est 2. quòd si causa sit dubia jure, vel facto, omnino requiritur auctoritas Judicis; *Sanch. n. 8. Holz. et Palud. cum Gutt. l. c.* Quando autem sponsalia sunt publica, et

causa occulta, tunc etiam requiritur auctoritas Judicis; sed non sub culpa gravi, nisi inde grave scandalum lineatur; Pontius c. 18. n. 8. Holzm. l. c. Pal. n. 2. cum Nav. Lop. et Gutt. ac Sanch. n. 6. cum Sylo. An. et Vega. Si verò causa illa non possit coram Judice probari, nec etiam sub levi auctoritas Judicis exigitur, ut ait Sanch. n. 7. cum Palud. et Henr. Casu autem quo defectus alterius partis jam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens alteram commonere, et minari quòd manifestabit defectum, et si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licitè poterit defectum ad judicium deferre. (V. Not. VII, pag. 364.) ut aiunt Laym. c. 2. n. 12. Pont. n. 8. Sanch. l. 1. D. 70. n. 2. et Pal. n. 4. Con. et Reb.

Dubit. 2. quænam probatio requiratur ad solvenda sponsalia? Distinguendum; Si agitur de probando impedimento, sive dirimente sive impediendo, tam in foro interno quàm externo, sufficit unus testis juratus, ex c. Super eod. de Test. et Attest. etiamsi testis ille sit criminosus, et non citatus, sed à parte productus; et etiamsi clam deponat, et sine manifestatione sui nominis: Ita Sanchez l. 1. D. 71. n. 2. 3 et 4. Holzm. n. 277. Viva q. 2. ar. 9. n. 1. Croix n. 215 et 217. Pal. p. 32. n. 3. cum Gutt. et Salm. c. 2. num. 110. cum Aversa, et Coninc. Et hoc, etiamsi sponsalia fuerint jurata, ut verius tenent Sanch. n. 8. Salm. n. 111. cum Coe. Gutt. Trull. Aversa et Gabr. ac Pal. n. 6. (contra Palud. et Lop. ib. n. 5.) quia testis oculatus, et juratus, magis probat quàm fama, quæ certè sufficit ad solvenda sponsalia etiam jurata; vide dicenda n. 997. Dub. 2.

Si verò agitur de probanda alia causa, quæ non sit impedimentum, sed tantum quæ det alteri jus resiliendi, ut deformitas, fornicatio sponsæ, etc. quoad forum externum requiruntur saltem duo testes fide digni, deponentes sub juramento, ut alii dicunt et communis, prout Sanch. n. 7. Pal. n. 8. Laym. c. 2. n. 12. et Salm. n. 114. cum Con. Gutt. Trull. et Gabr. Quia (ut aiunt) in c. Veniens, et c. In omni, de Testib. dicitur duos testes requiri, ubi agitur de præjudicio tertii. Verùm sufficere unum testem fide dignum dicunt Palud. et Aversa, apud Salm. n. 115. (qui cum Trull. horum sententiam probabilem putant), quia durum est compellere virum ad ducendam Sponsam, quam ab aliquo fide digno audit, et prudenter jam suspicari potest fuisse fornicatam. Et revera hæc sententia satis probabilis mihi videtur, loquendo de fornicatione Sponsæ, cum agatur de vinculo perpetuo matrimonii, et ideo ob talem suspicionem viri prudenter judex timere potest infelicem exitum ex hoc conjugio proventurum. Et huic sententiæ reipsa expressè consentiunt ipsi Laymann et Pall. ll. cc. dum aiunt, quòd, stante probabili timore infelicis exitus, licitè potest vir à sponsalibus recedere. Quoad forum autem internum, conveniunt DD. cum Sanch. l. 1. D. 73. num. 2. Pal. n. 8. Croix n. 215. cum Gobat. et Salm. num. 108. cum Con. Aversa, et Dic. sufficere ad solvenda sponsalia unum testem fide dignum, minimè de mendacio suspectum,

et testantem de certa scientia; vel etiam opinionem probabilem de causa sufficienti ad solutionem, ut idem Sanch. lib. 1. D. 69. n. 9. Croix n. 217. et Viva, q. 2. a. 9. n. 1. Hinc subdunt Viva, et Sanch. cum Lopez ibid. quòd si vir doctus affirmet causam esse sufficientem, licitè poterit pars innocens resilire.

## CAPUT II.

## DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

## DUBIUM I.

Quid sit, quæ ejus materia, forma, et minister.

879. Quid sit Matrimonium? Et in quo consistat ejus essentia? — 880. Quæ sit Materia Sacramenti Matrimonii? — 881. Ob quem finem liceat nubere? — 882. Distinguuntur tres fines. Dub. 1. An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiæ? — 883. Dub. 2. An ob fines extrinsecos? — 884. Quomodo peccent contrahentes in mortali? — 885. Quæ requirantur ad contrahendum Matrimonium per Procuratorem? — 886. Quid, si qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam Matrimonium contrahatur, mandatum ratificaverit? — 887. Qualis consensus sufficiat ad contrahendum? Quid, si quis ficte contrahit? An verba sint necessaria ad valorem? — 888. An sint necessaria de præcepto? — 889. An sufficiat ad contrahendum donatio annuli, vel traditio Sponsæ? — 890. An sufficiat consensus conditionatus? — 891. Quid, si conditio sit necessaria, aut turpis aut contra substantiam Matrimonii? — 892. Quid, si apponatur conditio, si pater consenserit? Dub. 1. Quid, si pater taceat? — 893. Dub. 2. Quid, si pater primò dissentit, et postea consentit? — 894. Dub. 3. Quid, si tempore conditionis pater erat mortuus? — 895. An impleta conditione requiratur novus consensus? — 896. In quo differat conditio à Demstratione, Causa, Modo, et Die. — 897. DISSERTATIO de Ministro, et Forma Matrimonii. — 898. Solvuntur objectiones. — 899. Illationes ex nostra sententia.

879. — « RESPOND. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir et mulier sibi mutuò legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, et remedium concupiscentiæ. Materia ex qua, et proxima, est mutuus consensus externis signis expressus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem acceptationis. Suar. tr. 3. d. 2. s. 1. a. 1. Sanch. Vasq. Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam et formam. Porro Matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis; consummatum verò dicitur quando ea secuta est. »

Matrimonium dicitur à *Matris munere*, ut ait D. Thom. sive ut *Mater fiat*, ut D. August. Ante Christi adventum Matrimo-

causa occulta, tunc etiam requiritur auctoritas Judicis; sed non sub culpa gravi, nisi inde grave scandalum lineatur; Pontius c. 18. n. 8. Holzm. l. c. Pal. n. 2. cum Nav. Lop. et Gutt. ac Sanch. n. 6. cum Sylo. An. et Vega. Si verò causa illa non possit coram Judice probari, nec etiam sub levi auctoritas Judicis exigitur, ut ait Sanch. n. 7. cum Palud. et Henr. Casu autem quo defectus alterius partis jam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens alteram commonere, et minari quòd manifestabit defectum, et si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licitè poterit defectum ad judicium deferre. (V. Not. VII. pag. 364.) ut aiunt Laym. c. 2. n. 12. Pont. n. 8. Sanch. l. 1. D. 70. n. 2. et Pal. n. 4. Con. et Reb.

Dubit. 2. quænam probatio requiratur ad solvenda sponsalia? Distinguendum; Si agitur de probando impedimento, sive dirimente sive impediendo, tam in foro interno quàm externo, sufficit unus testis juratus, ex c. Super eod. de Test. et Attest. etiamsi testis ille sit criminosus, et non citatus, sed à parte productus; et etiamsi clam deponat, et sine manifestatione sui nominis: Ita Sanchez l. 1. D. 71. n. 2. 3 et 4. Holzm. n. 277. Viva q. 2. ar. 9. n. 1. Croix n. 215 et 217. Pal. p. 32. n. 3. cum Gutt. et Salm. c. 2. num. 110. cum Aversa, et Coninc. Et hoc, etiamsi sponsalia fuerint jurata, ut verius tenent Sanch. n. 8. Salm. n. 111. cum Coe. Gutt. Trull. Aversa et Gabr. ac Pal. n. 6. (contra Palud. et Lop. ib. n. 5.) quia testis oculatus, et juratus, magis probat quàm fama, quæ certè sufficit ad solvenda sponsalia etiam jurata; vide dicenda n. 997. Dub. 2.

Si verò agitur de probanda alia causa, quæ non sit impedimentum, sed tantum quæ det alteri jus resiliendi, ut deformitas, fornicatio sponsæ, etc. quoad forum externum requiruntur saltem duo testes fide digni, deponentes sub juramento, ut alii dicunt et communis, prout Sanch. n. 7. Pal. n. 8. Laym. c. 2. n. 12. et Salm. n. 114. cum Con. Gutt. Trull. et Gabr. Quia (ut aiunt) in c. Veniens, et c. In omni, de Testib. dicitur duos testes requiri, ubi agitur de præjudicio tertii. Verùm sufficere unum testem fide dignum dicunt Palud. et Aversa, apud Salm. n. 115. (qui cum Trull. horum sententiam probabilem putant), quia durum est compellere virum ad ducendam Sponsam, quam ab aliquo fide digno audit, et prudenter jam suspicari potest fuisse fornicatam. Et revera hæc sententia satis probabilis mihi videtur, loquendo de fornicatione Sponsæ, cum agatur de vinculo perpetuo matrimonii, et ideo ob talem suspicionem viri prudenter judex timere potest infelicem exitum ex hoc conjugio proventurum. Et huic sententiæ reipsa expressè consentiunt ipsi Laymann et Pall. ll. cc. dum aiunt, quòd, stante probabili timore infelicis exitus, licitè potest vir à sponsalibus recedere. Quoad forum autem internum, conveniunt DD. cum Sanch. l. 1. D. 73. num. 2. Pal. n. 8. Croix n. 215. cum Gobat. et Salm. num. 108. cum Con. Aversa, et Dic. sufficere ad solvenda sponsalia unum testem fide dignum, minimè de mendacio suspectum,

et testantem de certa scientia; vel etiam opinionem probabilem de causa sufficienti ad solutionem, ut idem Sanch. lib. 1. D. 69. n. 9. Croix n. 217. et Viva, q. 2. a. 9. n. 1. Hinc subdunt Viva, et Sanch. cum Lopez ibid. quòd si vir doctus affirmet causam esse sufficientem, licitè poterit pars innocens resilire.

## CAPUT II.

## DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

## DUBIUM I.

Quid sit, quæ ejus materia, forma, et minister.

879. Quid sit Matrimonium? Et in quo consistat ejus essentia? — 880. Quæ sit Materia Sacramenti Matrimonii? — 881. Ob quem finem liceat nubere? — 882. Distinguuntur tres fines. Dub. 1. An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiæ? — 885. Dub. 2. An ob fines extrinsecos? — 884. Quomodo peccent contrahentes in mortali? — 885. Quæ requirantur ad contrahendum Matrimonium per Procuratorem? — 886. Quid, si qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam Matrimonium contrahatur, mandatum ratificaverit? — 887. Qualis consensus sufficiat ad contrahendum? Quid, si quis ficte contrahit? An verba sint necessaria ad valorem? — 888. An sint necessaria de præcepto? — 889. An sufficiat ad contrahendum donatio annuli, vel traditio Sponsæ? — 890. An sufficiat consensus conditionatus? — 891. Quid, si conditio sit necessaria, aut turpis aut contra substantiam Matrimonii? — 892. Quid, si apponatur conditio, si pater consenserit? Dub. 1. Quid, si pater taceat? — 893. Dub. 2. Quid, si pater primò dissentit, et postea consentit? — 894. Dub. 3. Quid, si tempore conditionis pater erat mortuus? — 895. An impleta conditione requiratur novus consensus? — 896. In quo differat conditio à Demstratione, Causa, Modo, et Die. — 897. DISSERTATIO de Ministro, et Forma Matrimonii. — 898. Solvuntur objectiones. — 899. Illationes ex nostra sententia.

879. — « RESPOND. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir et mulier sibi mutuò legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, et remedium concupiscentiæ. Materia ex qua, et proxima, est mutuus consensus externis signis expressus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem acceptationis. Suar. tr. 3. d. 2. s. 1. a. 1. Sanch. Vasq. Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam et formam. Porro Matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis; consummatum verò dicitur quando ea secuta est. »

Matrimonium dicitur à *Matris munere*, ut ait D. Thom. sive ut *Mater fiat*, ut D. August. Ante Christi adventum Matrimo-

nium tantum habebat vim contractus, sed à Christo fuit postea euectum ad rationem Sacramenti. De fide autem est Matrimonium esse Sacramentum, ut definiuit Tridentinum *sess. 24. c. 1.* ex illo Apostoli (*Ad Eph. 5.*): *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Unde Matrimonium, ut Sacramentum, significat conjunctionem spirituales inter Christum et Ecclesiam.

In Matrimonio, ut habente rationem tam contractus, quam Sacramenti, tria considerantur, nempe ratio contractus, vinculum perpetuum animorum cum obligatione reddendi debitum, et copula carnalis. Hoc verò tertium, licet alia duo ad ipsum ordinem dicunt, tamen non est essentialis pars Matrimonii, nam sine copula Matrimonium bene consistere potest. Essentia igitur Matrimonii in ratione Sacramenti consistit in contractu inuito per mutuum consensum, quia Sacramentum, cum contractus perficitur, tum gratiam producit. In ratione verò Matrimonii proprie dicti, ejus essentia consistit in vinculo conjugali, quod nunquam per se solvi potest.

380. — Quæritur, quæ sit Materia, et Forma, et qui Minister Sacramenti Matrimonii? Communis est sententia, Ministros hujus Sacramenti esse ipsos contrahentes, et Formam ipsorum verba consensum exprimentia, ut probabimus in brevi Dissertatione, quam afferemus in fine hujus Dubii ex *n. 897.* Quod verò ad Materiam, magis DD. discrepant: sex sententias enumerat *Sanch. de Matr. l. 2. c. 5. septem Pont. eod. tit. l. 1. c. 7.* Duæ tamen sunt plus receptæ. *Prima*, quam tenent *Busemb. ut supra, et Sanch. l. c. n. 6. Salm. tr. 9. c. 3. n. 63. Ronc. p. 143. q. 4. R. 1.* et alii plurimi apud ipsos, dicit: verba Sponsorum, quatenus exprimunt traditionem corporum, sunt Materia; quatenus verò exprimunt acceptionem, sunt Forma. *Secunda* autem sententia, cui magis adhæreo, et quam tradunt *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 2. §. ante Petroc. t. 4. p. 303. q. 2. Frassen. t. 12. p. 139. Concl. 1. Abelly, p. 200. q. 1. Holzm. t. 2. p. 321. n. 316. Laym. de Matr. c. 2. n. 3. cum Palud. et P. Soto, ac Pont. lib. 1. c. 7. cum S. Bonav. Gerson. Vasq. Adrian. Com. et aliis*, dicit Materiam remotam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius; Materiam proximam esse ipsam traditionem juris in corpora, factam per verba seu signa consensum exprimentia; Formam verò esse mutuum acceptionem verbis aut signis expressam. De Forma infra loquemur, ut diximus supra. Quòd autem Materia remota sint corpora contrahentium, et proxima sit ipsa mutua corporum traditio, sic probatur. Hoc Sacramentum juxta communem sententiam habet rationem contractus: sicut igitur in aliis contractibus res sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma, et traditio rei est materia proxima contractus, nempe applicatio formæ ad materiam remotam, ita in Matrimonio, corpora (sive jus in corpora), sunt materia remota: consensus expressus per verba, est forma: ipsa autem

traditio juris in corpora, est materia proxima, quæ fit per applicationem formæ ad materiam remotam, nempe ad jus quod transfertur. Contractus autem Matrimonii ad Sacramenti rationem elevatus id habet speciale, quòd ad hoc, ut transferatur dominium juris in corpora contrahentium, non requiritur realis traditio rei, ut exigitur in aliis contractibus, sed sufficit sola voluntas externè expressa, ut docent *S. Ambrosius de Instit. Virg. c. 6.* ubi: « Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed passio conjugalis. Et *S. Joannes Chrysost. Hom. 32. in Mathæum: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* »

Unde resolves:

881. — « 1. Valide, et licite contrahi potest cum pacto continentia, sine intentione proles, et remedii concupiscentia. Ratio est, quia non pugnat cum essentia Matrimonii. Et patet exemplo Beatæ Virginis et Sancti Josephi.

« 2. Non videtur licitum, contrahere tantum propter voluptatem carnis, vel vanitatem; quia finis debet esse saltem honestus. *Nav. c. 22. n. 79. Sanch. l. 2. d. 29. q. 3.*

« 3. Licite contrahitur in remedium concupiscentia, nihil aliunde intendendo, modò proles positivè non impediatur: hoc enim sub mortali non licet. *Con. d. 25. d. 2. n. 16. Pont. l. 1. c. 21. Hurt. Perez. d. 18. s. 7. n. 6. ex 1. Cor. 7.* Hinc etiam conjuges possunt abstinere ab usu conjugii, et optare, ne plures accipiant liberos quam possint alere, dummodo, ut dixi, positivè non impediunt, nec abortum procurant. *Perez l. c. Bon. q. 4. p. 1. n. 12. Nav. c. 16. etc.*

« 4. Licite etiam contrahitur ob fines honestos extrinsecos, fini intrinseco Sacramenti (qui est mutua animorum conjunctio et conjugum sanctificatio) non contrarios, v. g. ad pacem inter regna, vel illustres familias componendam, vel splendorem familiae conservandum. Ita contra *Sanch. et Sylo. docent Præp. Pont. Gasp. Hurt. Dian. p. 3. t. 4. R. 219. V. Per dist. 18. s. 6. n. 7.* ubi cum *Dian. l. c.* etiam permittit, ob divitias et nobilitatem.

« 5. Valide, sed illicite, contrahitur cum intentione negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, mœchandi, etc., nisi tamen talis intentio in pactum deducatur, id est, nisi adjiciatur tanquam conditio obligans ad aliquid contrarium essentia matrimonii. Unde invalide contrahit, qui vinculum matrimonii vult tantum durare per annum, vel reservat sibi potestatem adulterandi, vel non reddendi debitum debite exi-genti. *V. Perez s. 6. etc. ll. cc.* »

882. — Tres fines in Matrimonio considerari possunt, fines intrinseci essentialia, intrinseci accidentales, et fines accidentales extrinseci. Fines intrinseci essentialia sunt duo, traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile. Fines intrinseci accidentales pariter sunt duo, procreatio proles,

et remedium concupiscentiæ. Fines autem *accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax concilianda, voluptas captanda, etc. His positis, certum est 1. quod si quis contraheret, positivè excludendo fines intrinsecos substantiales Matrimonii, nempe animo non reddendi debitum, vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret Matrimonium; ita communiter omnes cum *D. Th. in 4. D. 31. q. 1. a. 3.* Certum est 2. quod si quis excluderet duos fines intrinsecos accidentales, non solum validè, sed etiam licitè posset quandoque contrahere, prout si esset senex, et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiæ; sufficit enim, ut salventur fines substantiales ut supra; et sic contraxerunt B. Virgo cum S. Joseph, qui utique non intenderunt procreationem prolis, nec remedium concupiscentiæ, et tamen validum quidem et licitum conjugium inierant, ex *Matth. c. 1. ubi: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Dubitatur 1. An venialiter peccet, qui nubit principaliter ob remedium concupiscentiæ? *Prima* sententia affirmat, et hanc tenet *S. Thom. Suppl. q. 49. a. 5. ad 2.* quem sequuntur *Nav. c. 22. n. 9. Natal. Alex. a. 3. reg. 3. Conc. t. 10. de Matr. p. 393. n. 5. Bossius c. 10. n. 263. cum Sylo. Henr. et Led. ac Sanch. l. 1. D. 29. n. 26.* Id probant ex auctoritate plurimorum SS. Patrum. Item probant ratione, quia, licet remedium concupiscentiæ sit etiam finis honestus Matrimonii, finis tamen primarius est procreatio prolis; unde contra rationis ordinem est, ut finis secundarius præ primario eligatur. *Secunda* verò sententia non minus communis, nec minus probabilis, negat ullo modo peccare, modo contrahens non excludat finem procreandæ prolis; ita tenent *Pal. p. 10. n. 3. Ronc. p. 144. q. 2. R. 2. Croix l. 6. p. 3. n. 236. Holz. n. 180. Boss. t. 2. c. 7. n. 43. Salm. c. 3. n. 28. cum Con. et Dic. Pont. l. 1. c. 21. n. 4. cum P. Soto, Gabr. Almain. Coe. etc.; item Cajet. Major, Durand. Ricch. Palac. Sa, Med. Philarch. Angles, Perez, Ugolin. etc. ap. Sanch. l. 9. D. 9. n. 3.* Et id quod dicunt de Sponsis, idem asserunt de Conjugibus, qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam sedandam. Ratio hujus sententiæ est, quia Matrimonium est a Deo institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiæ, ut probatur ex *Apost. 1. Cor. 7. ubi: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Huic tamen textui respondet *S. Th. l. cit.* sic dicens: « Si aliquis per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in Coniuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti...; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas; et secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est Matrimonium institutum nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus. » Sed venia tanti Doctoris (cujus sententiis universè obsequi in cæteris ego studui) magis propria videtur interpretatio S. Joannis Chrysostomi, cujus verba mox infra affe-

ram, et quem sunt secuti *Estius, Salmeron, et Cornelius*, nempe quod illud *propter fornicationem*, non intelligatur de vitanda fornicatione Conjugis, sed propria: Idque videtur patere ex contextu ejusdem Apostoli in dicto *c. 7.* ubi dicitur: « Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. » En quomodo Apostolus viris consilium præbet, ut abstineant à tactu mulierum; si verò ipsi in periculo sint incontinentiæ, ne incidant in fornicationem, remedium non solum permittit, sed suadet dicendo: *unusquisque suam uxorem habeat.* Et quamvis addat: « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: » Id tamen profert pro iis qui non sunt incontinentes, quibus tantum permittit nubere, sed suadet à nuptiis abstinere, dum ait: « Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. » Neque hæc indulgentia importat permissionem culpæ venialis, verius enim (ut ait *Pontius cum Estio, Salmerone, et Cornelio*) indulgere non est veniam dare ad leviter peccandum, sed permittere ut licitum. Cum autem D. Paulus sermonem revocat ad eos qui sunt in periculo incontinentiæ, non solum permittit, sed etiam ipsos ad nubendum absolute hortatur, dicens (*vers. 9.*): « Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri. » Tò enim nubant verius hortationem quam permissionem importat. Id bene confirmatur ab eo quod dicit Apostolus eodem loco (*1. Cor. 7. 5.*) ubi loquens de Conjugibus scribit: « Nolite fraudare invicem; nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanæ propter incontinentiam vestram. » Si licet ergo Conjugibus debitum petere, tantum ad vitandam incontinentiam, licebit etiam ob eundem finem Matrimonium inire. Hinc S. Joannes Chrysostomus explicans textum Apostoli, inquit unam ex causis, cur Deus instituerit Matrimonium, esse, ut vitetur incontinentia; en ejus verba: « Quæ igitur fuit causa conjugii? Et cur illud datum est divinitus? Audi Paulum dicentem: » Ad vitandas scortationes quisque suam uxorem habeat, etc. « Ut scortationem vitemus, ut moderemus concupiscentiam, contenti uxore propria, hoc nobis offert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum est, in hoc quærendæ nuptiæ, ut ad vitam pudicè degendam nos adjuvent. » Ita S. Doctor *Hom. 9. t. 6. col. 19.* Ad auctoritates SS. Patrum quæ opponuntur, respondet *Auctor. Petrocorens. t. 1. p. 142. v. Sed quia*, quod ideo Patres Conjuges damnant, quia eos libidinis impetum sequi supponunt. Ad rationem autem contrariæ sententiæ, nempe quod sit deordinatio eligere finem secundarium præ primario: Respondetur, quod deordinatio quidem esset, si ordinaretur finis primarius ad secundarium, sed non si ex duobus finibus licitis secundarius præ primario eligatur. Hujusmodi tamen fines intrinseci accidentales vel procreandæ prolis, vel vitandæ incontinentiæ, ut honesti sint, oportet ut referantur ad Deum, si non actualiter, saltem virtualiter et ha-

bitualiter, ut communiter tradunt *Sanch. l. 8. D. 9. n. 3. Pont. l. 10. c. 8. n. 2. et Boss. l. 2. c. 7. n. 17. cum Reg. Vill. Fill. etc. 883.* — Dubit 2. An sit licitum contrahere Matrimonium principaliter ob fines accidentales extrinsecos, nempe ob voluptatem captandam, pacem familiarum conciliandam, et similia? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Pont. l. 1. c. 21. n. 13. Pal. p. 10. n. 3. et Salm. c. 3. n. 30. cum Cajet. Con. et Gabr. ac probabilem putat Sporer n. 298. cum Tamb. modo non excludatur finis debitus intrinsecus ut supra. Ratio, quia semper ac finis debitus retinetur, non est illicitum nuptias ad fines indifferentes ordinare; tunc enim finis (v. g. voluptatis) non est principalis, sed tantum impellens ad contrahendum Matrimonium, quo jam cohonestatur voluptas. Secunda sententia negat, et hanc tenent *D. Th. in 4. D. 31. q. 2. art. 3. Sporer n. 297. Tamb. tr. 4. c. 2. §. 3. n. 11. Ronc. p. 144. q. 2. R. 2. in fine, et Sanch. l. 6. D. 11. n. 4.* citans S. August. et S. Anselm. Ratio, quia non potest esse immune ab aliqua deordinatione, velle ordinare rem sacram ad profanam, et Matrimonium contrahere ob fines alienos ab illis per quos nuptiæ sunt licitæ. Ego puto distinguendum: si finis sit per se honestus, nimirum pax populi, amor inter consanguineos, honoris familiæ conservatio, sanitatis tuendæ, et similia, tunc puto dicendum cum *Busemb. ut supra n. 4. Pont. l. c. Con. D. 25. dub. 1. n. 14. et Pal. d. n. 3.* (qui id habent ut certum, contra *Sanch.*) licitè Matrimonium contrahi, quia hæc non est deordinatio, ut mox supra diximus, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis præ fine primario, modo iste non excludatur. Secus verò, si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis, vel cupiditatis divitiarum, aut vani honoris, ut tenent *Busemb. n. 2. cum Nao. et Sanch. et Vasq. q. 3. art. 2. n. 4. cum communi.**

884. — « 6. Contrahentes, ut non peccent, debent esse in gratia, etiam tunc, quando per procuratorem contrahunt: quia verum Sacramentum suscipiunt, licet dormiant. Secus est de procuratore, per quem contrahunt, uti et de Sacerdote copulante: quia nec suscipit, nec administrat Sacramentum, sed tantum ut testis assistit. *Card. de Lug. de Sac. dub. 8. s. 9. n. 155.* \* (Ita *Salm. cap. 3. n. 89. cum Sanch. et communi.*) Peccaret autem mandans, si tunc esset in mortali, eodem modo ac si per se contraheret; *Ronc. p. 143. q. 6. et Bon. p. 5. n. 12. cum Reb. Con. Gutt. etc.* Et peccaret quidem duplici peccato sacrilegii: primò quia indignè susciperet Sacramentum: secundò, quia indignè ministraret, ut dicemus n. 897. et seq. Sed hoc ultimum probabiliter non est mortale juxta dicta *de Sac. in gen. n. 32. cum Sponsi non sint Ministri ad tale Sacramentum consecrati.* »

885. — Notandum hic, quòd, ut Procurator contrahat Matrimonium nomine alterius, plura requirantur; scil. I. Speciale mandatum; ad quod autem non requiritur scriptura, sed sufficit si detur ore tenus, ut dicunt *Sanch. l. 2. D. 11. n. 5 et 14. Salm. c. 3. n. 97. in fin. et Pal. part. 9. n. 2. cum Gutt. et Perez.* Nec

requiritur diversitas sexus, unde bene hoc officium gerere possunt duo mares, vel duæ feminae, ut *Sanch. n. 15. et Pal. ibid. cum Guttier. II.* Ut mandatum sit de contrahendo cum determinata persona; vide *Salm. l. c. III.* Ut Procurator per se contrahat; non potest enim ipse alium delegare, nisi habeat expressam et specialem à mandante licentiam. Et hæc tria habentur expressè in *c. final. de Procurat. in 6. IV.* Ut mandatum non sit revocatum (nec etiam mentaliter) à mandante, antequam Matrimonium celebretur; *Sanch. n. 6. Pal. n. 2. et Salm. n. 98. cum Pont. et Bon.* Et hoc currit, etiamsi revocatio fiat tacite, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum alia; *Sanch. n. 10. et Pal. d. n. 2. cum Coo. Con. et Gutt. V.* Ut Procurator ostendat mandatum Parocho et testibus, et coram eis contrahat Matrimonium, juxta formam Tridentini. Non requiritur autem, ut coram eisdem tradatur mandatum Procuratoris ex parte mandantis; *Sanch. n. 23. et Salm. n. 102. cum Pontio, Bon. etc. VI.* Ut procurator limites mandati non excedat. In hoc tamen advertendum, quòd si conditio sit requisita à mandante, scilicet ut contrahatur cum tali dote, tali tempore, etc., si non servatur conditio, Matrimonium erit nullum; *Sanch. n. 17. Ronc. p. 143. q. 6. et Con. D. 24. dub. 9. n. 67.* Si verò conditio sit requisita à jure, nempe ut contrahatur præmissis Denunciationibus, obtenta licentia Episcopi, etc., tunc validum erit Matrimonium sine ipsis initum, ut communiter dicunt *Bon. p. 5. n. 9. Sanch. n. 18. Nao. c. 27. n. 78. et Salm. n. 101. cum Pal. Trull. Reg. Diana, etc.* Quia Matrimonium sine illis per se est validum, quamvis illicitum: ergo sic etiam, cum celebratur per Procuratorem; talis enim forma apponitur ad ritè faciendum actum, sed non ut conditio, sine qua mandatum sit invalidum.

886. — Quæritur hic, an, si quis dederit mandatum sine animo contrahendi, sed ante celebrationem Matrimonii mandatum atficavit, tunc validè Matrimonium contrahatur? Negant *Pal. p. 9. n. 2. et Coninck. D. 24. dub. 9. n. 72,* quia mandatum illud, deficiente animo contrahendi, fuit nullum, et ideo non potuit solo consensu reconvalidari, sed oportet ut denuo consensu expresse constitutatur. Sed affirmant *Sanch. l. 2. D. 11. num. 13. Bonac. part. 5. n. 6. Ronc. p. 143. q. 6. et Salm. c. 3. n. 104. cum Trull.* Ratio, quia procurator ideo validè contrahit, in quantum suis verbis significat voluntatem non jam præteritam, sed præsentem mandantis; sufficit igitur, ut tempore quo contrahit, adsit voluntas mandantis, ut valeat actus. Hæc videtur probabilior, sed primam non censeo improbabilem. In talibus autem nuptiis Parochus interrogare debet procuratorem; *Vis in uxorem Luciam nomine NN?* Et femina: *Vis in maritum Franciscum, mediante presenti suo?* Vide *Salm. n. 107.* Matrimonium autem per epistolam contrahitur, quando unus, v. gr. Sponsus scribit ad Sponsam, se illi tradere in maritum, et ex tunc eam acceptare in uxorem; et Sponsa idem rescribit viro-



et uterque postea epistolam legit coram Parocho et testibus. Sed quando vir scribit fœminæ, se illi in virum tradere, et acceptare illius consensum ex tunc quo illa præstiterit, tunc, licet fœmina non rescribat, sufficit ut Matrimonium contrahatur, si fœmina coram Parocho et testibus litteras aperiat, et consensum præstet; ita *Sanch. l. 2. D. 12. n. 3. Salm. c. 3. n. 108. cur. Diana, et Vill. ac Pal. p. 9. n. 11. cum Nav. Mol. Con. Henr. et Gutt.*

7. Conjux habet potestatem in alterius corpus, sed non ad exercendam libidinem generationi adversantem.

887. — 8. Requiritur consensus de præsentem, verbo, scripto, aut nutibus expressus. Sufficit tamen exprimere per alium, ut si parentes pro filiis contrahant, his tacentibus. Vid. *Dian. p. 3. t. 4. R. 272.* (Id quod dictum est de sponsalibus filiorum, quæ ipsis tacentibus à parentibus contrahuntur (vide ex n. 838.) idem dicitur de ipsorum Matrimonio tali modo inito. Vide *Salm. c. 6. n. 61. cum D. Thom. Sanch. Bonac. Con. etc.*) Sufficit etiam 2. si alterius consensui præcedenti, et non revocato, alterius accedat. Unde si quis coram Parocho non verè consenserit, satisfacit consentiendo postea. Vid. *Dian. l. c. R. 292.* (Vir autem fictè Matrimonium contrahens tenetur ducere, ut docent *Lugo de Just. D. 12. n. 48. et Croix l. 6. part. 3. n. 257. cum Sanch. lib. 1. dub. 11. etiamsi adsit disparitas, quæ (ut ait Lugo) rarò excusat. Excipitur tantum 1. Si fraus mulieris intercesserit, ut declarat S. C. Vide P. Zach. ap. Croix l. c. Excipitur 2. Si nullum damnum sit puellæ oboenturum, ut aiunt *Sanch. l. c. n. 5. et Croix dicto n. 258. cum Palao, et Krimer.*)*

Certum est apud omnes (exceptis paucis quos refert *Bossius c. 3. n. 41.*) ad contrahendum validè Matrimonium verba non esse necessaria, ut docent *D. Th. in 4. D. 27. qu. 1. art. 2. qu. 2. ad 2 et 3. Bellarm. de Matr. c. 8. Sanch. lib. 2. D. 31. num. 5. Ronc. p. 144. qu. 1. et Bossius num. 44. cum Panorm. Nav. Cov. et alii passim. Probatur ex c. 23. de Sponsal. ubi muti et surdi validè quidem nubunt: et ex c. un. §. Fin. de Despons. impub. in 6. ubi dicitur ad Matrimonium filiæ sufficere consensum Parentum, si ipsa taceat; item ex c. Is qui fudem de Sponsal. ubi olim Sponsalia per copulam in Matrimonium transibant. Ex quibus Canonibus inferitur, verba non esse necessaria, cum ibi sufficiat ad contrahendum consensus signis tantum expressus, et etiam præsumptus. Clarius id probatur ex c. Tuæ fraternitati. 25. de Spons. ubi ad quæsitum: « Utrum ex solis verbis Matrimonium contrahatur? Innocentius III sic respondit: Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum; sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus exprimentia de præsentem; nam surdi et muti possunt contrahere Matrimonium per consensum sine verbis.»*

888. — An autem verba sint necessaria de præcepto? Alii affirmant ut *Aoersa, Corneio, et Rodrig. apud Salm. c. 6. n. 52.* Et probant ex verbis mox supra relatis (in cit. c. Tuæ fraterni-

tati): Sunt necessaria, quantum ad Ecclesiam, verba, etc. Et ideo sentiunt peccare graviter Sponsos, qui signis tantum consensum expriment, cum possint verbis. Alii autem negant verba esse de præcepto: ita *Pontius l. 2. c. 7. n. 14. Pal. p. 7. n. 5. Viva q. 4. ar. 2. n. 1. et Diana, p. 3. tr. 4. R. 248.* Quia (ut aiunt) nulli patet tale adesse præceptum. Respondent ad præfatum textum, Pontificem ibi minimè intendisse excludere alia signa consensum exprimentia, et dixisse necessaria esse verba quantum ad Ecclesiam, non quoad substantiam actûs, sed quoad faciliorem conjugii probationem. Et sic sentit etiam *Glossa ib. v. Verba*, dicens: « Non contrahitur sine verbis, vel per aliquod aliud, per quod intelliguntur consentire. » Ac ideo ait *Pontius*, Trident. sess. 24. c. 1. nihil aliud requirere nisi quòd Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos conjungo, etc.* Alii verò probabilius dicunt verba requiri, sed tantum sub culpa veniali; ita *Sanch. l. 2. D. 31. n. 10. Ronc. p. 144. q. 1. R. 2. et Boss. c. 3. n. 48. cum Con. Fill. et Henr.* quia aliàs ageretur contra consuetudinem Ecclesiæ. Sed à tali culpa bene excusaret verècundia, aut alia rationabilis causa.

889. — Certum est, quòd donatio annuli, vel traductio Sponsæ in domum Sponsi de se non sint signa sufficientia ad contrahendum Matrimonium, nisi hæc ex consuetudine loci habeant consensum significare; ita communiter *Sanch. l. 1. D. 22. n. 1 et 3. Pon. l. 2. c. 11. n. 2. et Salm. c. 6. n. 60.* et alii passim. Sufficiens verò est signum si viro exprimenti consensum fœmina manum porrigat, ut communiter AA. citati. An autem sufficiat, si manum non retrahat à viro manum porrigente? Pariter affirmant *Pon. n. 8. et Viva q. 4. ar. 1. num. 1.* Sed verius huic contradicit *Sanch. l. c. n. 6. ex c. 1. de Spons. duor.* ubi sic dicitur: « Fides autem consensus est, quando, etsi non stringit manum, corde tamen et ore consentit ducere. » Unde non sufficit ad contrahendum, quòd alter manum non retrahat, quando fides datur, sed insuper requiritur ut ille ore consensum exprimat; ita etiam *Glossa v. Stringit.*

890. — Quæ. an sufficiat consensus conditionatus? Respondetur 1. Sufficit conditionatus sub conditione de præterito, vel præsentem, stante conditione: quia tunc contractus non suspenditur. (Et hoc currit etiam si conditio esset turpis, scilicet: Te volo, si fornicata fueris; si odio habeas inimicum meum. Tunc enim non verificata conditione, Matrimonium est nullum, quia omnino ibi deest consensus.)

Resp. 2. Sufficit sub conditione necessaria de futuro, dummodo contrahentes non intendant suspendere tantisper consensum, v. g. *duco te si cras sol oriatur.* Item sub conditione de futuro impossibili, v. g. *si cælum tetigeris*, vel de futuro turpi, modò non repugnet substantiæ matrimonii, et consensus sit absolutus, v. g. *si patrem occideris.* Ratio est quia tales conditiones habentur pro non adjectis. *Sanch. l. 5. dub. 15. Moll. Fill. Less. l. 2. c. 18. dub. 15. Laym. Bonac.*

« Resp. 3. Non sufficit sub conditione de futuro, quæ sit contra substantiam obligationis matrimonialis, v. g. si proli generationem impedire velis maleficio, vel victum comparare adulterio. Patet ex *c. fin. de cond. V. Sanch. l. 5. d. 10. Con. d. 29. dub. 3. Fill. etc.* »

891. — Si igitur conditio de futuro est necessaria, nempe si pater tuus morietur; si cras sol occidet, etc. de se non suspendit Matrimonium, ut communiter dicunt *S. Th. in 4. D. 29. qu. 2. art. 3. q. 3. Ronc. p. 145. q. 4. R. 1. Holzm. n. 341. et Salm. c. 7. n. 9 et 10. cum aliis. Dicitur de se, nam si contrahens sic dicens intendat velle expectare tempus talis conditionis, tunc Matrimonium suspenditur usque ad illius eventum; Ronc. et Holzm. l. c. et Salm. n. 12. et Conc. p. 207. n. 30. Si verò conditio esset turpis, tunc distinguendum: Si illa sit contra substantiam Matrimonii, nempe contra bonum Sacramenti, fidei, vel proli, tunc utique nullum reddit Matrimonium. Secus verò si conditio esset alio modo turpis (vel si esset impossibilis); hæc enim, licet in aliis contractibus nullum contractum redderet, saltem ante impletionem ipsius, ut dicunt *Holzm. num. 144. et Viva q. 4. ar. 6. n. 5. ex Institut. §. 11. de Inu. stipul.* tamen in Matrimonio habetur pro non adjecta; ita expressum est in *c. finali de Condit. appos. etc.* ubi: « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: » Contraho tecum, si generationem proli evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiozem; aut si pro quæstu adulterandum te tradas; » Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. » Ratio est, quia, quando conditio est turpis, vel impossibilis, tunc præsumit Ecclesia adesse absolutum consensum contrahentium. Unde bene advertunt *Pont. l. 3. c. 4. n. 9. Boss. c. 10. n. 123. Salm. c. 7. n. 2. et Viva q. 4. art. 6. n. 5.* quod si partes nollent verè contrahere, nisi verificatis his conditionibus, tunc Matrimonium esset quidem invalidum. In dubio tamen præsumendum est illas appositas esse joco, et non animo suspendendi consensum, ut aiunt *Sanchez lib. 5. D. 3. n. 15. Pont. d. n. 9. Ronc. p. 145. q. 5. R. 2. Holzm. et Viva l. c. ex c. fin. de Sent. etc.* ubi in dubio semper judicandum pro valore Matrimonii.*

892. — Quær. autem hæc, quid dicendum, cum Matrimonium celebratur sub conditione, si pater meus consenserit? Resp. si conditio sit de præsentibus, vel præteritis, stante consensu Patris, jam valet Matrimonium, etiamsi contrahentes illum ignorent. Quando verò conditio est de futuro, tunc omnino suspenditur Matrimonium usque ad eventum conditionis: hæc certa sunt apud omnes, vide *Sanch. lib. 5. D. 7. n. 3. et Pont. lib. 3. c. 13. num. 23. Sed*

Dub. 1. Quid dicendum, si pater taceat? Respondetur, tunc pensandæ sunt circumstantiæ; nam si conjectura sit talis quod pater taceat quia dissentit, puta si pater taceat ne fortè domino

vel amico displiceat; tunc taciturnitas habenda est pro dissensu; secus si conjectura sit, quod ideo taceat quia sibi placet; ita *Sanch. l. c. n. 11. et Conc. p. 210. n. 34.* In dubio autem de consensu vel dissensu patris, standum est intentioni contrahentium an ipsi contenti fuerint, vel ne, quod pater positivè non contradicat, ut ait *Bonac. q. 2. p. 10. n. 20.* Sed quid si dubium sit de hac intentione nubentium? *Angel. Led. et Dicast. ap. Salm. c. 7. n. 58.* dicunt tunc requiri positivum consensum patris et meritò id probabile *Salm.* putant, quia conditio debet impleri in specifica forma, ex *l. Qui hæredi. §. 1. et l. Mævius, ff. de condit. et demonst.* At communius, et etiam probabiliter aiunt *Ronc. p. 147. q. 7. R. 1. Bon. l. c. Viva q. 4. ar. 6. n. 7.* cum communi, ut asserit, *Spor. n. 326. Sanch. l. 5. D. 7. n. 12. cum Adr. Prop. Nav. Lop. etc. ac Salm. n. 59. cum Henr. Sylvest. Corneio, Leand. etc.* hujusmodi taciturnitatem habendam pro consensu, quia talis conditio, si pater consentiet, juxta communem sensum intelligitur, si positivè non dissentiet. Idque tantò magis locum habebit, si pater moriatur antequam dissentiat, ut rectè inquit *Viva loc. c. contra Pont. l. 4. c. 17. n. 15.* Bene autem advertit *Ronc. l. c. Reg. in prax. 2.* quod Parochi sine urgentissima causa nunquam admittere debent hæc Matrimonia conditionalia, propter plura inconvenientia et difficultates, quæ deinde occurrere possunt contra ipsorum validitatem.

893. — Dubit. 2. Quid si pater certior factus primò dissentit, et postea consentit, an tunc censeatur impleta conditio? Negant *Sanch. l. 5. D. 7. n. 9. Pont. l. 4. c. 17. n. 15. Ronc. p. 146. q. 7. R. 1. et Salm. c. 7. n. 57. cum Soto, Con. Per. Dic. etc.* quia, posito dissensu patris, jam deficit conditio appositæ pro Matrimonio, et ideo possunt contrahentes ab eo recedere, etiamsi pater postea consentiat: obligatio enim semel extincta amplius non reviviscit. Oppositum verò tenent *Sylvest. Lopez, Tab. apud Sanchez num. 9,* quia (ut aiunt) tunc contrahentes adhuc perseverant in eodem proposito et animo se obligandi. Hæc ratio, per se loquendo, mihi non probatur; sed valde probabilis videtur hæc secunda sententia, si pater post breve intervallum consenserit, ut dicunt *Palau p. 11. §. 2. num. 7. Navarr. c. 22. n. 61. et Viva q. 4. ar. 6. n. 7. cum Hurt. et Con.* Ex communi enim intelligentia verba talis conditionis morali modo accipiuntur, id est si pater acquiescat intra aliquod breve tempus juxta arbitrium prudentium. Sicut è converso Matrimonium probabilius dicendum est invalidum, si pater post consensum mox dissentit: ut *Viva l. c. et Conc. p. 210. n. 34.* Et huic sententiæ adhæret *Croix l. 6. p. 3. n. 86.* rectè dicens quod tum sponsalia dissolvantur, cum pater ita firmiter dissentit, ut nulla sit spes fore, ut intra breve tempus consentiat.

894. — Dubit. 3. Quid si tempore conditionis positæ de consensu patris, pater erat jam vita functus? Respondetur: Si contrahentes jam conscii erant de morte patris, tunc conditio illa habetur ut non adjecta, tanquam impossibilis; ita communiter

*Pal. p. 11. §. 2. n. 9. Salm. c. 7. n. 59. cum Henr. Bonac. p. 10. n. 20. cum Con. Gutt. et Fill. ac Sanch. l. 5. D. 7. n. 19. cum Nav. Sylo. Lop. Led. et Præp. Majus dubium est, si tunc inscii erant, an valeat Matrimonium? Negant Nav. c. 22. n. 64. ac Sylo. Præp. et alii ap. Sanch. quia conditio consensûs, quæ possibilis reputabatur, non potest amplius verificari. Sed probabilius Sanch. n. 19. Pal. l. c. cum Con. et Salm. d. 59. cum Henr. affirmant; quia conditio illa intelligitur apposita, ne contra voluntatem patris Matrimonium fieret; quæ ratio, patre defuncto, jam cessat.*

An autem valeat contractus Matrimonii aut sponsalium inter impeditos aliquo impedimento dirimente, initus sub conditione: *Si papa dispensaverit?* Vide super hoc dicta T. 2. l. 3. n. 659. et hoc l. 6. n. 859.

« Resp. 4. Consensus sub conditione honesta de futuro est » contractus sponsalium tantum, et non Matrimonii, quia hic » debet esse de præsentis. Ob quam rationem non incipit validari » Matrimonium sine novo consensu, postquam conditio impleta » fuerit, ut docet S. Th. cum aliis apud Sanch. etsi Fill. Laym. » et alii quidam putent contrarium esse probabile, eo quod con- » tractus celebratus sub conditione honesta futura, hac impleta » purificetur. Quod concedit Bon. q. 2. p. 10. num. 20. si contra- » hentes in eodem consensu manserint, saltem virtualiter. »

893. — Quær. an, impleta conditione in Matrimonio, requiratur novus consensus? Prima sententia affirmat, quam tenent *Suar. de Rel. l. 7. c. 12. n. 18. Conc. p. 208. n. 28. Pont. l. 3. c. 14. n. 5. cum Soto, Val. Cov. et Led. item Trull. Villal. Con. etc. apud Salm. c. 7. n. 66. qui cum Sanch. probabilem vocant. Et huic videtur favere D. Th. Suppl. q. 47. a. 5. ubi ait: « Aut » ( conditio ) est contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio » parentum, et tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut » de consensu, qui fit per verba de futuro, unde non facit Ma- » trimonium. » Ratio 1. est, quia, cum Matrimonium non solum sit contractus, sed etiam Sacramentum, non potest pendere à futura conditione, nam omnia Sacramenta statim aut valida, aut nulla esse debent. Ratio 2. quia, licet in aliis contractibus possit transferri dominium ad tempus, in Matrimonio tamen dominium corporum debet tradi in perpetuum; et ideo oportet, quod impleta conditione novus apponatur consensus. Secunda verò sententia negat, et hanc tenent *Laym. c. 7. n. 2. Bon. p. 10. n. 20. Pal. p. 11. §. 2. num. 5. Nav. c. 22. n. 63. Ronc. p. 147. q. 7. R. 2. Sanch. l. 5. D. 8. num. 5. cum Palud. P. Soto, et Henr. ac Salmantic. c. 7. numer. 67. cum Con. Perez, Dicastill. Avers. Gabr. Reb. et Corn. Ratio, quia Matrimonium, esto sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractûs; omnes autem contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur ex l. Hæc venditio. 7. ff. de Contrahenda emptio. Et sic respondetur 1. rationi. Respondetur ad 2. quod dominium non tradatur pendente conditione, sed ea verificata: tunc enim, cum consensus**

præcedens virtualiter perseveret, Matrimonium de conditionato fit absolutum. Nec revera huic sententiæ contradicit *D. Th. dum S. Doctor l. c. tantum loquitur independenter ab implemento conditionis, et ideo merito dicit quod pendente conditione non possit illud dici verum Matrimonium, sed quod interim æquiparetur sponsalibus, ita ut non liceat nuptias inire cum alio. Ultraque sententia est probabilis, at hæc secunda videtur probabilior. Cæterum rectè dicunt *Viva q. 4. art. 6. n. 4. et Croix l. 6. p. 3. n. 762. consultius esse eo casu iterum contrahi Matrimonium.**

Quid si inter sponsos sit impedimentum contrahendi, et ipsi sponponderint sub conditione, *si cessabit impedimentum?* Sentiant pariter *Sanch. de Matr. l. 5. D. 8. n. 10. et Croix l. 6. p. 3. n. 85. cum Ang. Cov. et Krino*, nec requiri novum consensum, si impedimentum cesset. Attamen *Victoria ap. eumd. Croix* censet requiri; hocque mihi videtur probabilius, dum consensus, tempore impedimenti præstitus, non videtur satis validus; et sic refert *P. Zacharia ap. Croix l. c. in simili casu S. C. declarasse.*

896. — Notandum hic, quod differat conditio à demonstratione, causa, modo, die; quia *demonstratio* sive *causa* adjecta (puta, si quis dicat: *Duco te, quæ es virgo, vel quia es virgo*) non vitiat, nec suspendit Matrimonium (esto causa sit falsa, aut turpis, etiam contra substantiam Matrimonii, ut *Sanch. l. 5. D. 19. n. 2.*) Nam, licet ille non contraheret, si sciret eam non esse virginem, præbet tamen tunc absolute consensum, qui non impeditur, nisi ab errore circa substantiam, sive circa conditiones substantiales Matrimonii; sed vide n. 1012. Neque suspendit *modus*, si dicatur v. g. *duco te, ut mihi inseroias*. Ita *Salm. c. 7. n. 5. et Viva q. 4. ar. 6. n. 2.* Etiam si *modus* sit de re turpi, aut impossibili: *Duco te, ut occidas, etc.* Ratio, quia consensus non pendet à modo, sicut pendet à conditione. Et etiam si (ait *Viva cum Pal.*) *modus* sit contra substantiam Matrimonii, scil. *Duco te, ut adulterium facias, etc.* Sed probabilius contradicunt huic *Salm. n. 7. cum Sanch.* quia non videtur habere animum contrahendi, qui intentionem habet contractui oppositam.

Utrum *dies* appositus suspendat contractum, puta, si dicatur: *Duco te post tres dies?* Negat *Sanch. ib. n. 11.* Sed probabilius affirmat *Viva cum Con. Hurt. Perez et Salm. n. 3.* quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem.

## DISSERTATIO

## De Ministro, et Forma Sacramenti Matrimonii.

897. — ALII dicunt Ministrum Matrimonii esse Sacerdotem assistentem, et Formam ipsius verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo, etc.* Ita *Canus de Locis Theol. l. 8. c. 8 Juenin Instit.*

*Theol. de Matr. q. 2. c. 2. Conc. t. 10. p. 191. n. 5. Tournel. t. 11. p. 58. Idque probabile putant Estius l. 4. D. 26. §. 10. et Haberz de Matr. c. 4. citans pro hac sententia Tolet. l. 7. de Matrim. sed non bene; Toletus enim ibi c. 2. expressè dicit Formam Sacramenti Matrimonii esse consensum contrahentium; si igitur consensus nubentium sit forma, ipsi necessariò sunt Ministri; nam ( ut rectè aiunt Bellarm. de Matr. c. 7. et Frassen q. 3. ar. 3. ) qui in Sacramento Formam applicat materiæ, ille utique est Sacramenti Minister. Momenta autem hujus primæ sententiæ afferentur infra in objectionibus quibus respondebimus. Secunda verò sententia communis, quæ videtur moraliter certa, dicit ipsos contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, et formam esse verba, quibus ipsi consensum exprimunt; ita Bellarminus, qui vocat sententiam nostram communem in Scholis, ( ut fatetur etiam ipse Canus ) et contrariam, novam ac falsam, Gonet, Man. de Matr. c. 7. Frassen eod. tit. q. 3. ar. 1. Cabas. Tom. 1. l. 3. c. 18. n. 1. cum communi omnium Theologorum, Laym. c. 2. n. 2. Abelly p. 200. q. 1. et 2. Wigandt tr. 16. n. 10. Holzm. p. 322 et 330. Barbos. Alleg. 32. n. 169. Suar. de Sacram. q. 64. D. 10. Sect. 1. Bon. p. 4. num. 5. cum Con. Reb. Gutt. Fill. Reg. Rodr. etc. comm. Pontius l. 1. c. 8. n. 3. cum Vas. et Led. Summ. P. Bened. XIV. de Synodo l. 8. c. 12. cum Gotti, Raynaud. etc. de Lauræa, Card. Bellarm. Controv. t. 3. de Sac. Matrim. c. 7 et 8. ubi vocat falsam sententiam Cani, et nostram communem, Fagnan. l. 4. in cap. Quod nob. de Clandest. desp. n. 51, ubi ait opinionem contrariam esse periculosam in Fide, Sanch. l. 2. D. 6. cum Lop. Vega, Henr. et Manuel, qui vocant oppositam temerariam, Merbes. de Matr. q. 6. qui testatur omnes Theologos asserere opinionem Cani nunquam fuisse probabilem, refertque Vasq. et Led. asserere eam non posse defendi sine nota, et Sotum, ac Vioand. vocare temerariam. Nostram sententiam tenent quoque expressè D. Th. in 4. D. 26. q. 2. art. 1. ad 1. et Dist. 28. q. 1. art. 3. (cujus verba referemus in resp. ad 1. Object.) et Scotus in 4. D. 26. q. 4. n. 14.*

Prob. 1. quia Trident. Sess. 24. c. 1. declaravit olim omnia conjugia clandestina, scil. sine assistentia Parochi celebrata, esse vera et rata, idque negantem de anathemate damnavit. Matrimonia autem fidelium non possunt dici rata, nisi sint Sacramenta, ut mox infra probabitur. Si ergo Matrimonia clandestina olim fuerunt rata, ac propterea Sacramenta, dicendum quòd non Parochus sit Minister, sed ipsi contrahentes. Quòd autem matrimonia ideo sint rata, quia sint Sacramenta, probatur ex D. Augustino lib. de Bono conjug. c. 24, ubi: « Bonum nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est; quòd autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti. » Item. c. 8. « Sed in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri » Et inde nascitur ( ut dicit c. 7. ) vinculum indissolubile: sine enim Sacramenti ratione, fidelium nuptiæ tantam firmitatem non haberent. « Quod nequaquam puto tan-

» tum valere potuisse, nisi quoddam Sacramentum adhiberetur. » Nec tamen nisi in civitate Dei nostri ejus talis est causa cum uxore, scilicet indissolubilitatis Sacramenti. » Et clarius probatur ex c. Quarto, de Divort. ubi Innoc. III sic ait: « Etsi » Matrimonium infidelium verum existat, non tamen est ratum. » Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum » fidei, quòd semel est admissum, nunquam amittitur, sed » ratum efficit conjugii Sacramentum ( nota ), ut ipsum in » conjugibus illo durante perduret. » Ergo, si ante concilium matrimonium fidelium sine Parocho initum erat Sacramentum, necessariò dicendum tunc sponso Ministros tantum de illo fuisse. Nec dicas illud conjugii Sacramentum non intelligi de Sacramento Matrimonii, sed de ejus vinculo, utpote symbolicè significante conjunctionem Christi cum Ecclesia, adeo ut Matrimonia per solum Baptismum (dictum Sacrament. Fidei) evadant rata, cum infideles convertuntur ad Fidem, esto non fiant Sacramenta. Nam respondetur non esse verum quòd Matrimonia infidelium per solum Baptismum fiant rata, id est omnimode indissolubilia; licet enim conjugia infidelium natura sua etiam indissolubilia sint, tamen, accedente aliqua urgente causa, adhuc post conversionem ad Fidem aliquando solvi possunt ( modò non fuerint consummata post conversionem ) prout refert Cardenas in Prop. Innoc. XI. Diss. 2. num. 550. Urb. VIII declarasse die 20 Octob. an. 1626, et rursus 7 Sept. 1627, his verbis: « Nos » attendentes hujusmodi infidelium Matrimonia non ita censeri, » quia suadente necessitate solvi possunt. » Et S. P. Bened. XIV. de Synodo l. 13. c. 21. n. 3, refert Sanctum Pium V et Greg. XIII solvisse post conversionem ad Fidem quædam Matrimonia in infidelitate contracta. Si ergo Matrimonia clandestina fidelium ante Concilium, id est sine assistentia Parochi celebrata, ideo fuerint rata, quia Sacramenta, ergo non Parochus, sed ipsi contrahentes sunt hujus Sacramenti Ministri.

Prob. 2. ex Florentino, ubi: « Septimum est Sacramentum » Matrimonii, ut quòd est signum conjunctionis Christi et Ecclesie secundum Apostolum. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus. » Si igitur contrahentes per consensum verbis expressum sunt causa efficiens Matrimonii, ipsi ergo sunt Ministri, non solum contractus ( ut aliqui perperam explicant ), sed etiam Sacramenti; nam Concilium suscipit explicandum non quidem contractum, sed Sacramentum, dicens: *Septimum est Sacramentum Matrimonii.*

Prob. 3. ex eodem Trident. d. Sess. 24. c. 1. ubi in clausulâ irritante Matrimonium dicitur: « Qui aliter quàm præsentem » Parocho..., contrahere attentabunt..., inhabiles reddunt, et » hujusmodi contractus nullos esse decernit. » Non dicitur, qui aliter quàm præsentem Parocho, et verba proferente, sed tantum Qui aliter quàm præsentem Parocho, si igitur non irritatur Matrimonium tacente Parocho, sed tantum absente, ergo verba

Parochi non sunt de essentia Matrimonii, et consequenter ipse non est ejus Minister. Sed dices ex hoc inferri quidem, quod absente Parocho Matrimonium sit nullum, etiam quoad contractum, sed non deduci quod præsente Parocho et tacente, validus sit non solum contractus, sed etiam Sacramentum. At respondetur, quod ratio Sacramenti non distinguatur à ratione contractus, dum communiter dicunt Theologi contractum Matrimonii fuisse à Christo evectum ad rationem Sacramenti. Et quod nostram sententiam tenuerint Patres Concilii, censendum est ex eo quod communiter Theologi ( quorum judicium debet credi Patres Concilii sectatos fuisse ) ante Concilium asserebant, Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes, ut testantur *Bellarmin. d. c. 7. et Pont. l. c. n. 7.*, atque fatetur ipse *Canus*, asserens ( ut diximus ) hanc sententiam esse communem Scholarum; et *Dom. Sotus in 4. D. 26. qu. 2. art. 3.* scripsit nullum suo tempore ausum fuisse oppositum scribere: et licet *Canus* citet pro se *Guilielmum Parisiensem*, tamen *Bellarmin.* et *Petroc.*, explicant illam nuptiarum benedictionem, quam requirit *Guilielmus*, esse conditionem, non tamen formam Sacramentum Matrimonii constituentem. Item *Bellarmin.* ait alios AA. quos affert *Canus*, non loqui de benedictione, quam dat Sacerdos, dum assistit, et dicit: *Ego vos conjungo, etc.* sed de benedictione quam dat Sacerdos in Missa, de qua loqui ait idem *Bellarminus* pariter Pontifices à *Canis* adductos, et quæ ( ut patet ) non potest esse forma Sacramenti, cum ibi nulla sint verba, quæ forma Sacramenti videantur.

Prob. 4. ex eodem Trident. ex eo quod Concilium, dum nuptiæ incuntur, imponit Parocho, ut dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, etc.* ac deinde subjungit, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Si autem Concilium reputasset Parochum esse Matrimonii Ministrum, quomodo ei potuisset præscribere pro forma quæcumque verba quæ sunt juxta ritum receptum uniuscujusque Provinciæ. Hoc argumentum Cardinali Pallavicino (*Istor. del Concil. l. 23. c. 14.*) visum est evidens ad probandum, quod non Sacerdos, sed Sponsi Nuptiarum Ministri sint.

Probatur 5. Bened. XIV. in laudato opere *de Syn. l. 8. c. 13. n. 8.*, sic ratiocinatur: In locis ubi Tridentinum promulgatum est, non raro contingit, aliquos Matrimonium contrahere testibus fortuito astantibus, et Parocho reluctante, quin ipse verbum ullum proferat. Hujusmodi conjugium in sententia Cani esset validum in ratione contractus, sed non Sacramentum, ob Sacerdotalis benedictionis defectum. Si Ecclesia sententiam Cani haberet pro vera ( imò addo si haberet tantum pro probabili ) deberet Ecclesia contrahentes compellere, aut saltem hortari ad suum contractum renovandum coram eodem Parocho, ut ejus verbis fiat Sacramentum, ne ejus gratia illi perpetuo careant. Deinde subdit, quod ob eandem rationem Ecclesia curare deberet instaurari clandestina conjugia in locis, ubi Trid.

Decretum non est receptum. Sed cum in neutro casu renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, conjiciendum quod uterque contractus, licet Sacerdotis benedictione careat, ab Ecclesia pro Sacramento habeatur. Respondere possunt Adversarii, ideo Ecclesiam non curare de prædictis conjugis instaurandis, quia contractus Matrimonii semel valide initus nequit deinceps effici Sacramentum, ut tenent *Vasquez Durand. Pont. et alii.* Sed respondet *Benedictus l. c.* quod longè communior sit sententia aliorum DD. quos sequitur *Sanch. de Matr. l. 2. disp. 9.* quæ docet bene posse Matrimonium, antea validum in sola ratione contractus, denique renovari, et assequi virtutem Sacramenti. Unde difficultas proposita non solvitur: in hoc enim dubio Ecclesia non negligeret urgere fideles, ut in illis casibus conjugia renovarent, ne carerent saltem spe consequendi gratiam, quam juxta communior sententiam ipsi ex iteratione contractus obtinerent. His tamen non obstantibus, laudatus *Benedictus* ait, sententiam Cani, tot Doctorum suffragiis communitam esse probabilem, cuique liberum eam amplecti, absque ulla erroris nota. Adde praxim Ecclesiæ in reconvalidandis Conjugiis jam coram Parocho et testibus prius initis, sed invalide propter occultum impedimentum, in quibus S. Pœnitentiaria ex oraculo S. Pii V. dispensando minimè requirit, imò expressè dicit illa reconvalidanda secretò, sine assistentia Parochi et testium; et sic communiter docent paucos *Nav. Alex. Tourn. Habert* et idem *Bened. XIV. cum Van Espen, Pontas* et pluribus Declarationibus S. C. et Decisionibus Rotæ Rom., et aliis AA. innumeris; vide dicenda n. 1110. His positis valde miror, quod laudatus *Benedictus* postquam contenderit rationibus tam urgentibus contra sententiam Cani, illam n. 4. appellet probabilem, quamvis non intrinsecè, sed tantum extrinsecè eam probabilem censere videatur, eò quod ( ut ait ) est ipsa *Doctorum suffragiis communita.* Verumtamen magis oportet attendere ea, quæ scribit *Benedictus* in Decretali sive Epistola ad Archiepiscopum Goanum, quæ incipit, *Paucis abhinc hebdomadis ( V. in Bullar. Vol. 12. p. 386. edit. Mechl. )* ubi scribit ut Pontifex, quam ea quæ profert ut Doctor privatus in præfato opere de *Synodo*; in prædicta enim Decretali expressè docet Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos Contrahentes, non verò Sacerdotes, dum ait quod « materia sit mutua corporum traditio, verbis ac nutibus assensum exprimentibus, et mutua corporum acceptatio » forma.

898. — Obijciunt I. Solos Sacerdotes esse legitimos Sacramentorum Ministros, ex illo Apostoli ( 1. Cor. 4. ) « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. » Et ideo dicunt statutam esse formam, ut habeatur ex Rituali, quam Parochus super nubentes proferre debet, dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium.* Ideoque addant, alios SS. Patres ( quos refert *Bellar. c. 8.* ) dixisse, quod Matrimonia per Sacerdotes sanctificentur. Sed respondetur cum

30  
*S. Th. Dist. 26. q. 2.* qui sic docet: « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale. » *Sacramentale*, id est quædam solemnis cæremonia, quæ ex præcepto Ecclesiæ requiritur. Et hoc est, quod SS. Patres intelligere volunt. Id clariùs patet ex eodem *Trid. cit. c. 6. sess. 14.* ubi non dicitur, quòd Sacerdos absolutè proferre debeat formulam prædictam, *ego conjungo etc.*, sed quòd *vel eam dicat, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Formula verò illa alium sensum non præ se fert quàm si Sacerdos diceret ( ut dicunt *Frasen, et Sanch.* ): *Ego approbo, et benedico nuptias vestras in faciem Ecclesiæ.* Verum autem non est, quòd omnia Sacramenta non per alios quàm per Sacerdotes ministranda sint, cum laici etiam quandoque sint legitimi Ministri Sacramenti Baptismi: Christus enim constituit Ministros Sacramentorum, juxta uniuscujusque Sacramenti naturam; et quia contractuum natura est, ut per solum consensum nubentium ineantur, ideo in Matrimonio, quòd consistit in contractu ad Sacramentum elevato, non alios Ministros Christus constituit, quàm ipsos nubentes, qui per eorum consensum formam Sacramenti ministrarent.

Objiciunt II. Concil. Coloniense an. 1535. ubi *p. 7. c. 4.* sic habetur: « Quòd Sacramentum ( *scilicet Matrimonii* ) si quis sicut decet acceperit, accedente Sacerdotali prece, con- fert donum Spiritûs, quo vir diligit uxorem, sicut Christus dilexit Ecclesiam. » Ex quo inferunt, quòd si per benedictionem Sacerdotis donum Spiritûs confertur; ergo per illam conficitur Sacramentum. Sed rectè respondent *Frasen, et Bellarm. ll. cc.* quòd ex verbis istius Concilii potiùs deducitur oppositum; nam illa ex suo sensu non significant, quòd per prece- tionem Sacerdotalem conficiatur Sacramentum, sed potiùs quòd, Sacramento jam confecto, precatio illa accedat, qua donum conferatur Spiritûs sancti, preces Sacerdotis exaudientis. Tantò magis quòd Enchiridion, ejusdem Concilii nomine deinde vul- gatum; expressè dixit, « Verba conjugum, quibus ipsi mutuo dant sibi fidem, esse verbum ( *id est formam* ) quo fit Sacra- mentum. »

Objicit III. *Canus* testimonium Evaristi Papæ in *c. Aliter Caus. 30. quest. 5.* ubi dicuntur Matrimonia contracta sine benedictione Sacerdotis præsumi adulteria vel fornicationes potiùs, quàm legitima conjugia. Sed bene respondet *Bellarmin. loc. cit. cap. 8.* hic loqui Pontificem de probatione Matrimonii quoad forum externum, eò quòd Ecclesia in foro externo non judicat legitima conjugia illa quæ non probantur per Sacerdotis testimo- nium, præsumendo tunc defuisse mutuum consensum; nisi ( ut subditur in eodem textu ) voluntas propria suffragaverit; ergo ubi adest voluntas contrahentium, legitimum inquit Matrimo- nium, licèt in foro externo aliud præsumatur. Quòd autem Evaristus certè ibi loquatur de foro externo, sapienter ait *Bell.*

ipsum *Canus* negare non posse, nam Trident. expressè decla- ravit conjugia clandestina esse vera Matrimonia, dum è converso Evaristus non jam dicit ea non esse Sacramenta, sed vocat adulteria, et fornicationes; unde, ne dicatur Tridentinum con- tradixisse testimonio Evaristi, id quòd Evaristus dicit necessario de foro externo intelligendum. Alia objicit *Canus* quibus faciliùs responderetur, ut videre poteris apud *Bellarmin. c. c. 8.*

399. — Ex nostra autem sententia inferitur 1. quòd Matrimonia quæ per procuratorem celebrantur, quia sunt legitimi contractus, ideo vera etiam sunt Sacramenta, nec opus est, ut contrahentes postea coram Parocho se sistant ad Matrimonium ratificandum; *Sanch. l. 2. D. 11. n. 27. et Bellarm. c. 7. n. 8. cum Naqarr. Soto, et aliis, contra Canum.* Inferitur 2. quòd conjugia malitiosè contracta coram Parocho reluctantante, et benedictionem dene- gante, sunt quidem graviter illicita, sed valida et vera Sacra- menta, ut dicunt omnes pro nostra sententia allati; et hoc etiam si Parochus affectet nolle intelligere, nempe oculos et aures clau- dendo, ut sentiunt *Pontius l. 5. c. 29. num. 22. et Salmant. c. 8. num. 67. cum Led. et Leand.* ( contra *Bonac. et Trull. ac Sanch. l. 3. D. 39. num. 6.* ) ex Decreto Sac. Congr. Conc. apud *Farinac.* ubi ad quæsitum: « Et quid si Parochus adfuisse, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit vel audivit, utrùm tale Matrimo- nium sit nullum? » *Sac. Congr. Concil. respondit:* « Matri- monium non valere, si non intellexisset, nisi ipse Parochus affectasset non intelligere. » Inferitur 3. quòd Matrimonia coram Parocho et testibus semel celebrata cum occulto impedimento dirimente, sublato impedimento per dispensationem, vera evadant Sacramenta per consensum absente Parocho præstitum; vide dicenda *num. 1110.* Et hoc argumentum, ut ait *Benedic- tus XIV* loco citato, valde probat Ministrum Matrimonii non esse Sacerdotem, sed ipsos Sponsos; aliàs rectè dicit, quòd Ecclesia, nisi id haberet pro certo, nunquam permetteret Sponsos relinqui in periculo, quòd remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen Decretum S. C. sub die 8 Junii anni 1619. apud *Ferrar. Bibliot. t. 5. v. Matrimonium num. 19.* quòd si Matrimo- nium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum ætatis, tunc reconvalidandum est ante Parochum et testes. In- fertur 4. quòd Parochus, si assistat Matrimonio existens in mortali, non peccet graviter, quia non conficit nec ministrat Sacramentum; ita *Sanch. l. 2. D. 6. num. 2. et Bon. p. 4. num. 5. cum Suar. Con. Henr. Gutt. et Reg.* Utrùm autem requirantur de præcepto gravi verba Parochi, *Ego conjungo vos, etc.* vel alia juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum, ut dicitur in *Trid. cit. sess. 24. c. 1.?* Negat *Bonac. p. 8. num. 4.* qui citat *Sanch. Con. Gutt.* et alios putantes earum omissionem esse tantum venialem ob parvitatem materiæ; sed affirmant *Barbos. de Potest. Episcop. Alleg. 32. 180. cum Reb. Henriq. et Salsedo,* et hoc mihi magis placet.

Fit autem quæstio, an à Sponsis, qui Matrimonium ineunt,

possit validè separari ratio contractus à ratione Sacramenti? Negant *Suar. in 3. p. de Matr. D. 7. sect. 1. Pont. l. 7. c. 9. n. 3.* et alii, dicentes non posse hominem separare quod Deus coniunxit. Sed affirmant *Vasq. Caj. Durand. Victoria*, et alii apud *Spor. de Matr. c. 1. n. 385.* qui tenent bene posse contractum sine Sacramento validum remanere. Sed hic notandum omnes asserere, quòd hoc agere non careret gravi culpa. Unde inferitur, quòd Ecclesia nunquam permetteret revalidari Matrimonium sine assistentia Parochi (ut passim Ecclesia admittit) tolerando quòd Matrimonium persisteret tanquam contractus, et non Sacramentum, si non haberet pro certo, quòd Sponsi sint veri Sacramenti Ministri.

## DUBIUM II.

DE USU MATRIMONII.

## ARTICULUS I.

An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus.

900. Actus conjugalis illicitus est. I. Si matrimonium est nullum. II. Si matrimonium est dubium. — 901. Qu. I. An liceat contrahere cum dubio de Impedimento? — 902. Qu. II. An cum opinione probabilis de insubstantia impedimenti? Qu. III. An cum opinione probabilis probabilitate facti? — 903. Qu. IV. An in dubio de valore Matrimonii jam contracti liceat petere et reddere? Et signanter an uxor non certa de morte primi viri teneatur reddere secundo? — 904. D. 1. An, contracto Matrimonio bona fide, subveniente dubio, liceat petere post diligentiam? — 905. D. 2. Quid, si adsit opinio probabilis tantum pro nullitate Matrimonii? — 906. D. 3. An, Nuptiis initis cum dubia fide, dubitans post diligentiam possit petere? — 907. D. 4. An in dubio positivo judicandum sit in favorem Matrimonii contracti? — 908. An conjux teneatur credere alteri asserenti se fide consensisse? Quid, si audiat impedimentum à testibus fide non dignis? Quid, si audiat ab uno fide digno? — 909. III. Illicita est copula, si fiat cum periculo sanitatis. D. 1. An liceat petere, si alteruter conjugum laborat lepra, morbo gallico, et simili? — 910. An liceat petere post balnea, aut sectionem venæ, vel cum febris? vel an statim post prandium? — 911. D. 2. An tempore lactationis. — 912. IV. Si fiat ob voluptatem. — 913. V. Si fiat mente adultera. Quid, si conjux ad se excitandum delectetur de pulchritudine alterius personæ? — 914. Quid, si delectetur de copula aliena? — 915. VI. Si fiat modo indebito. — 916. Qu. 1. An sit mortale inchoare copulam in vase præpostero? — 917. Qu. 2. An coire situ innaturali? — 918. Qu. 3. An cohibere seminationem post copulam inceptam? — 919. An autem uxor, viro se retrahente post seminationem, possit ipsa statim tactibus se excitare ad seminandum? — 920. VII. Si fiat in loco indebito. (*Remiss. ad lib. 3. num. 458.*) — 921. VIII. Si fiat tempore indebito. — 922. Qu. I. An liceat

conjugi coire die Communionis? (*Remiss. ad n. 273 et 274. in hoc lib. VI.*) — 923. Qu. II. An in diebus festis? — 924. Qu. III. An tempore prægnationis? An autem, secluso periculo abortus, sit venialis coitus cum prægnante? — 925. Qu. IV. An liceat coire tempore menstrui? — 926. Qu. V. An tempore purgationis post partum? — 927. Licitus est autem usus Matrimonii, I. Propter prolem. II. Ad vitandam incontinentiam. (*Vide d. n. 882 D. 1.*) III. Propter alios fines honestos. (*Vide d. n. 883. D. 2.*) — 928. Qu. I. An aliquando vir teneatur petere? — 929. Qu. II. An aliquando uxor? — 930. Qu. III. An conjux prohibitus petere ob votum, vel affinitatem contractam, possit aliquando petere? — 931. Qu. IV. An liceat petere excommunicato, et an ab excommunicato? — 932. An et quando liceat tactus, aspectus, et verba turpia inter conjuges? — 933. Qu. I. An sint mortales inter ipsos tactus et aspectus turpes secluso periculo pollutionis? — 934. Qu. II. Quid, si periculum pollutionis jam prævideatur. — 935. Perpenduntur quidam tactus enormiter turpes. — 936. Qu. III. An peccet graviter conjux turpiter seipsum tangens altero absente? — 937. Qu. IV. An si morosè delectetur de copula habita vel habenda?

900. — «RESP. Per se est licitus et honestus. Quòd est de fide, et patet ex 1. *Corinth. 2. Uxori vir debitum reddat.* Per accidens est illicitus in sequentibus casibus.

«I. Si Matrimonium à parte rei sit nullum: quòd tamen, si uterque ignorat, non peccat, nisi materialiter. Si uterque, vel alter id certò sciat, non potest, quocumque etiam periculo proposito, uti matrimonio. Unde si non potest sine periculo vitæ aut famæ detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet vel ingredi religionem (si necdum consummavit), vel fugere vel petere divortium (ob conjugis sævitiam, v. g. vel adulterium, si tale sit) vel certè omnia incommoda patienter sustinere. *Bon. q. 8. n. 16.*

«II. Si matrimonium sit dubium. Et quidem, si alter tantum dubitet, is non potest petere debitum; reddere tamen tenetur, cum alter habeat jus petendi. Si uterque dubia fide contraxit, vel dubitat de ejus valore, neutri petere, aut reddere licet ante veritatis indagationem. *Vasq. Sanch. Dian. Barb. d. 6. tr. 11. p. 7. §. 3.* Secus post eam, *Bonac. q. 4. p. 4.* Vide supra lib. 1. tr. 1. c. 2. d. 3.»

Piget me de hac materia, quæ tantam præ se fert fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem: sed utinam non esset hæc materia tam frequens in Confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino Confessionariam plena tractatione, sed sufficeret compendio instructam esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fusè de ea hic loquar, et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. Quòd si cui mirum videatur Auctores cæteroqui prudentes ac pios de hac re fusius pertractasse, et minutas etiam variorum casuum circumstantias descripsisse: audiat clarissimum virum Ludovicum Bail, qui (t. 2. *Concilior. p. 811.*) ab hac censura doctissimi Thomæ Sanch. egregium opus de Matri-

monio vindicat, his verbis: « Licet quædam de materia fœdorum actuum tangat, turpius est infernas; et si fœdus est sermo, fœdus est in peccato putrescere, ut ait Petrus Blesensis. » Ille Auctor aliquas spurcitas movet, sed ad ægotantium curationem. Si Angeli essent homines, talibus non indigerent. »

901. — Quær. I. An liceat Matrimonium contrahere cum dubio de impedimento dirimente? Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam, certum est non licere: post verò diligentiam adhibitam, communiter docent DD. posse contrahi Matrimonium cum opinione probabili probabilitate juris de carentia impedimenti, modo opinio illa sit universè vel certè ab AA. recepta ut probabilis; ita *Sanch. de Matr. l. 1. D. 6. n. 18. Pal. tr. 88. D. 3. p. 4. §. 9. n. 4. Card. in Prop. 1. Innoc. XI. Diss. 2. n. 525 et 528. Viva in eamd. Prop. n. 29. in fine. Suar. 3. p. t. 3. q. 67. ar. 8. Dub. ult. Croix l. 6. p. 1. n. 117. et p. 3. n. 527 et 528. et Boss. l. 1. Mor. tit. 1. §. 51. ex n. 1928. et Mazz. l. 4. p. 220. et Holzm. l. 2. p. 359. n. 491. cum communi: hancque sententiam vocant tutam et moraliter certam Cord. l. c. Holzm. n. 492. Viva d. n. 29. et Croix d. n. 117. cum aliis. Nec obstat dicere, quòd cum opinione probabili non liceat Sponsis administrare Sacramentum Matrimonii. Nam respondetur, quòd eo casu non ministratur Sacramentum cum sola opinione probabili, sed cum morali certitudine; quando enim adest opinio probabilis de jure, quòd non subsit impedimentum, tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine præsumitur contractum Matrimonii approbare, et omne remove impedimentum, ut communiter dicunt præfati AA. cum aliis, et fusè probant *Cardenas l. c. a. n. 542. pluribus Decisionibus Rotæ Romanæ, ac quædam Declarationes Urbani VIII.**

Advertendum tamen 1. quòd si dubium vertat circa mortem prioris conjugis, tunc sive sit negativum sive positivum non licet Matrimonium contrahere (quidquid dicat *Boss. l. 2. c. 2. n. 41. et Vidal. ap. Wigandt tr. 16. Casu post, n. 52.*) quia cum possideat prius conjugium, non potest secundum iniri cum præjudicio prioris, nisi constet (saltem moraliter) de morte prioris conjugis, ut expressum habetur in *c. Dominus, de Secund. nupt.* Advertendum 2. cum *Pal. p. 4. §. 9. n. 4.* quòd si constet de impedimento, et non constet de ipsius dispensatione, tunc non possit Matrimonium contrahi, neque post contractum peti debitum, tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus verò, si constet de dispensatione, et dubitetur de ejus valore, quia tunc possessio stat pro valore dispensationis. Hoc tamen valet, si impedimentum sit de jure Ecclesiastico. Sed

902. — Quær. II. An, stante impedimento probabili de jure naturali, liceat contrahere Matrimonium cum opinione pariter probabili de insubstantia impedimenti? Respondeo: Per se loquendo non licet, quia illicitum est ministrare Sacramentum Matrimonii cum opinione tantum probabili de illius valore, ut patet ex Prop. 1. damnata ab Innoc. XI, quando contra adsit

etiam probabilitas impedimenti etiam de jure naturali: nepe si dubium vertat de solutione prioris Matrimonii; tunc enim Ecclesia nequit dispensare, ut potest et præsumitur jam dispensare, cum adest dubium positivum (ut diximus) de impedimento juris tantum Ecclesiastici. Dixi *per se loquendo*; nam urgente gravissima causa poterit Matrimonium contrahi, modo accedat declaratio Summi Pontificis tanquam unicus interpretis legis divinæ. Et sic refert *Cardenas in Prop. 1. Diss. 2. n. 553.* olim declarasse Urbanum VIII. Delato enim ad ipsum dubio per Joannem de Lugo, postmodum Cardinalem, an Matrimonia quorundam infidelium Indorum in Regno Paraquariæ in infidelitate contracta essent valida; et an ipsi post Baptismum tenebantur accipere primam uxorem ex pluribus quas habuerant, vel an poterant eligere quam malebant? Pontifex indicto Consulto dixit, quòd ubi doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequeretur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores. Vide *d. n. 897. v. Prob. 1.*

Quær. III. An liceat Matrimonium contrahere cum opinione probabili non solum juris, id est ex Doctorum auctoritate, sed etiam facti, nempe cum ex utraque parte adest facti probabilitas pro existentia et pro carentia impedimenti? Affirmant *Tamb. Dec. l. 1. c. 3. §. 3. n. 27. ac Bonac. et alii apud Croix l. 6. p. 1. n. 118.* Sed rectè negant *Cardenas in Prop. 1. Innoc. XI. Diss. 2. n. 524 et 629. Viva in eamd. Prop. num. 29. et Croix l. c. cum Gormaz, ac Aversa.* Ratio, quia, licet Ecclesia præsumatur supplere sive dispensare in impedimento, quando adest probabilitas orta ex jure, ut mox supra diximus, attamen hoc non procedit, quando habetur probabilitas tantum orta ex facto, quæ non fundat nisi semiplenam probationem, ut explicat *Carden. n. 629.* Quo supposito, non licet in Matrimonio contrahendo uti prima sententiâ; nam quamvis probabilis esset prima opinio, quòd cum sola probabilitate facti pro carentia impedimenti præsumatur Ecclesia etiam dispensare; tamen cum hæc opinio non sit communiter aut certè recepta, tanquam probabilis (prout quidem esse debet ad præsumendum quòd Ecclesia suppleat, ut rectè dicunt *Carden. n. 624. et Croix l. 6. p. 1. n. 117. cum Avers. et Gorm.*), et cum agatur de valore Sacramenti, non possumus opinionem illam tuto sequi.

Dicunt autem *Sanch. l. 8. D. 16. n. 18. Carden. n. 527. Viva in d. prop. 1. n. 31. et Tamb. Dec. l. 1. c. 3. v. Matrimonium, n. 1. cum Merolla, idque probabile putat Croix l. 6. p. 3. n. 533. cum Spor. Gob. Krim. etc.* quòd in quæstione facti, si adsint utrimque conjecturæ, istæ non constituent nisi merum dubium negativum, et ideo si dubium de impedimento non possit vinci, licet contrahatur Matrimonium, quia tunc standum est pro libertate. Sed huic opinioni contradicunt *Pal. tr. 1. D. 3. p. 8. n. 10. Less. Auctar. v. Matr., Cas. 10. Contin. Tourn. t. 2. de Imped. p. 245. n. 1. Ronc. p. 152. q. 5. in fin. Renzi tom. 1. pag. 45. q. 4. cum Vidal, et Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 23. cum Hurt. et*



*Veracr.*, meritoque non approbant rationem ab adversariis adductam; quamvis enim in aliis contractibus, non obstante dubio negativo de inhonestate contractus, licitum sit illum inire, si dubium vinci non possit, quia tunc standum est pro libertate; Matrimonium tamen, quia non solum habet rationem contractus, sed etiam Sacramenti, non potest contrahi cum materia dubia, sicut et in aliis Sacramentis non licet uti materia dubia extracum necessitate, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, juxta Prop. 1 damnatam ab Innoc. XI. Tantum igitur prius sententia posset dici probabilis, si probabilis esset opinio eorum quos retulimus *Tom. 1. l. 1. n. 23.* dicentium præfatam Propositionem fuisse proscriptionem non ratione periculi frustrationis Sacramenti, sed ratione caritatis erga suscipientem, ne privetur fructu Sacramenti, si forte opinio de ejus valore non sit vera. Et eo casu advertit *Croix d. n. 533.*, cum aliis, partem dubitantem teneri ad monendam alteram de tali dubio, ne hæc exponatur periculo gravium incommodorum. Quod si verò (ad dunt *Sanch. et Card. n. 528.*) in tali dubio præsumptio urgeret pro impedimento, et nulla esset præsumptio pro illius carentia, v. g. si vir coierit, et postea dubitet an seminarit, vel an intra vas aut extra, tunc præsumptio orta ex communiter contingentibus est pro impedimento, et impediendum est Matrimonium. Secus autem, si adsit præsumptio in contrarium, ut si vir seminaverit prope vas: tunc enim (ut ait *Sanch. d. n. 18.*) procul dubio nuptiæ contrahi possunt.

Cæterum probabiliter dicunt *Emman. Sa v. Dispensatio n. 1. Merbes. t. 1. p. 406. n. 8. vers. Quartus, et Contin. Tourn. tom. 2. de Inpot. p. 245. cum Pichler.*, ac probabile putat *Diana p. 4. tr. 3. R. 17.* (contra *Sanch. d. n. 28.* quamvis in *Dec. l. 4. c. 40. n. 26.* videtur se retractasse) quod in impedimentis dubiis bene potest Episcopus dispensare. Et idem dicunt communissimè DD. genericè loquendo de omnibus casibus, sive impedimentis Pontifici reservatis, quando dubitatur, an indigeant dispensatione, ut *Pal. p. 1. tr. 3. D. 6. p. 5. n. 10. Cubas. T. 1. l. 1. c. 8. n. 5. Barb. Alleg. 35. n. 19. Roac. p. 54. q. 6. Holzm. t. 1. p. 99. n. 491. Elbel t. 1. p. 147. n. 442. et Salm. de Leg. c. 5. n. 45.* ac probabile putat *Bonac. eod. tit. D. 1. q. 2. p. 2. n. 18.* Ratio, quia ex una parte, licet dispensatio hujusmodi impedimentorum sit Papæ reservata, tamen, cum reservatio sit odiosa, strictè est interpretanda et restringenda tantum ad casus certos, prout diximus in simili n. 600. Ex alia parte sat probabiliter potest Episcopus dispensare in tali dubio, tum ex *c. Nuper. 29. de Sent. excomm.* ubi: « Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. » Ibiq; sic addit Glossa: « Et hoc est argumentum, Episcopus posse dispensare ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur, quod non est prohibitum. » (Vide dicta *T. 1. l. 1. n. 191.* et infra hoc *l. 6. n. 980. v. Sed dub.*) Et hoc approbant etiam *Sporer p. 4.*

*c. 4. n. 22. Elbel de Matr. n. 474. et Roncagl. de 5. Prac. c. 2. 7. 61.* tum quia, cum in casibus, qui frequenter occurrunt, possit inferior dispensare in lege Superioris (ut diximus cum communi *l. 1. n. 190.*), bene poterit Episcopus in impedimentis dubiis dispensare, eo quod in iis frequenter contigit dubitare de indigentia dispensationis.

905. — Quær. IV. An matrimonio jam inito, liceat contractibus petere aut reddere in dubio de ejus valore; certum est quod durante dubio, sive dubium antecesserit Matrimonium, sive ei supervenerit, conjux dubitans ante diligentiam adhibendam ad dubium vincendum non potest repetere, sed potest, et tenetur reddere alteri petenti in bona fide; id patet ex *c. Dominus, de Sec. nupt.* ubi dicitur: « Sanè super Matrimoniis, quæ quidam » ex vobis ( nondum habita obeuntis conjugis certitudine ) con- » traxerunt; id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas » nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita » migraverit conjux ejus. Si verò aliquis hoc non servavit, et de » morte conjugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei quæ sibi » nupsit, debitum non denegat postulanti, quod à se tamen noverit » nullatenus exigendum. » Et hujus ratio patens est, quia in dubio nemo privandus est suo jure certo quod bona fide possidet, ut communiter docent DD. cum *Sanch. l. 2. D. 42. n. 112. Salm. c. 15. n. 48. Conc. p. 383. n. 5.* et alii passim. Idem ait *Pontius l. 10. c. 15. n. 8.* sed hic diversam assignat rationem, dicens ideo teneri dubitantem reddere debitum petenti, quia de duobus malis minus est eligendum, juxta *c. Duo mala. Dist. 13.* Minus autem malum est in dubio reddere quam non reddere, quia non reddendo, est periculum injustitiæ; reddendo verò, tantum fornicationis, quæ est minus malum quam injustitia. Sed hæc ratio non subsistit; nam si possessio secundi viri non præberet ipsi jus petendi, non evitaretur majus malum injustitiæ, quam *Pontius* supponit, dum adhuc mulier illa se committeret periculo injustitiæ, nempe irrogandi injuriam primo viro, si forte vivat. Unde necessario recurrendum ad primam rationem, nempe ad jus certum possessionis quod habet secundus vir, quod præferri debet juri incerto primi viri, cum de ejus morte dubitetur.

Semper igitur ac mulier non est certa de vita primi viri, tenetur reddere secundo viro petenti; et hoc etiam adsit opinio probabilis pro invaliditate secundi Matrimonii, et nulla pro valore, quia secundus vir non potest expoliari suo jure certo, nisi habeatur certitudo de vita primi viri, ut rectè docent *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 3. §. 3. Croix l. 6. part. 3. n. 300. cum Card. Merolla, et Brezero, ac Sanch. l. 2. D. 44. n. 3. cum Soto, Navar. Palud. Sylv. Ang. Led. Conrad. Henr. Man. etc.* Idem clarè probatur ex *cap. Inquisitioni, de Sent. excomm.* ubi sic habetur: « Inquisitioni tuæ respondentes credimus distinguendum, utrum alter » conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, an non sciat » pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicati- » onis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale

» commercium peccatum operari mortale. In secundo distingui-  
 » mus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi-  
 » et temeraria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui Pas-  
 » toris consilium ( conscientia levis et temeraria credulitatis  
 » explosa ) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum  
 » conjugale. Verum, cum conscientia pulsat animum ex credu-  
 » litate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta,  
 » debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in  
 » alterutro vel contra legem conjugii, vel contra iudicium con-  
 » scientiæ committat offensam. » Nota illud certo sciat : ergo si  
 » certo non scit, tenetur reddere. Confirmatur ex c. Si virgo.  
 » Caus. 34. q. 2. ubi : « Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si  
 » semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit ; si autem sciat  
 » ( nota ), jam adultera esse incipit. » Ubi recte notat Sanch. l. c.  
 » cum Syloest. to sciat sumi pro certitudine. Idem docet D. Th.  
 » in 4. D. 41. q. unic. art. 5. q. 1. ad 3. ibi : « Aut habet certam  
 » scientiam de impedimento Matrimonii, aut opinionem ; si  
 » primo modo, nec exigere nec reddere debet ; si secundo, debet  
 » reddere, sed non exigere. » Item dicit S. Bonav. in 4. D. 38.  
 » sub finem : « Si certificatur de vita primi viri, nec petere debet,  
 » nec reddere. »

904. — Sed dubit. 1. An contracto matrimonio in bona fide,  
 si dubium superveniat, et adhibita diligentia illud vinci non possit,  
 liceat dubitanti non solum reddere, sed etiam petere. Prima  
 sententia negat, et hanc tenent Navar. c. 12. n. 54. Conc. p. 382.  
 n. 3. item P. Soto, Medina, Sylo. et Conrad. ap. Sanch. l. 2. D. 42.  
 n. 45. Et hujus sententiæ videtur certo etiam esse D. Th. in 4.  
 D. 38. in expos. littera, ibi : « Si oriatur dubitatio de vita prioris  
 » viri, ex aliqua causa quæ etiam certitudinem facere possit, non  
 » debet reddere nec exigere debitum ; si autem illa causa fecit  
 » probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere. »  
 » Idem sentit S. Bonav. in dict. D. 38. sub finem dicens : « Si  
 » probabiliter dabitur, debet debitum reddere, sed non exigere. »  
 » Id probant ex dicto c. Inquisitioni, mox supra allato, ibi : « Verum,  
 » cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et dis-  
 » creta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem red-  
 » dere potest, sed postulare non debet. » Secunda vero sententia  
 » longè communior, et probabilior affirmat, et hanc tenent Sotus  
 » de Just. l. 4. D. 5. art. ult. in fine, Lugo eod. tit. D. 17. n. 88.  
 » Pal. de Spons. D. 3. p. 4. §. 9. n. 6. Laym. de Conscien. c. 5.  
 » §. 3. n. 24. Wigandt. tr. 6. n. 59. Conink. D. 34. dub. 10. n. 105.  
 » Holz. n. 466. Ranc. pag. 185. q. 6. R. 2. Fill. tract. 10. c. 9. n. 343.  
 » Habert t. 7. p. 827. q. 4. Diana p. 3. tr. 4. R. 295. cum Valent.  
 » et Vill. Salm. c. 15. num. 46. cum Reg. et Henrij. Bon. p. 4. n. 5.  
 » cum Rodr. Croix l. 6. p. 3. n. 302. cum Suar. Less. et Boss. ac  
 » Sanch. l. 2. D. 41. n. 46. cum Led. Lop. Bann. Veracr. et proba-  
 » bilem tenent ib. Canus, Victor. et Manuel. Ratio, quia qui  
 » Matrimonium bona fide contraxit, non est privandus suo jure,  
 » quod possidet petendi, donec constet de impedimento ; licet enim,

superveniente dubio suspendatur jus possessionis usquedum ve-  
 ritas inquiratur, dubio tamen remanente post diligentiam, cum  
 ignorantia sit tunc invincibilis, manet possessio pro valore Ma-  
 trimonii, et consequenter pro illius usu : possessor enim bona  
 fidei sicut post diligentiam potest rem retinere, sic etiam potest  
 illa uti. Hæcque ratio bene confirmatur ex c. Laudabilem, de  
 rigid. et malef. ubi in dubio de valore Matrimonii, propter du-  
 bietatem impotentiae Conjugum ad copulam, conceditur eis spa-  
 tium triennii ad debitum petendum ; in tantum igitur conceditur  
 eis licentia petendi in tali dubio, in quantum Conjuges bona fide  
 contraxerunt, et ideo possident jus petendi, donec per experi-  
 mentum triennii fiat certum impedimentum impotentiae. Ad tex-  
 tum autem citatum in c. Inquisitioni, præfati AA. multipliciter  
 respondent : Lugo de Just. D. 17. n. 88. dicit quod Pontifex ibi  
 loquatur de casu quo Coniux habeat probabilitatem tantum de  
 invaliditate Matrimonii, et nullam pro valore. Alii vero com-  
 muniùs et rectiùs, ut Sotus loc. cit. Sanch. mun. 53. et Pal. n. 6.  
 cum Conink. respondent, quod textus intelligatur vetare peti-  
 tionem, antequam diligentia adhibeatur ; secus vero post dili-  
 gentiam ; tunc enim ( ut supra jam dictum est ) Coniux manet in  
 possessione sui juris, practicè deposito dubio per principium illud  
 reflexum, quod in dubio melior sit conditio possidentis. Et revera  
 textus, dicendo non posse Conjugem opinantem petere, supponit  
 eum non adhuc sibi efformasse iudicium practicum conscientiae,  
 dubium deponendo, cum subdat non posse petere : « Ne in alter-  
 » utro vel contra legem conjugii, vel contra iudicium conscien-  
 » tiæ committat offensam. » Hinc apparet quam necessarium sit  
 in moralibus admittere quod liceat deponere dubia per principia  
 reflexa ; his enim negatis, nulla apparet ratio cur licitum sit ( ut  
 licitum jam ibi declarat Pontifex ) Coniugi dubitanti de morte  
 prioris Conjugis debitum reddere postulanti. Rectè autem ad-  
 vertit Sanch. n. 48. non posse dubitantem reddere debitum in  
 primo bimestri ante præmissam diligentiam, etiamsi petens sit  
 in bona fide, quia eo tempore alter non habet jus petendi. Et  
 idem dicendum, si alter petens per incestum, vel adulterium sit  
 privatus jure petendi.

905. — Dubit. 2. An, contracto Matrimonio in bona fide,  
 Coniux habens rationem probabilem pro invaliditate Matrimonii  
 et nullam pro valore, possit petere post adhibitam diligentiam ?  
 Prima sententia negat, et hanc tenent Sanch. l. 2. D. 41. n. 3 et  
 43. n. 2. Lugo de Just. D. 17. n. 88. Salm. c. 15. n. 49. Sporer  
 de Consc. n. 77. Bon. q. 4. p. 5. n. 13. Reg. et Gutt. ac Viva  
 7. 7. art. 3. num. 11. qui vocat eam communem. Hi dicunt con-  
 jugem taliter opinantem teneri ad reddendum alteri qui bona  
 fide contraxit, sed petere non posse. Ratio, quia possessio suffra-  
 gatur dubitanti, non autem habenti assensum opinativum tantum  
 pro nullitate Matrimonii. Secunda vero sententia satis probabilis  
 affirmat, et hanc tenent Pal. de Spons. D. 3. p. 4. §. 9. n. 6.  
 cum Conink et Croix l. 6. p. 3. n. 302. Hi enim dicunt conjugem

non interdicti à petendo post diligentiam, dubium deponendo, et conscientiam sibi formando ex eadem regula dicta ut supra, nempe quòd nemo sit privandus jure suo certo quòd possidet bona fide, nisi certò probetur quòd nullam jus habeat, ut dicunt in terminis de Matrimonio *Anaclet. de Matr. D. 13. q. 6. n. 85. cum Henriq. ac Cardenas, Merola, et Bresser. apud Croix, n. 300.* atque fatetur ipse *Sanch. l. c. n. 3.* In hoc enim differre videtur qui bona fide ab eo qui mala fide contraxit; nam possessor malæ fidei non potest petere, ut dicunt *Sanch. l. 2. D. 42. n. 2. Spor. d. num. 77. et Salm. c. 15. n. 48.* nisi habeat certitudinem, vel saltem probabilitatem pro valore Matrimonii (quamvis non desint DD. qui tuentur, tunc enim sufficere, si post diligentiam, dubium deponatur, ut videbimus in Dubio sequenti); possessor autem bonæ fidei post diligentiam factam petere potest; semper ac non constat de nullitate Matrimonii, quia possessio præbet ei jus certum petendi, quòd prævalet cuicumque probabilitati oppositæ: probabilitas enim, cum sit opinativa, et consequenter semper includat formidinem in opinione contentam, auferre nequit legitimam præsumptionem validitatis Matrimonii, ortam ex ipsa possessione conjugii bona fide contracti. Vide quæ in simili casu diximus *T. 1. l. 1. n. 84.* Id confirmatur ex *c. Laudabilem de Frigid. et malef.* ubi in dubio de impotentia conceditur Conjugibus usque ad triennium experiri; etenim peto, si post biennium Conjux non adhuc potuerit consummare, nam est probabile Matrimonium esse validum? Certè quidem est improbabilissimum; et è converso probabilissimum est tunc esse nullum: et tamen, hoc non obstante, possunt Conjuges pergere ad experiendum usque ad finem triennii; rogo, qua ratione? non utique alia, nisi quia Matrimonium non est adhuc certè nullum, neque illi sua possessione adhuc sunt expoliandi. Præterea, ipsimet adversarii concedunt Conjugem opinantem teneri ad reddendum, etiamsi adsit probabilitas tantum de nullitate Matrimonii; nec id negare possunt, cum id expressum sit in *c. Inquisitioni sup. citato.* Et ratio est quidem, quia nemo expoliandus est sua legitima possessione, donec constet de nullitate sui juris. Sicut ergo, non obstante unico illo assensu opinativo pro nullitate, non potest Conjux dubitans alteri debitum negare, ne privet cum sua certa possessione; ita post diligentiam non tenetur ipse ex illa sua conscientia tantum opinativa se expoliare certa sua possessione, nisi certus sit, quòd nullum jus sibi competat. Dicitur autem ex *conscientia tantum opinatio*, quæ formidinem includat, et ad certitudinem non pertingat, nam si Conjux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate Matrimonii, ut fundent de ea moralem certitudinem, tunc certè nec petere, nec reddere potest. Item rectè advertit *Croix n. 301. etc. cum Card.* quòd dubitans, si adhuc spem prudentem habet inveniendi majorem certitudinem, tunc nequeat petere, quia cum dubium adhuc est vincibile, non potest uti jure petendi.

906. — Dubit. 3. An, contracto Matrimonio cum dubia fide

de impedimento, possit dubitans post diligentiam petere debitum, dubio adhuc perseverante? *Primo* sententia communior negat, et hanc tenent *Pal. D. 3. p. 4. n. 6. Ronc. p. 185. q. 6. R. 2. Salm. c. 15. n. 48. Bon. p. 4. n. 10. cum Conink. Fill. etc. ac Sanch. l. 2. D. 42. n. 2. cum Nav. Sylvest. etc.* Probatur ex *c. Dominus, de Sec. nupt.* ubi dicitur contrahens in mala fide minimè posse petere. Probatur 2. ratione, quia nemo potest uti re quam mala fide incæpetè possidere; unde si non potest dubium deponere, nunquam petere potest. *Secunda* verò sententia satis probabilis affirmat, eamque tenent *Holzm. p. 355. n. 466. Elbel, p. 404. n. 146.* Ratio, quia esto dubitans non possit deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen deponere ex aliis principiis, nempe primò, quia in dubio standum est pro valore actûs, ut habetur in *l. Quoties, ff. de reb. dub.* Secundò, quia, cum Matrimonium sit causa favorabilis, in dubio standum pro ejus valore, ut probat ipse *Sanch. l. 1. D. 18. n. 6. cum Cov. Lopez et Menoch.* eò quòd sicut in foro externo in dubio judicandum est pro valore Matrimonii, juxta communem sententiam ibi ex *c. fin. de Sent. et re judic.* ita etiam judicandum in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non innititur falsa præsumptione. Nec obstat textus oppositus in *d. cap. Dominus*, quia ibi sermo fit de contrahente cum dubio de morte prioris Conjugis, quo casu certum est dubitantem non posse petere, donec constet de illius morte; nam alias potius est jus prioris Matrimonii. Hoc tamen procedit respectu ad Conjugem, qui contraxit cum dubia fide; secus verò quoad Conjugem qui contraxit cum bona fide, ut diximus *n. 904.* Communiter autem dicunt *Sanch. l. 1. D. 42. n. 8. Bon. p. 4. n. 10. Boss. t. 2. c. 2. n. 41. Spor. de Consec. n. 77. Ronc. l. c. et Salm. c. 15. n. 48. cum Dic. et Croix n. 299. cum Schilder. Avers. etc.* quòd etiam contracto Matrimonio cum dubia fide possit dubitans petere, si Matrimonium reputetur probabiliter validum, etiamsi probabilius sit esse nullum, ut dicunt *Sanch. et Sporer.* At hoc minimè admittendum; nam in dubio de morte prioris Conjugis, sive Nuptiæ sint initæ cum bona fide, sive cum dubia fide, nunquam Conjux dubitans petere poterit, nisi de Morte prioris Conjugis habeatur certitudo, aut saltem tanta præsumptio, quæ moralem certitudinem statuat. Alias, si tantum probabilitas de morte habeatur, nequit unquam Conjux ille dubitans petere, tum quia tunc remanet probabile periculum injuriæ prioris Conjugis, juxta dicta *Tom. 1. in Tract. de Conscientia*, quem ipse condidi; tum quia eo casu possidet prius matrimonium, donec constet fuisse solutum.

907. — Dubit. 4. An in dubio positivo de valore Matrimonii, putà si dubitetur de impedimento, vel de consensu prædito, et simili, judicandum sit in favorem Matrimonii contracti? In foro externo procul dubio affirmandum, ut communiter docent DD. Vide *Sanch. l. 1. Disp. 18. n. 5.* Sed in foro conscientie negant aliqui, eò quòd in dubio possidet libertas ab onere Matrimonii. Sed verius est oppositum, ut tenent *Sanch. n. 6. Pontius lib. 8. c. 2. n. 16. Elbel. n. 146. et Tamb. Dec. l. 1. c. 3. v. Matr. n. 7.*

cum Covar. Menoch. et communi. Ratio, quia, licet Matrimonium sit tantum probabiliter validum, tamen certa est ejus possessio; donec non constet de nullitate, cum in dubio (ut diximus) semper judicandum sit pro validitate actus ut dicunt Palus tr. 28. D. 3. p. 4. §. 9. n. 4. Busemb. Elbel l. c. et Croix l. 6. p. 3. n. 298. ex l. Quoties ff. de reb. dub.

908. — Ad dignoscendum autem, quomodo quis possit esse certus, vel probabiliter dubitare de nullitate Matrimonii, tres regulæ dantur; Prima est, quod ordinariè loquendo, non tenetur Conjux credere alteri asserenti se fictè consensisse, etiamsi id affirmet cum juramento, ex c. Per tuas, de Probationib. et c. Cum à nobis, de Testib. et attest. ubi: « Nimis indignum est, ut quod quisque sua voce protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare. » Dicitur, ordinariè loquendo: nam aliter dicendum, si ex circumstantiis, aliter censendum esset, puta si Conjux ille sit in articulo mortis, si non soleat pejerare, vel si sit persona pia, et vellet separari, aut Religionem ingredi, etc. tunc enim alter habet sufficiens motivum prudenter dubitandi; ita Bonac. p. 4. n. 19. Dian. 3. p. tr. 4. R. 2. Sanch. l. 2. D. 43. num. 3. cum Soto, Adriano, Palud. Sylvest. Nav. Ang. etc. ac Salm. c. 15. num. 52. cum Val. Dic. Verner. et Led.

Secunda regula est, quod si quis audiat à personis non fide dignis, vel ex fama à nullo auctore certo exorta, adesse impedimentum, licitè potest Matrimonium contrahere, aut post contractum reddere et petere debitum; quia talis fama, aut dictum non habetur ut ratio prudens dubitandi; Sanch. num. 29 et 32. ex c. Si duo 35. q. 6. item Salm. n. 52. cum Sylo. et Bonac. l. 6. n. 20.

Tertia regula est, quod dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo auctore (ut dicunt Sanch. n. 25. Dic. Sylo. et Salm. n. 54.) sufficit, ut quis teneatur veritatem inquirere, et interim abstinere à petendo debito; quia, cum talis ignorantia tunc sit vincibilis, in dubio non potest operari. Non sufficit tamen hoc, ut teneatur debitum negare; quia licet possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, quantumvis fide digno, qui non inducit necessitatem credendi, maxime in sui præjudicium, ex cap. Cum à nobis de Testib. etc. Salm. d. n. 54. Post autem adhibitam diligentiam bene potest reddere et petere, ut dicunt iidem Salm. n. 28. cum Nav. Sylo. Ang. et Lopez.

909. — « III. Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut sanitatis: Nisi tamen sit causa gravis, cui damnum corporale videatur postponendum, v. g. periculum incontinentiæ in se, vel conparte; Bon. p. 6. n. 8. Perez d. 50. s. 4. n. 5. »

Dubit. 1. An liceat petere cum periculo sanitatis, nempe si alteruter Conjugum laboret lepra, morbo gallico, phthisi, aut alio morbo contagioso? Per se loquendo non licet, cum nemo sit dominus suæ vitæ, aut salutis; Attamen probabiliter Bus. ut supra cum Bonac. et Perez, ac Sanch. l. 9. D. 24. n. 23. cur

Cajet. P. Soto, Graff. item Boss. c. 1. n. 195 et 209. cum Pont. Laym. et Reg. dicunt, quod si morbus esset diuturnus, et non proximè tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre, ut esset pestis, aut lepra leonina (qua frustatim membra decidunt), tunc non erit illicitum sano petere, si aderit justa causa, nimirum fovendi amorem conjugalem, aut vitandi incontinentiam in se vel in altero, quia alias esset valde onerosum tandiu abstinere ab usu conjugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiæ. Advertendum tamen quod Conjux infectus morbo gallico, aut simili contagioso, non poterit petere ab altero inscio, nisi vitium suum illi manifestet, et manifestando possit alter remediis occurrere morbo; imò nec etiam poterit reddere nisi certiore facto sano. Hinc bene ait Bossius c. 1. n. 180. quod dupliciter peccaret, qui laborans morbo gallico fornicationem committeret; et insuper teneretur compensare expensas pro curatione; Probabiliter tamen ab hac compensatione excusat fœminas, nisi ipsæ requisitæ fraudulenter suum morbum tegerent. Non potest igitur Conjux infectus tunc reddere, nisi morbum manifestet. Cæterum verò non tenetur manifestare, quia non tenetur cum tanto detrimento suæ famæ conjugale debitum præstare: In omnibus enim contractibus gravissimum incommodum in solutione excusat à debito reddendo, ut ait Tamb. l. 7. Decision. c. 3. §. 5. n. 13. cum Soto, juxta dicenda in simili casu n. 944.

910. — Non licet autem petere statim à balneis, vel à sectione venæ; nam, ut dicunt Sanch. l. 9. d. 24. n. 5. Bon. q. 4. p. 1. n. 4. et Boss. c. 1. n. 171. cum S. Ant. et Fill. coitus eo tempore est notabiliter periculosus. Idem dicunt Bon. l. c. Pont. l. 10. c. 14. n. 3. Sanch. n. 3. et Boss. n. 170. cum aliis de laborante febri. Idem ait Croix de viro coeunte cum uxore laborante gonorrhœa, scilicet profluvio seminis, dicto fluxu albo; sed quidam Medicus mihi asseruit minimè nocere talem copulam neque viro, neque mulieri. Præterquam quod non videtur copula tunc prohiberi, cum hujusmodi fluxus soleant esse fere perpetui, unde grave incommodum esset Conjugibus tandiu abstinere ab usu Matrimonii, prout dictum est de muliere laborante menstruo innaturali; vide dicenda n. 925. Excipiendum tamen, nisi fluxus sit maleficus; et tunc etiam excusatur coitus, si adsit periculum incontinentiæ tam in petente, quam in redente, juxta mox dicta n. præced. Vir autem laborans fluxu seminis semper licitè potest petere, quia coitus nullum affert damnum nec ipsi, nec uxori, nec proli; ita Sanch. l. 9. D. 11. n. 9.

Videtur etiam non licere petere statim post prandium, dum iniquit Pontius lib. 11. c. 14. n. 3. Bonac. quæst. 4. p. 1. num. 6. Boss. c. 1. n. 171. cum Palud. et Sanch. l. 9. d. 24. n. 4. cum Vega. Conjuges sæpe excusari à reddendo in tali tempore, eò quod coitus soleat tunc afferre grave damnum, ob ciborum cruditatem, vel corruptionem quam causat. Refertque S. Anton. p. 1. tit. 1. l. 16. §. 10. quemdam propter hoc in phthisim incidisse. Sed dico,

quod si hoc esset verum, omnes fere Conjuges phthisici evaderent. Medici autem, quos consului, et experientia negant in hoc grave damnum adesse. Hinc non audeam damnare Conjugem post prandium petentem, cum isti communiter post prandium vel cenam soleant coire. Neque contra excusarem hac ratione Conjugem à reddendo, nisi experientia constaret, quod tali coitu ipsi, vel alteri notabile damnum provenerit; alias certum est ipsos teneri ad reddendum etiam cum aliquali seu levi impedimento, juxta dicenda n. 950. v. *Quæritur*.

911. — Dubitatur 2. An liceat debitum petere tempore lactationis? Alii negant; ut *Butrius*, et *Alex. de Neoo ap. Boss. c. 1. n. 213.* Imò *Tiraq.* et alius Auctor ap. *Sanch. l. 9. D. 22. n. 13.* dicunt esse mortale; tum quia in *cap. fin. Dist. 5. D. Gregor. dicit*: « Adejus verò concubitus vir accedere non debet, » (debet, non autem decet, ut refert *Sanch.*) quousque qui gignitur abluetur; tum quia in tali coitu est timor nocuenti proli, si uxor concipiat. Communissimè verò affirmant licere *Pal. p. 4. n. 14. Bon. p. 1. m. 11. Pont. l. 10. c. 14. num. 9. Salm. c. 15. n. 79. Croix n. 326. Holz. n. 465. Elbel num. 390. Sanch. l. c. n. 14. cum Ricch. Turrecr. Rosell. etc. ac Boss. c. 1. numer. 214. cum Con. Fill. Hurt. Leand. Vill. etc.* Ratio, quia non extat lex prohibens: textum enim *D. Gregorii*, aiunt *Sanch. num. 16. Holzm. loc. cit. et Boss. num. 125.* esse solùm de consilio; item, quia periculum inficiendi lac, teste experientia, rarum est; saltem non tantum, ut teneantur Conjuges tanto tempore abstinere ab usu conjugii, cum continuo periculo peccandi. Excipiunt tamen *Pontius l. c. et Bossius n. 215.* si Conjuges sint valde pauperes, et prudens adsit timor de gravi damno proli; tunc enim (ut dicunt) neuter tenetur reddere, imò nec potest petere, etiamsi sit periculum incontinentiæ, quia non licet sibi consulere cum damno innocentis, cum alia suppetant media ad incontinentiam sedandam. Verùm *Sanch. n. 15.* eo casu excusat quidem Conjuges à reddendo (ut excusat etiam *Bonac. d. n. 11.*), sed non audeat damnare exigentem, dicens quòd tunc vel alia via ipse poterit proli consulere, vel erit justa causa ipsam periculo exponendi, ne tandiu Conjuges cogantur abstinere cum tanta difficultate. An autem Conjuges peccent, respectu proli, petendo tempore prægnationis, vel menstrui aut purgationis post partum? Vide dicenda n. 924. 925 et 926. Et quid si Conjuges laborent lepra? Vide num. 950. An autem liceat coire tempore menstrui? Vide n. 925.

912. — « IV. Si fiat pravo fine, v. g. tantum voluptatis causa » quod tamen Doct. communiter, ut *Sanch. l. 9. n. 11. Bon. q. 4. p. 6.* censent esse tantum veniale, contra *Pontium*, qui vult esse nullum, nullum autem erit, si delectatio non quæsita sentiatur, vel ad eam se excitent, quando copula debita redditur. *Sanch. l. 9. d. 11. etc.* Vide etiam *Dian. p. 3. t. 4. R. 216. Bon. p. 6. M. Perez d. 46. s. 2. n. 6.*

Certum est esse illicitum habere copulam propter solam voluptatem, ut patet ex Prop. 9, damnat ab Innoc. XI quæ dicebat:

« Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. » Commune tamen est apud omnes, id non esse mortale, sed tamen veniale peccatum: ita *Sanch. l. 9. D. 11. num. 4. Pont. l. 1. c. 21. n. 6. et 11. Boss. c. 7. n. 63.* et alii pasim, ex *D. Th. Supp. q. 64. a. 6.* ubi expressè id docet. Et ratio, cur non sit mortale, est, quia delectatio de aliquo objecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis, vel quia objectum ipsum est graviter vetitum, vel quia homo delectatur de illo tanquam ultimo fine; sed in hac delectatione neutrum intervenit: non primum ut patet, non secundum ut supponitur. Non excusatur autem à veniali, quia est perversio quædam ordinis, cum delectatio quæ intenta est à natura ut medium ad generationem, sit finis habendæ copulæ. Nullum autem erit peccatum, ut rectè aiunt *Croix n. 296. et Viva de Matr. q. 3. a. 2. n. 4.* si Conjuges principaliter intendat procreationem proli, et utatur voluptate (eam moderatè intendens), ut se excitet ad copulam; sicut pariter minimè peccat, qui intendit moderatam delectationem in comedendo, ad præstandum corpori conveniens alimentum.

913. — « V. Si exerceatur mente adultera, ut si, dum accedit » ad suam, imaginetur aliam, ut animum pascat, quod est mortale. *Sanch. Bonac. p. 6. n. 7.* »

Excusant autem à mortali *Sanch. l. 9. D. 16. n. 16. et Spor. n. 505.* conjugem qui se excitaret ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personæ, sed absque affectu turpi; at merito dicunt hoc esse valde periculosum, et non permittendum. Sicut nec etiam permittendum puto cum *Diana apud Spor. l. c.* se excitare ad coitum, respiciendo ad imagines diversi sexus: maximè si essent sacræ, quod rectè aiunt *Croix n. 329. et Spor. esse mortale, propter gravem irreverentiam.*

914. — An autem liceat Marito delectari de copula aliena cogitata, ut se excitet ad coitum cum uxore? Ex una parte videtur negandum, cum objectum, de quo delectatur, sit per se turpe. Ex alia non videtur damnandum talem Conjugem, cum ideo solutis est illicita spectatio concubitus humani, sive delectatio de visu cogitato talis concubitus, quia in tali visu vel delectatione adest proximum periculum commotionis spirituum generationis deservientium; et cum ipsis copula sit prohibita, consequenter etiam est vetita commotio spirituum; Conjugatis autem, cum eis jam permessa sit copula, non videtur vetita saltem sub gravi talis commotio spirituum, quamvis ipsa ex delectatione illa oriatur. Hanc tamen cogitationem, si esset de copula inter personas determinatas, non excusarem à mortali, ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjugate aliena. Cæterum, quia hoc dubium apud nullum inveni discussum, Sapientibus remitto decernendum. Illud autem, quod probabile putat *Arriaga de Peccat. D. 47. n. 16.* nempe licitum esse Marito delectari de copula cogitata inter ipsum et alienam, dico cum *Croix n. 331.* omnino rejiciendum, cum talis delectatio sit de objecto intrinsecè malo, et ipsi Conjugi omnino vetito.

913. — « VI. Si fiat modo indebito, v. g. i. Si non servetur vas naturale: quod multi docent esse veram sodomiam, alii esse grave peccatum contra naturam; V. 6. *Præcep.* 2. Si sine justa causa situs sit innaturalis, præposterus etc. quod aliqui dicunt esse mortale, alii, secluso periculo effusionis seminis, veniale tantum, etsi grave, et graviter increpandum. *Dian. part. 3. t. 4. Res.* 204. 3. Si alter conjugum ex morositate, vel alia ratione seminationem cohibeat: quod quidam generant dicunt esse mortale, quia finis actûs conjugalis, scilicet generatio, impeditur: quidam tamen, ut *Præp. et Sanch.*, dicunt in femina nullum esse. Vide *Bon. p. 6. n. 15. et p. 1.* »

916. — Quær. I. An peccet mortaliter vir inchoando copulam in vase præpostero, ut postea in vase debito eam consummet? *Negant Nao. l. 5. consil. de Pœnit. Cons. 7. ac Ang. Zerola, Graff. Zanard. et Gambac. ap. Dian. p. 2. t. 17. R. 37.* modo absit periculum pollutionis; quia aliàs (ut aiunt) omnes tactus etiam venerei non sunt graviter illiciti inter conjugatos. Sed communiter et verius affirmant *Sanch. l. 1. D. 17. n. 5. Pont. l. 10. c. 11. n. 5. Pal. p. 4. §. 2. n. 6. Bon. p. 11. n. 12. Spor. n. 497. Tamb. l. 7. c. 3. §. 5. n. 31. et Boss. c. 7. n. 174. cum Fill. Perez, Aversa, Fagund. et Leand.* Ratio, quia ipse hujusmodi coitus (etsi absque seminatione) est vera sodomia, quamvis non consummata; sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienæ est vera fornicatio, licet non adsit seminatio. An autem sit mortale viro perfricare virilia circa vas præposterum uxoris? *Negant Sanch. n. 5. et Boss. n. 175. cum Fill. et Perez,* quia tangere os vasis præposteri non est ordinatum ad copulam sodomiticam. Sed verius pariter affirmant *Pont. l. c. Pal. n. 6. Diana p. 4. tr. 4. R. 104. et p. 5. tr. 7. R. 7;* item *Fag. Leand. etc. ap. Boss. l. c. atque Tamb. n. 32.* (qui testatur ab aliquibus codicibus sententiam Thomæ Sanch. esse deletam: imò *Moya* asserit ipsum Sanch. se retractasse in editione Antverpiensi anni 1614.) Ratio est, quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico.

917. — Quær. II. An et quomodo peccent Conjuges coeundo situ innaturali? Situs naturalis est, ut mulier sit succuba, et vir incubus; hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis, et receptioni in vas fœmineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel præpostere more pecudum, vel si vir sit succubus, et mulier incuba. Coitum hunc, præter situm naturalem, alii apud *Sanch. l. 9. D. 16. n. 2.* genericè damnant de mortali; alii verò dicunt esse mortale ultimos duos modos, dicentes ab his ipsam naturam abhorreere. Sed communiter dicunt alii, omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio, quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta, ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentalia copulæ; ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu

descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit; ita *S. Anton. 3. p. tit. 2. c. 2. §. 3. in fine cum Alb. M. Nao. c. 16. n. 42. Pont. l. 10. c. 11. n. 1. Pétroc. t. 4. p. 445. v. Tertius casus. Salm. c. 15. n. 73. Boss. c. 7. n. 68. Holzm. n. 458. Sporer n. 493. Ronc. p. 184. q. 4. Croix n. 332. Pal. de Sponsal. D. 3. p. 4. §. 3. n. 1. cum Sa, Tolet. Hurt. Coninch. et Henr. ac Sanch. l. 9. D. 16. n. 3. cum Gerson, Cap. P. Soto, Dom. Soto, Sylo. Arm. Vict. etc.* Et aperte favet *D. Th. in 4. D. 31. in fin. in exp. litt.* ubi sic ait: « Sed in secundo modo (nempe mutando situm naturalem) non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalitatis concupiscentiæ. » Ergo ex *D. Thoma* mutatio situs per se non est mortalis, sed potest esse mortalis ex prava concupiscentia, patè ex affectu bestialitatis, vel sodomiæ, vel si hujusmodi voluptas habeatur ut finis ultimus. Hinc communiter dicunt præfati AA. cum *Conc. p. 403. n. 2.* Conjuges minime peccare, si mutant situm ex justa causa, nempe ob ægritudinem, vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortûs, aut scândali aliorum, idque expressè dicit Angelicus *l. c.* ubi subdit: « Quandoque sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur: aliàs tantò est gravius, quantò magis à naturali modo receditur. » E converso conveniunt omnes (ut asserunt *Sanch. n. 5. Pal. l. c. Boss. n. 171. etc.*) quòd si experientia constaret, quòd mutato naturali situ nihil seminis fœmina retineret ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, ut ait *Palaeus*, tunc esset mortale: secus verò dicit *Sanch.* si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio provenit.

Dicunt autem *Sanch. d. n. 5. Pont. d. c. 11. n. 3. Pal. d. n. 1. et Boss. n. 171. cum Perez, Hurt. et Aversa,* non esse mortale, si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento sufficiente ad generationem; quod dicunt *Sanch. et Bossius* aliquando evenire; imò fere semper evenire aiunt *Pal. et Pontius*, qui testatur sic Medicos asserere. Verùm *Salm. c. 15. n. 74.* hanc opinionem vocant nimis laxam, quia (ut inquit) prodigere semen humanum sine rationabili causa non potest excusari à mortali; certum dicunt ipsi *Salm. l. c. ac Sanch. n. 5. et Spor. n. 493. cum Aversa,* non teneri Confessarium interrogare Conjugem de hoc se accusantem, an semen effusum sit, vel non, quia rarò (ut aiunt) accidit semen effundi; et sic etiam ego pluries audivi ab eis qui apud me in Confessione se accusabant præpostere coivisse. Eos verò qui coeunt stando, vel sedendo, vel muliere incuba, puto esse in majori periculo semen effundendi. Sed per hoc non audeo damnare sententiam *Sanchez, Pontii, Palaei*, et aliorum ut supra; nam possent ipsi *Salman-ticenses* respondere, quòd sine justa causa prodigere semen, sive (ut melius *Salman-ticenses* dicere debebant) permittere ut semen prodigatur, nunquam liceat, quando semen extra vas uxoris effunditur, non verò quando intra immittitur, et per accidens,

non autem ex ipso actu prodigitur; quia tunc matrix, ut dicunt AA. præfati, jam attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum tanquam superfluum expellit. Utrum autem teneatur Coniux reddere alteri petenti debitum situ innaturali sine justa causa? vide dicenda n. 946.

918. — Quær III. An peccent mortaliter Coniuges, si incepta copula cohibeant seminationem? Respondetur: si Coniuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis fœminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter Coniuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis; ita communiter S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6. Pont. l. 10. c. 11. n. 9. Pal. p. 4. §. 3. n. 3. Laym. l. 6. sect. 14. n. 19. Bonac. quæst. 4. p. 6. n. 15. Less. l. 4. c. 3. n. 55. Sporer num. 490. Salm. c. 15. n. 82. cum Aversa, et Dic. Boss. c. 9. num. 58. cum Fill. Hurt. et Perez, ac Sanch. l. 9. D. 19. n. 3. cum Palud. Caj. Ang. Sa, Arm. Tasi, etc. Dixi 1. si ambo consentiunt; nam si alter se retrahit sine alterius consensu certè graviter peccat, ut dicunt omnes AA. præfati. Dixi 2. Per se loquendo; nam sapienter advertit Sanch. l. c. cum Veracruz, id ordinariè esse mortale, quia ordinariè adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi Coniuges experti sint oppositum: quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem à veniali, quidquid dicat Sanch. ib. cum aliis.

Si verò fœmina jam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera à seminatione se retrahere, sine gravi culpa; quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur, communiter dicunt S. Anton. loc. cit. Salm. n. 81. Holm. n. 451. et Sanch. n. 4. cum Palud. Caj. Ang. Sa, et alii passim. Hoc tamen non erit ita intrinsecè malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret à copula ob periculum mortis, vel scandali aliorum: tunc enim licitè potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia hæc per accidens, et præter intentionem eveniret, et contra, non tenetur cum periculo tanti damni generationem procurare; ita communiter Sanch. d. n. 4. Pal. n. 5. Dian. 3. p. tr. 4. R. 204. Boss. num. 60. cum Less. Aversa, et Perez, ac Salm. n. 81. cum Caj. Dicast. Hen. etc. Hæc sunt certa apud omnes.

Si autem vir jam seminaverit, dubium fit an fœmina lethaliter peccet, si se retrahat à seminando? aut peccet lethaliter vir non expectando seminationem uxoris? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Aversa, Hurt. et Ochagao. apud Boss. cap. 9. num. 51. et probabilem putat Dian. p. 5. tract. 14. R. 37. atque videntur coherere Tab. et Arm. apud Sanch. lib. 9. D. 19. n. 5. dum indistinctè dicunt esse mortale, si altero seminante Coniux à seminatione se retrahat. Ratio, quia (ut aiunt) etiam semen mulieris activè concurrat ad generationem, prout censent ex Medicis Hippocrates, Galenus, Valesius, et Petrus Matha apud Sanch. l. 2. D. 21. n. 11. et ex Theologis Suar t. 2. in 3. p. D. 10.

sect. 1. v. Secundò infertur, ubi ait: « Semen maternum simpliciter necessarium est ad concipiendum filium. » Item D. Bonao. et Major apud Boss. d. n. 60. ac Caj. Abul. et plures alii ap. Sanch. l. c. et ipsi Sanch. et Boss. hanc opinionem satis probabilem putant; saltem (ait Boss.) semen mulieris juxta omnes valde confert prolis perfectioni, cum ad hoc saltem fuerit à natura institutum. Secunda verò sententia communior negat, et hanc tenent Sanch. l. 9. D. 19. num. 5. Pont. l. 10. c. 11. n. 2. Bon. p. 6. n. 14. et Salm. c. 15. n. 80. cum Caj. Henr. Dic. Veracr. etc. Hi contrario nituntur fundamento, nempe quòd semen mulieris non sit necessarium ad generationem, ut asserunt Aristoteles, Avicenna, Galenus sibi contrarius, ac Hugo Senensis, et Alb. M. apud Sanch. l. 9. D. 17. n. 9. qui ait hanc esse sententiam communem Theologorum, exceptis Scotistis. Nec obstare dicunt AA. hujus secundæ sententiæ, quòd semen fœminæ conferat perfectioni prolis; nam respondent, quòd non teneantur Coniuges ad convenientiorem modum generandi, sed satis est si generationi non obstant. Quamvis autem dicant præfati AA. non teneri virum expectare seminationem mulieris, si ipse jam seminaverit; concedunt tamen ei posse continuare copulam, usque dum seminet fœmina, quia hoc pertinet ad complementum copulæ uxoris, ut censent Pont. et Dian. ll. cc. Bon. n. 14. cum Caj. et Sanch. d. 17. n. 11. cum Tab. et Graff. contra Henr. (ap. Bon. l. c.) qui sentit virum non teneri expectare seminationem fœminæ, quia periculum est ut hoc pacto impediatur generatio, quòd non videtur satis probabile, nec coherens; nam si adesset tale periculum, non debuisset dicere non teneri, sed non posse, quòd nemo asserit, nemo enim hoc periculum supponit.

Sed redeundo ad primam quæstionem, esto secunda sententia sit quidem communior et probabilior, ut videtur, censeo tamen cum Boss. l. c. n. 52 primam sententiam esse satis probabilem, et ideo in praxi tenendam. Ratio, quia non licet sequi opinionem probabilem cum damno tertii; cum autem hæc agatur de damno prolis sive generationis adversus naturam quæ jus habet, ut non impediatur generatio, cum ad hoc instituerit actum conjugalem, propterea ubi est periculum impediendi generationem, non licet uti opinione probabili; ubi enim (ut diximus l. 1. n. 33.) agitur non de honestate actionis, sed de veritate rei, illicitum est sequi (ut omnes fatentur) opinionem probabilem pro libertate, adversus aliam stantem pro lege. Hinc neque practicè probabile puto id quòd dicunt Sanch. n. 5. et Spor. n. 491. cum Perez, Escob. Dic. et Gob. nimirum posse mulierem in actu coitus animam ad alia divertere, ne concitetur ad seminationem.

919. — An autem, si vir se retrahat post seminationem, sed ante seminationem mulieris, possit ipsa statim tactibus se excitare, ut seminet? Negant Auctor Addit. ad Wigandt tr. 16. post n. 106. ac Dian. et Rodr. apud Boss. l. 9. n. 54. adhæretque Pal. p. 4. §. 3. n. 6. (dicens id non esse licitum, si mulier posset se continere). Ratio, quia semen mulieris non est necessarium

ad generationem; item quia effusio illa mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. Communiùs verò affirmant *Wigandt tr. 16. n. 103. v. Soloe. Less. l. 4. c. 3. n. 94. Bon. q. 4. p. 6. num. 17. in fin. cum Sanch. l. 9. d. 17. n. 10. Pot. t. 1. c. 4. n. 44. 10. Tamb. Dec. l. 1. c. 3. §. 5. n. 18. Salm. c. 15. n. 80. in fin. cum Dic. Fill. tr. 10. n. 330. Spor. n. 491. Boss. cap. 9. n. 55. cum Aversa, Perez, Fag. et Leand. ac Elbel p. 479. n. 425. cum Cleric. Homob. Dian. Gob. et Bosco*, et non reprobat *Conc. p. 406. n. 11*. Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum conjugalem, qui consistit in seminatione utriusque Conjugis; unde sicut potest uxor tactibus se præparare ad copulam, ita etiam potest actum copulæ perficere: tum quia, si mulieres post saltem irritationem tenerentur naturam compescere, essent ipsæ jugiter magno periculo expositæ mortaliter peccandi, cum frequentius viri quia calidiores priùs seminant (sed hæc ratio non suadet, nam si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret, et vir maneret irritatus; at DD. communiter dicunt id vetitum esse viris, ut *Sanch. n. 10. Wigandt et Bon. l. c.*); tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem, nihil enim à natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus, quæ frigidioris sunt naturæ, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminant in congressu maritali statim habendo; vide *Conc. n. 13*.

920. — « VII. Si in loco indebito, v. g. Sacro, qui inde violetur, vel in loco publico » (*Vide dicta de hoc puncto Tom. 2. l. 3. n. 458. ubi diximus cum Nav. Vasq. Tol. Azor. Con. Pont. etc.* quod licet probabile sit per copulam conjugalem occultam in Ecclesia non committi sacrilegium, neque Ecclesiam pollui, probabilius tamen est oppositum, nisi adsit necessitas, cum *Suar. Sanch. Less. Bonac. Holzm. Croix, Salm. etc.* Etsi eo casu non tenentur Clerici ibi abstinere à divinis officiis celebrandis, nisi concubitus ille habitus publicetur, ut dicunt iidem AA. et probatur in hoc *l. 6. n. 364*, quia Ecclesia non censetur polluta quoad celebrationem Officiorum, nisi crimen sit notorium notorietate facti. »

921. — « VIII. Si absque urgente causa fiat tempore indebito, 1. in magna solemnitate, ut Paschæ, vel pridie communionis. *V. Per. d. 49. s. 2. 2.* Quando uxor est gravida, saltem si sit periculum abortus. *Nav. Sylo. Sanch. Conc. Fill. n. 357.* Hoc enim si non sit, non erit saltem mortale: quod enim tunc sine suo frustretur semen, non sequitur per se ex actu. Unde *Dian. p. 3. tr. 1. R. 204. et Con. d. 34. dub. 9.* nullum peccatum agnoscunt. 3. Quando uxor laborat fluxu menstruo. Quod tamen non esse mortale, contra *Azor. docet Sanch. l. 9. d. 21. n. 2.* Imò aliqui apud *Dian. l. c. ut Pont. l. 10. c. 11 et c. 14. n. 5. et 6.* docent, nec veniale esse, si periculum urgeat, quod *Sanch. l. c.* docet esse probabile; additque *M. Perez*, si ob finem

» honestum fiat, nullum esse, et teneri reddere debitum uxorem » si maritus exigat. Vide *dist. 49. s. 3.* »

922. — Quær. I. An liceat Conjugi coire die Communionis? Vide quæ fusiùs diximus hoc *l. 6. n. 273 et 274.* ubi tenuimus esse veniale accedere ad Eucharistiam die copulæ habitæ ob voluptatem, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Si verò copula est habitata causa procreandæ prolis, vel etiam incontinentiæ vitandæ, tunc est solùm consilii à S. Communionem abstinere, ex *c. Si vir 7. Canus. 33. q. 7.* Et sic pariter est consilii abstinere die quo Conjug reddidit debitum: à quo autem reddendo ordinariè loquendo propter Communionem non potest eximi; nam aliquando potest honestis precibus resistere. Quid autem debeat Confessarius respondere Conjugi interroganti, an teneatur reddere die Communionis? Vide *d. n. 274. v. Quid.* Post verò Communionem sump-tam nullum est peccatum reddere. An autem petere? Alii dicunt esse veniale, alii nullum; vide *ibid. v. Die autem.*

923. — Quær. II. An in diebus festivis, vel jejuniis, aut Rogationum sit illicitus actus conjugalis? Commune est non esse vetitum tunc debitum reddere cum *D. Th. suppl. q. 64. art. 7.* ubi dicit: « Cum mulier habeat potestatem in corpore viri, et è » converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque » tempore, et quacumque hora. » An autem sit vetitum petere? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *D. Th. l. c. a. 1. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 11. Conc. t. 10. p. 395. num. 10. item Mag. Sent. Alb. M. Palud. Gers. Sylo. Tab. etc. ap. Sanch. l. 9. d. 12. n. 3.* Hoc tamen sub culpa veniali, ut ait *D. Th.* cum aliis: non verò sub mortali, ut aliqui improbabiler tenent apud *Sanch.*, quia tempus sacrum « non est circumstantia (ratio S. D.) » trahens in aliam speciem peccati, unde non potest in infinitum aggravare. » Rationem autem, cur sit veniale, assignat idem Angelicus dicens: « Actus matrimonialis, quamvis culpa » careat: tamen, quia rationem deprimit propter carnalem » delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo » in diebus in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non » licet petere debitum. » Secunda verò communior negat esse illicitum, et hanc tenent *Sanch. l. 9. d. 12. n. 5. cum S. Bon. Scoto, Caj. Arm. Soto, Ang. Valent. etc.* item *Pont. l. 10. c. 9. per totum. Pal. p. 4. §. 4. n. 5. Bon. p. 4. p. 6. n. 28. Salm. c. 15. num. 58. cum Henr. Dic. Con. Aversa, Led. etc. ac Boss. c. 7. n. 84. cum Azor. Reg. Fill. Perez, etc.* Ratio, quia id non habetur vetitum ullo jure, non divino, quia in festis sola opera servilia prohibentur; non ecclesiastico, quia diebus festivis et jejuniis, non obstante congressu maritali, bene possunt Conjuges servare ea quæ sunt de præcepto. Quod si Canones et SS. Patres videantur us diebus expresse prohibere usum conjugii, dicunt præfati Auctores id intelligi de consilio, non de præcepto, ut multis nititur probare *Sanch. cum Gloss. in Can. et aliis Interpretibus.*

924. — Quær. III. An liceat coire Conjugibus tempore præ-



gnationis? Commune est id non esse mortale, nisi adsit periculum abortus: ita omnes cum *Sanch. l. 9. p. 22. n. 3. Pont. l. 10. c. 14. n. 7. Pal. p. 4. §. 4. n. 12. Salm. c. 15. num. 78. Ronc. p. 184. q. 3. R. 2. et Boss. c. 9. n. 33.* ex *D. Augustino de Bono Conjug. c. 6.* ubi: « Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum Conjuge, propter fidem tori, venialem habet culpam. » Idem docet *D. Ambrosius in Luc. c. 1.* ibi: « At verò homines nec conceptis ipsis, nec Deo parent, illos contaminant, hunc exasperant. » Notato *contaminant*; ergo supponit *S. Doctor* periculum abortus. Item *D. Hieron. in cap. Origo, 32. quæst. 4.* « Postquam venter intumuerit, non perdant filios. » Item *D. Th. in 4. dist. 81. in fin. in expos. litt.* ibi: « Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabilius timetur de periculo abortus. »

Censent autem *Syloest. Ang. et Tab. apud Sanch. loc. cit. num. 1.* adesse periculum abortus, si copula habeatur circa initium conceptionis, quia ex novo coitu materia illa nondum plene formata, facillè dispergitur: nam licèt matrix post conceptionem statim claudatur, tamen ( ut ait *Avicenna* ) ex vehemènti delectatione coitus irritata, aliquando aperitur, et materia effunditur. Hoc tamen non obstante dicunt *Pontius dict. num. 7. Pal. num. 11. Sanchez dict. num. 1. cum Ang. et Syloest. ( contra Tabien. ) ac Boss. num. 18. cum Fill. Hurt. Perez, et Raynaud.*, quòd coire cum tali periculo non reputetur mortale, quia ( ut aiunt *Sanch. et Bossius* ) cum materia non sit adhuc formata, et conjuges operam rei licitæ, utendo jure suo, modò abortum non intendant, damnum illud non est tantum ut lethalem constituat culpam. Sed hæc ratio mihi non probatur, quia cum per copulam noceatur vitæ, vel formationi prolis, Conjux tunc non habet jus ad copulam. Potiùs videtur dicendum non adesse tale periculum, quia ( ut dicunt idem *Sanch. n. 7. Pal. d. n. 11. Boss. d. n. 18. Holzm. p. 463. cum Ullung. et Bon. q. 6. part. 6. n. 12. cum Con. et Reg.* ) communiter non adest tale periculum, dum matrix recepto semine arctissimè constringitur, nec ordinariè reseratur per coitum, ut tradunt ipse *Avicenna* et *Valverdu* apud *Boss. l. c.* cum Conjuges indiscriminatim accedant, et tamen abortus non succedunt; unde ait *Boss.* quòd usquedum non constet experientia, aliquam uxorem ex coitu pluries foetum emisisse, non est præsumendum periculum abortus. Tantò minùs autem aderit tale periculum, si habeatur copula tempore proximo partui, ut perperam aliquid dixerunt, putantes tunc exponi prolem discrimini suffocationis; nam verius ( ut ait *Boss. n. 30. cum Raynaudo* ) foetus humanus ita secundinis involvitur, ut eum non possit semen contingere. Hinc ait *Petr. t. 4. p. 447.* periculum abortus non ita facillè præsumendum; et ideo non esse vexandos Conjuges importunis interrogationibus, ut abstineant tempore prægnationis: « Quæ enim ( ait ) spes eos à con-

» cubitu avocandi? et quale non timendum periculum, si à sua bona fide perturbentur? »

Utrum autem, secluso periculo abortus, sit culpa venialis habere coitum cum prægnante? Affirmant *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4. item Sotus, Palud. Alens. Palac. et ap. Sanch. d. D. 22. n. 4.*, quia stante foetu concepto, frustratur semen suo fine generationis. Idque confirmant ex auctoritate plurium SS. Patrum. Negant verò *Sanch. l. c. num. 6. cum Gabr. et Henr. Bon. p. 6. num. 11. cum Fill. Pal. p. 4. §. 4. num. 12. Ronc. p. 154. quæst. 3. R. 2. Holzm. num. 463. Elbel num. 390. et Salm. c. 15. num. 78. cum Dic. Aversa, et Diana*, tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum; tum quia esset onus gravissimum, et res exposita innumeris periculis peccandi venialiter, si Conjuges tenerentur tamdiu abstinere ab usu conjugii, manendo in eodem ro. Respondent autem ad rationem oppositam, quòd ut coitus licitus in Matrimonio, sufficiat, ut per se actus sit ad generationem idoneus; quòd autem ipsa non eveniat, per accidens se habet. Cæterum mihi arridet sententia, quam tenent *Pont. l. 10. c. 14. n. 7. Azor. t. 3. c. 31. quæst. 14. Boss. c. 9. num. 36. cum Guil. Paris, Porez, Con. Barbos. Fill. Hurt. Avers. etc.*, et huic se adnectunt etiam *Pal. et Ronc. ll. cc.* nempe quòd coitus cum prægnante non possit excusari à culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia honesta causa, juxta dicta *num. 882. Dub. 1. etc.*

925. — Quæst. IV. An licitum sit Conjugibus coire tempore menstrui: Hic prænotandum, quòd fluxus mulieris alius sit naturalis et ordinarius, et iste propriè dicitur menstruus, quia communiter singulis mensibus solet in fœminis accidere, et durat ut plurimum per duos vel tres dies. Alius extraordinarius proveniens ex aliquo morbo diuturno, qui aliquando durat usque ad 12 dies et ultra. Tempore fluxus extraordinarii certum est licere tam reddere quàm petere: ita communiter *Sanch. l. 9. D. 21. num. 7. Pont. l. 10. c. 14. n. 6. Holzm. n. 462. Salm. c. 15. num. 76. et Boss. c. 9. num. 13. cum Azor. Reb. Fill. Hurt. etc. ex D. Th. in 4. D. 32. quæst. un. art. 2. quæst. 2.* ubi expressè hoc docet, et rationem adducit, dicens: « In fluxu menstruum innaturali non est prohibitum ad menstruatam accedere in lege nova, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus, unde oportet, quòd vir perpetuò abstineret. » Tempore autem fluxus naturalis adsunt tres sententiæ. Prima damnat coitum de mortali, et hanc tenet idem *D. Th. l. c. q. 3. ad 1.* ubi dicit tempore hujus menstrui peccare mortaliter tam virum voluntariè petentem, quàm uxorem voluntariè reddentem; excipit si mulier quasi coacta debitum redderet. Eandem sententiam tuentur *S. Ronch. Alens. Scotus, Tab. Palac. etc. ap. Boss. c. 9. n. 16.* Probatur 1. ex *Levit. c. 20. v. 18.* ubi dicitur: « Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, inter-

» ficientur ambo. » Objiciunt huic *Sanch. l. c. num. 2. et Boss. num. 16.* quod lex illa fuit cæremonialis, et ideo non obligat in Lege Evangelica. Sed respondet *D. Th. dict. quæst. 2.* quod licet illud præceptum fuerit cæremoniale quoad immunditiam, fuit tamen morale quantum ad nocendum (verba *S. D.*) quod in prole ex hujusmodi commixtione frequenter sequebatur. Probat. 2. ex *Can. fin. Dist. 5. ubi Gregor. Papa:* « Cum » et sine partûs causa, cum (uxores) in consuetis menstruâ de- » tinentur, viris suis misceri prohibeantur. » Probatur 3. ratione, tum quia proles eo tempore nascitura exponitur periculo nascendi leprosa et monstruosa; tum quia adest periculum semen frustra effundendi, cum raro vel nunquam eo tempore mater sit apta conceptioni.

*Secunda* sententia totaliter opposita dicit accessum ad menstruatam omni culpa carere; hanc tenent *Glossa in Can. Si Caus. v. Conceptus. 33. q. 14;* item *Perez, Fill. et Hurt. ap. Boss. n. 20.* eamque *Sanchez, l. 9. D. 21. n. 7.* putat æquè probabilem ac tertiam, quam mox referemus. Ratio, quia hodie id nullo jure prohibetur; non divino, cum lex Levitici, adveniente lege nova, jam cessaverit. Nec ob stare dicunt, quod prohibitio illa non cessavit, quatenus fuit moralis propter vitandum damnum prolis, nam respondent quod testetur *S. Hier. in 18. Ezech.* rationem prohibitionis in Levitico fuisse, quia illo tempore, ob sanguinem fœmineum infectum ex coitu fœtus leprosi et elephantiaci nascebantur; sed hodie incertum est adesse damnum, et multò certius est mulierem tempore menstrui non concipere, ut dicunt *Sanch. Pal. Boss. et Salm. ll. cc.* ac demum etiamsi concipiat cum aliquo damno prolis, dicunt *Sanch. l. 9. D. 21. n. 7. et Boss. c. 9. n. 22.* id non ob stare, quia melius est prolem sic nasci, quam non nasci; fortè enim postmodum non gigneretur, vel non esset eadem proles, unde proles beneficium recipit, non damnum; nec valet dicere, quod si non proli, saltem sic infertur damnum naturæ, quæ postulat, ut proles modo convenientiori generetur: nam respondent, quod si non infertur damnum proli, neque infertur naturæ. Non prohibetur igitur jure divino; non jure Ecclesiastico, nam ad textum Gregorii respondet *Pontius l. 10. c. 14. n. 6.* prohibitionem illam Ecclesiasticam hodie exolevisse: imò verbum illud Pontificis, prohibeantur, explicatur ab aliis, ut dicit ibi *Glossa:* prohibeantur, id est sub forma prohibitionis dissuadeantur. Nec jure naturali, quia licet sit facile periculum eo tempore frustrandi semen, tamen ad coitum cohonestandum non requiritur, ut ex eo sequatur generatio, sed sufficit quod coitus ille per se sit aptus generationi, esto per accidens semen dispergatur, ut accidit in accessu ad mulierem prægnantem, aut sterilem. Neque (aiunt) in tali coitu adest indecentia culpabilis, nam (ut dicit *Perez*) illa est potiùs materialis. Hinc concludunt nullo modo peccare Conjuges, si eo tempore coeant, non jam ex affectu libidinis (quod non posset excusari à veniali) sed ut utantur jure suo cum moderata delectatione.

*Tertia* demum sententia communissima et probabilior dicit, coitum tempore menstrui non esse mortale, sed non excusari à veniali: ita *S. Antonin. 3. part. tit. 1. c. 20. §. 3. Nav. c. 16. n. 32. Conc. p. 398. n. 20. Pont. l. 10. c. 14. n. 6. Pal. p. 4. §. 4. n. 8. Ronc. p. 184. au. 3. R. 3. Holm. n. 462. Bonac. p. 5. n. 9. cum Henr. Led. et Rodr. Salmant. c. 15. n. 76. cum Aversa, Vioald. Corneio, et Soto, Boss. c. 9. n. 22. cum Sa, Con. Pal. Reg. Vill. Vega, Graff. etc. ac Sanch. Dict. D. 21. n. 5. et cum Cajet. Abul. Arm. Vict. et Lopez.* Quod non sit mortale, probat ratio adducta mox supra pro secunda sententia. Quod autem sit veniale probatur, quia talis concubitus, nolendo Conjuges expectare tempus generationi aptius, et jam brevi adventurum, involvit quamdam turpitudinem et deordinationem; cum fœmina tunc sit inepta commodæ receptioni et retentioni seminis, et ideo coitus tunc minùs convenit fini generationis. Conveniunt autem *Nav. Pal. Sanch. Salm. ll. cc. et Boss. n. 15. cum Hurt.* quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit aliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentia in se vel in altero, aut alia similia.

An autem casu quo nulla adsit causa, uxor menstruata possit, et teneatur debitum reddere, si maritus monitus nolit desistere? Affirmant *Pal. p. 4. §. 4. n. 9. cum Con. Salm. c. 15. n. 77. et Sanch. D. 21. n. 96. cum Palud. Soto, Led. etc.* qui citat pro se etiam *D. Th. D. 32. art. 2. q. 3.* sed non bene, ut mox videbimus. Verùm probabilius negandum cum *Pontio c. 14. n. 5. et Bon. p. 6. n. 10.* qui citat *Sylo. Reb. et Henr.* Ratio, quia cum culpa, etiamsi venialis, se teneat ex parte actûs, probabilius non tenetur conjux, neque potest licitè debitum reddere: vide dicenda *n. 946.* Nec contrarius est nostræ sententiæ *D. Th., nam l. c. in Resp. ad 3.* dicit tunc uxorem posse et teneri ad reddendum, quando majus periculum timeretur in non reddendo. Sed hoc non supponitur in nostro casu.

926. — Quær. V. An sit illicitum coire tempore purgationis post partum? Certum est non teneri Conjuges hodie observare tempus purgationis præscriptum in *Leo. 12.* ubi, cum mulier arcebat ab ingressu Templi per 40 dies in partu masculi, et 80 fœminæ, videtur eo tempore fuisse ei etiam interdictus Conjugii usus. Sed hoc præceptum jam cessavit, et sicut hodie puerperæ non tenentur abstinere ab ingressu Ecclesiæ, ut dicitur in *c. un. de Purific. post part.* ita nec à Conjugii usu, ut communiter dicunt *Sanch. l. 9. d. 22. n. 8. Boss. c. 7. n. 130.* et alii passim cum *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4. in fin.* qui tamen addit, hoc non obstante, bene posse mulierem abstinere ab Ecclesia, et omittere audire Missam, ubi talis est consuetudo, toto eo tempore, vel saltem per sex hebdomadas, ut testantur esse communem usum *Sporer, et Elbel,* vide dicta *l. 3. n. 330. ver. Bene.* Circa autem quæsitum triplex adest sententia. *Prima* dicit esse mortale, et hanc tenent *Butrius, et Alexander de Nevo, ap. Sanch. l. c. D. 22. n. 9.* Ratio, tum quia in *c. c. fin. Dist. 5.*

D. Gregorius id expressè vetitum declaravit, dicens: « Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri. » Tum quia damnum infertur proli, si eo tempore concipiatur, ut ait *Galenus ap. Pontium l. 10. c. 14. num. 8.* Secunda sententia dicit nullum esse peccatum; ita *Sanch. n. 11. cum Ang. Henr. Palac. Turrecr. Holzm. n. 464. ac Fill. Perez. Vill. et Hurt. ap. Boss. c. 9. n. 42.* Quia (ut aiunt) hujusmodi immunditia est tantum materialis, non moralis. Tertia sententia probabilior et communior, quam tenent *S. Anton. l. c. cum Ric. et Pet. de Palud. Pont. d. n. 8. Pal. p. 4. §. 4. n. 16. Ronc. p. 184. q. 3. R. 3. Boss. n. 44. cum Azor. Ochag. et Led. item Sot. Palud. Tab. Lop. etc. ap. Sanch. n. 10.* dicit esse veniale, non autem per se mortale. Est veniale, quia talis coitus continet aliquam indecentiam; unde nisi excuset causa honesta, nempe periculum incontinentiæ, vel dissidii, vel alia similis, nequit ab omni culpa excusari. Non autem est mortale per se loquendo, quia talis indecentia non videtur tanta ut mortalem culpam inducat. Ad prohibitionem verò D. Greg. respondet *Pontius* illam hodie exolevisse; at *D. Antonin. cum Guil.* respondet eam fuisse de congruitate, non de præcepto. Ad rationem autem nocimenti prolis respondetur, quòd tale damnum vel non accidet, cum difficile sit eo tempore mulierem concipere, vel non erit grave. Dicitur autem *per se loquendo*, nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus, vel notabilis aggravatio morbi immineret, ut dicunt *S. Anton. et Sanch. n. 11. cum Palud. Sylvest. Ang. etc.* Hujusmodi periculum etiam prudenter timeri potest, ut ait *Ronc.*, si coitus habeatur statim post partum; nempe eodem die vel sequenti, ut Medicus valde peritus mihi asseruit.

927. — « Ex dictis casibus consequenter resolvitur, licitum esse uti Matrimonio I. Prolis causa, etsi hæc non necessario debeat intendi, dum exercetur, dummodo positivè non impediatur. Imò etiam aliquando simplici affectu licite excludatur, v. g. à paupere, ne nimium prolibus gravetur. II. Ad vitandum periculum incontinentiæ in se, vel comparte, *Mart. Perez d. 40. s. 2. ex Conin. Pont. Hurt. etc. contra Sanch.* qui vult esse veniale, nisi tamen stimuli carnis aliter sedari non possint. (Vide dicta n. 882. D. 1. iidem enim fines, quos habere licet ad Matrimonium contrahendum, cohonestant etiam petitionem copulæ.) III. Valetudinis causa, vel propter alios fines extrinsecos: quia honestum ex natura sua, et relatum ad unum finem, licite refertur ad alium isti non repugnantem, ut docent *Sa. Conin. Laym. l. 5. t. 1. p. 3. c. 4. Mart. Perez d. 49. sect. 2. n. 4. Vid. Diana. p. 2. t. 4. R. 218.* Solius tamen sanitatis causa uti, probabile est esse veniale, ut docent *S. Th. Henr. Laym. l. c. contra Mart. Per. etc. ll. cc.* (Vid. n. 883. Dub. 2.) »

928. — Hic quæritur I. An aliquando vir teneatur petere? Per se loquendo non tenetur petere; tenetur verò per accidens,

nimirum si uxor tacite exigat; puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet; quia in mulieribus ob innatam etiam verecundiam talia signa habentur pro vera petitione; ita communiter *Sanch. l. 9. D. 2. n. 3.* et alii universè ex *D. Th. Supp. 3. q. 44. art. 2.* ubi: « Quando vir percipit per aliqua signa, quòd uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet..., tenetur reddere. » E converso rectè dicit *Sanch. n. 5. cum Soto, et Palac. ex eodem D. Th. in 4. D. 32. q. un. art. 3. ad 2.* non teneri mulierem reddere viro, nisi hic expressè petat: cum enim non pudeat viros expressè exigere, bene possunt uxores præsumere, quòd viri expressè non petentes nolint ipsas obligare ad petendum; imò ego sentio nec posse, quia nequit maritus obstringere mulierem, ut cum tanta sua erubescencia debitum petat. Rectè tamen excipit *Sanch. l. c. cum S. Anton. Nav. Sylo. et Manuel*, nisi talis erubescencia potius præsumatur aliquando (quod cæterum rarò accidit) esse ex parte viri, quam fœminæ; puta si illa esset maximæ auctoritatis, aut feræ conditionis, et vir valde pusillanimitis ac verecundus. Regulariter tamen (bene subdit *Sanchez*) non tenetur uxor reddere, nisi evidenter ei constet de hac pusillanimitate et pudore mariti.

929. — Quæritur II. An uxor teneatur aliquando petere debitum? Certum est primò, ordinariè non teneri uxorem ad petendum, quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. Certum secundò, quòd cum alter Conjux sit in periculo incontinentiæ, tam vir quam uxor teneatur petere, ad liberandum alterum à periculo; ita communiter *Pontius l. 10. c. 2. n. 3. Sanch. l. 9. D. 2. n. 9. cum Soto, Adr. etc. ac Boss. c. 1. n. 17. cum Fill. Henr. etc.* Sed dubium fit, an teneatur uxor tunc petere ex caritate, vel ex justitia? Prima sententia, quam tenent *Pontius l. c. et Boss. n. 21. cum Led. Henr. Dian. et P. Soto*, dicit teneri ex justitia. Ratio, quia, cum teneantur Conjuges servare bonum fidei, quando alter est in periculo incontinentiæ, tunc esto non petat alter, ipsa tamen necessitas petit, ut bonum fidei servetur vitando alterius incontinentiam; ideoque tunc potius est redditio, quam petitio debiti. Confirmatur exemplo, si enim Medicus teneatur ex contractu mederi ægroto, tenetur ex justitia exhibere ei medicinam, quamvis illè non petat. Et huic sententiæ videtur adhærere *D. Th. Supplem. q. 49. art. 5. ad 2.* ubi dicit: « Si aliquis per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in Conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet. » Secunda verò sententia quæ videtur probabilior, et quam tenet *Sanch. dict. D. 2. n. 7. cum Palud. et Durando, ac Conin. ap. Boss. n. 22.* dicit teneri tantum ex caritate. Ratio, quia ubi nulla est petitio alterius Conjugis expressa vel tacita, nulla adest obligatio justitiæ ad reddendum. Ad bonum autem fidei Matrimonii spectat quidem, ut Conjux non adulteretur, non verò ut avertat alterum ab adulterio; licet enim hoc etiam quodammodo perti-

neat ad bonum fidei, non tamen ita pertinet, ut strictè obliget ex justitia ad petendum; ideo à *D. Th.* hujusmodi petitio non dicitur absolute redditio; sed *quædam redditio debiti*; et hoc adducit *S. Doctor* tantum ad excusandum petentem, si petat ad vitandam incontinentiam in altero, non verò ad obligandum ut petat. Nec obstat exemplum *Medici*: *Medicus enim tenetur utique præbere medicinam infirmo non petenti, quia ex contractu se obligavit ad eum curandum; Conjux autem se obligavit ad non frangendam fidem, non verò ad impediendum alterum, quominus fidem frangat. Ex hac sententia inferitur, quòd Conjux cum non teneatur ex justitia, sed tantum ex caritate eo casu ad petendum, non teneatur petere cum magno incommodo; hinc probabiliter tunc excusatur uxor à petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet.*

950. — Quær. III. An Conjux prohibitus à petendo ratione voti, vel affinitatis aut cognationis spiritualis post Matrimonium contractæ, possit quandoque licitè exigere debitum? Id admittunt communiter *DD.* cum *Sanch. lib. 9. D. 7. n. 5.* (qui citat *Jo. Andr. Præpos. Adrian. Vict. etc.*) si adsit periculum incontinentiæ in altero Conjuge: Imò dicunt *Boss. cap. 1. num. 261.* et idem *Sanch. n. 11. cum Pe. Sot. Henr. Palac. Angles.* tunc teneri petere, quia hæc obligatio oritur ex ipsa institutione Matrimonii. Item admittunt etiam communiter *S. Th. in 4. D. 38. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. Boss. c. 1. n. 261. et Sanch. D. 8. n. 1. cum Sa. Sylo. Ang. Turrecr. Henr. Led. etc.* posse Conjugem impeditum petere, si alter interpretativè exigat, nempe quando mulier (ut ait *D. Thom.*) *verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem de debiti redditione.* Tunc enim potest Conjux impeditus se offerre, quia tunc potius est reddere, quàm petere. Quoties autem liceat ei se offerre? *Led. apud Sanch.* dicit hoc licere quater in mense; sed melius *Boss. n. 260.* et idem *Sanch. cum Victoria,* id dicunt ex circumstantiis esse pensandum, nempe ex majori vel minori propensione alterius ad venerem. Censent autem idem *Boss. n. 263. et Sanch. n. 2. cum Ang.* non licere marito voto impedito se ad coitum offerre, quando uxor ei concessit licentiam vivendi castitatem, quia tunc censetur ipsa cessisse juri suo, nempe quòd vir in ejus gratiam debitum petat; nisi (excipiunt *Sanch. et Bossius, contra Coninch. et Pal.*) uxor esset in periculo incontinentiæ, quo casu dicunt, quòd vivens teneatur petere ex obligatione orta, ut supra dictum est, ex ipsa institutione Matrimonii.

An autem liceat petere Conjugi impedito, si ipse sit in periculo incontinentiæ? Afirmant *Viguerius, et Quint. ap. Boss. n. 262.* maxime si ille esset impeditus ratione affinitatis, vel cognationis spiritualis, et commode non posset haberi dispensatio, essetque periculum in mora, quia lex Ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. Negat verò *Sanc. n. 7. cum Guttier et Co. Boss. n. 262. cum Coninc. etc.* quia periculum incontinentiæ quidem est justa causa dispensandi, non autem coeundi. Sed prima sententia res-

pectu ad impedimentum ab Ecclesia impositum, mihi non videtur improbabilis, si revera dispensatio brevi obtineri nequeat, et magnum periculum sit in mora; idque magis firmatur ex quæst. seq.

951. — Quær. IV. An liceat Conjugi excommunicato petere debitum? et an petere ab excommunicato? Quòd liceat Conjugi petere ab excommunicato, certum est ex *c. Quoniam multos Caus. 11. q. 3.* ubi *D. Gregorius VII* expressè id concedit. An autem liceat excommunicato etiam petere? Negat *Glos. in c. cit. v. Uxorres*; et apertè videntur consentire *Archid. Sylo. Lop. et Tab. ap. Sanch. l. 9. D. 14. n. 19.* quia in Bulla Martini V *Ad evitanda, excommunicatis, quoad communicationem cum Fidelibus, nullum privilegium conceditur. Sed communiter et verius affirmant Suar. de Censur. D. 15. Sess. 4. n. 9. Bon. eod. tit. 2. D. 2. p. 6. §. 2. n. 20. Sanch. n. 20. cum Henr. et Ugol. ac Boss. c. 1. n. 282. cum Palud. Sayr. Con. Avila, Fill. Bordon. etc.* Ratio, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset separari ab altero Conjuge (ut revera non potest), et non posset petere.

952. — Quæres, an, et quando liceant tactus, aspectus, et verba turpia inter conjuges?

« Resp. Tales actus per se iis licent, quia cui licitus est finis, etiam licent media, et cui licet consummatio, etiam licet inchoatio. Unde licitè talibus naturam excitant ad copulam. Quòd si verò separatim, et sine ordine ad copulam, verbi gratia, voluptatis causa tantum fiant, sunt venialia peccata, eò quòd ratione status, qui illos actus cohonestat, habeant jus ad illos; nisi tamen, ut sæpe contingit, sint conjuncti cum periculo pollutionis, aut conjuges habeant votum castitatis, tunc enim sunt mortalia, ut dictum supra *l. 3. t. 4. c. 2. d. 4. Dian. p. 3. t. 4. R. 204 et 216.* »

Unde resolves:

« 1. Conjux venialiter tantum peccat i. Tangendo seipsum ex voluptate, et tactum non ita expressè referendo ad copulam, ut contra *Vasq.* et alios probabiliter docet *Sanch. lib. 9. dub. 44. 2.* Oblectando se venereè, sine periculo pollutionis de actu conjugali cogitato, dum abest compars, vel actus exerceri non potest. *Fill. Laym. Tann. Malder. cum Dian. p. 3. t. 4. Res. 224. contra Naçar. Azor, etc.*

« 2. Peccat graviter i. Vidua, quæ se venereè oblectat de copula olim habita; quia est illicita per statum. 2. Bigamus, qui in actu conjugali, cum secunda exercito, repræsentat sibi priorem, et de ea carnaliter delectatur, quia est permixtio cum aliena. *Laym. l. 1. t. 9. c. 6.* vide supra *l. 3. t. 4. c. 2. et l. 5. c. 1. d. 2. a. 2.* \* (Et idem diximus *Tom. 4. l. 5. n. 24. de Sponsis, quibus illicitum est delectari de futura, etiam ex appetitu rationali, etsi non carnali.*) \* »

953. — Qu. I. An sint mortales tactus et aspectus turpes inter Coniuges propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, si non adsit periculum pollutionis? Affirmant *S. Antonin. Sylo. Margar. etc. ap. Sanch. l. 9. d. 44. n. 11.* quia (ut dicunt) omnis actus venereus, non relatus ad copulam conjugalem est mortalis. Negat verò sententia communis et verior, eamque tenent *Laym. l. 3. s. 4. n. 12. Pal. p. 4. §. 2. Less. l. 4. c. 3. n. 125. Bonac. q. 4. p. 8. n. 12. Sporer n. 502. Sanch. dict. D. 44. num. 12. cum Abul. Vict. Ang. Arm. Sa, Med. Led. etc. Salm. c. 15. n. 84. cum Henr. Aversa, Perez et Diana, Boss. c. 7. n. 157. cum Vasq. Fagn. Vill. et Hurt. ac Croix n. 341. cum Soto, Tol. Cajet. Con. Fill. et pluribus aliis.* Ratio, quia status conjugalis sicut cohonestat copulam, ita etiam huiusmodi tactus et aspectus; alias enim, cum sit tanta inter Coniuges societas, et ipsi multoties non possint coire, iugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem delectatio quæsitæ in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspectibus. Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quæ supervenisset, ut dicunt *Sanch. n. 20 et 22. Croix n. 339. et Boss. 199. cum Con. Fag. Aversa, Fill. Vill. etc.* quia, cum copula sit licita inter Coniuges, tactus inter ipsos non possunt esse graviter illiciti. Secus verò dicendum, si Coniux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntariè captam; ita communiter, *Sanch. d. D. 44. n. 26. et Boss. c. 7. n. 201. cum Vasq. Fil. Con. et aliis.* An autem idem procedat, si Coniux sit impeditus à copula ob affinitatem vel cognationem spiritualem contractam? Affirmat *Aversa ap. Boss. n. 200,* quia cui vetita est copula, vetiti etiam sunt tactus qui sunt dispositiones ad copulam. Sed negat *Bossius ibi cum Fag. Fill. et Perez,* quia lex prohibens copulam, cum sit pœnalis, aut inhibitiva, non est extendenda ad tactus. Cæterum in praxi impeditus ordinariè se debet abstinere ab huiusmodi tactibus, præsertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel petitionis copulæ, contra prohibitionem petendo.

954. — Quær. II. Quid, si Coniuges ex his turpibus actibus prævideant pollutionem secuturam in se vel in altero. Plures ad-sunt sententiæ. Prima sententia, quam tenent *Sanch. l. 9. d. 45. ex num. 34. Fill. tr. 3. c. 9. num. 356. Via quæst. 7. a. 4. num. 4. Escob. l. 26. numer. 207. Elbel. numer. 393. cum Herincx et Spor. num. 500. cum Perez, et Gob. id excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam, et modo tactus non sit adeo turpis ut iudicetur inchoata pollutio (prout esset digitum morosè admovere intra vas femineum); ac præterea adsit aliqua gravis causa talem tactum adhibendi, nempe ad se præparandum ad copulam, vel ad fovendum mutuum amorem. Ratio, quia tunc iusta illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter Coniuges; et si pollutio obveniat, hoc erit per accidens. Dicitur *si adsit gravis causa,**

nam si non adsit, prædicti actus non excusantur à mortali. Secunda sententia, quam tenent *Pal. p. 4. §. 2. n. 2. Boss. c. 7. n. 213. et Salm. c. 15. n. 86. cum Soto, Cajet. Dec. Led. Hurt. Aversa,* et communi, ut asserit, distinguit et dicit esse mortalia tactus impudicos, si prævideatur pollutio ex eis proveniendæ; quia, cum hi proximè influant ad pollutionem, et non sint per se instituti ad fovendum affectum conjugalem, censentur voluntarii in causa, secus si sint pudici, ut oscula et amplexus, quia actus isti per se inter Coniuges sunt liciti, cum per se apti sint ad fovendum conjugalem amorem. Tertia sententia quam tenet *Diana p. 6. tract. 7. R. 65. cum Proxpos. et Vill. dicit tactus tam impudicos quam pudicos esse mortalia, si prævideatur periculum pollutionis.* Ratio, quia ideo tactus licent inter Coniuges, in quantum quærentur intra limites Matrimonii, in quantum nihil sequitur repugnans fini et institutioni seminis; cum autem prævidetur seminis dispersio, licet non intendatur, qualescumque tactus sunt illiciti.

His sententiis positis, pato probabilius dicendum, quòd actus turpes inter Coniuges cum periculo pollutionis, tam in petente quam in reddente sint mortalia; nisi habeantur ut Coniuges se excitent ad copulam proximè secuturam, quia cum ipsi ad copulam jus habeant, habent etiam jus ad tales actus, tametsi pollutio per accidens copulam præveniat. Tactus verò pudicos etiam censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu quo habeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam: secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, vel ut Coniux avertat suspicionem ab altero, quòd ipse sit erga aliam personam propensus. Probabiliter dicunt *Sanch. d. D. 35. num. 34. Boss. d. num. 203. et Escob. num. 207.* in reddente tactus etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur propter jus petentis, qui, tametsi peccet, non tamen jus amittit, cum culpa se teneat ex parte personæ iuxta dicenda *ex n. 944.*

955. — An autem sit semper mortale, si vir immittat pudenda in os uxoris? Negant *Sanch. l. 9. d. 17. n. 5. et Boss. c. 7. n. 175 et 193. cum Fill. ac Perez,* modo absit periculum pollutionis. Sed verius affirmant *Spor. de Matrim. num. 498. Tamb. l. 7. c. 3. §. 5. num. 33. et Diana. p. 6. tr. 7. R. 7. cum Fagund.,* tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia hæc per se videtur nova species luxuriæ contra naturam (dicta ab aliquibus *irrumatio*); semper enim ac quæritur à viro aliud vas, præter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriæ. Excipit tamen *Spor. l. c. cum Fill. et March. si id obiter fiat; et hoc revera sentire videtur etiam Sanch. dum excusat actum illum à mortali, si cesset omne periculum pollutionis. Excipit etiam Pal. p. 4. §. 2. n. 6. si vir hoc faceret, ut*

se excitet ad copulam naturalem; sed ex predictis neutram admittendum puto. Eodem autem modo *Sanch. l. c. num. 32. in fin.* damnat virum de mortali, qui in actu copulae immitteret digitum in vas præposterum uxoris, quia (ut ait) in hoc actu adest affectus ad sodomiam. Ego autem censeo posse quidem reperiri talem affectum in actu, sed per se loquendo hunc affectum non agnosco in tali actu insitum. Cæterum graviter semper increpandos dico Conjuges hujusmodi fœdum actum exercentes.

956. — Quær. III. An sint mortalia tactus turpes quos Conjuges habet cum seipso, altero absente, et secluso periculo pollutionis? Prima sententia negat, quam tenent *Pal. p. 4. §. 2. n. 5. Escob. n. 201. Boss. c. 7. num. 205 et 297. cum Perez, Hurt. et Ochag. ap. Sanch. l. 9. D. 44. n. 15. cum Palud. et Lopez.* et pro hac sententia *Salm. c. 15. num. 87.* citant etiam *D. Thom. quæst. 6. de Bon. Matr. dub. 26. num. 188.* Ratio, quia hujusmodi tactus ab ipso statu conjugali cohonestantur, cum de natura sua ordinentur ad copulam; et ideo, secluso periculo pollutionis, non possunt esse in Coniuge graviter illiciti, etsi copulam de præsentibus ipse non posset consummare. Secunda verò sententia probabilior, et in praxi omnino suadenda affirmat, et hanc tenent *Laym. tr. 3. c. 6. num. 12. in fine, Diana. p. 3. t. 4. R. 215.* (quamvis hic Auctor sit valde benignus) *Spor. num. 503. cum Arm. et Vasq. ac Salm. cum Avers. Sanctio, Salas, Montesin. Dic. et Ant. à Sp. S.* Ratio, tum quia Coniuges non habet jus per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum ut possit se disponere ad copulam; unde cum copula tunc non sit possibilis, tactus cum seipso omnino ei sunt illiciti; tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, et cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proximè connexi cum eius periculo.

957. — Quær. IV. An sit mortalis delectatio morosa in Coniuge de copula habita vel habenda, quæ tamen non possit haberi de præsentibus? Adsunt tres sententiæ. Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Pont. l. 10. c. 16. num. 21. Wigandti tr. 4. num. 59. Sylo. ac Vega, Rodr. et Dic. ap. Salm. c. 15. num. 88.* qui probabilem vocant. Ratio, quia talis delectatio est quasi inchoata pollutio, quæ cum eo tempore non possit haberi modo debito, omnino fit illicita. Secunda verò sententia communior negat, eamque tenent *Pon. p. 4. quæst. 8. n. 12. Escob. n. 204. Spor. n. 505. Croix n. 337. cum Suar. et Gers. Boss. c. 1. n. 215. cum Fill. et Perez, et Sanch. l. 9. D. 44. num. 3. cum S. Anton. Palud. Arm. Cajet. Met. Viquer. Tab. et communi ut asserit, utque fatetur etiam Pontius, item Con. Avers. Gabr. et Dian. apud Salm. c. 15. num. 89.* qui etiam probabilem putant. Hæc sententia dicit talem delectationem non esse mortalem, si absit periculum pollutionis, sed tantum venialem. Est venialis, quia ipsa caret debito fine, cum non possit ordinari ad copulam præsentem. Non autem est mortalis, quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto: et cum copula sit licita Coniugatis, non

potest esse eis graviter illicita illius delectatio. Et huic expressè laet id quod ait *D. Th. de Malo quæst. 15. a. 2. ad 17.* ubi: «Sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale conjugato, non potest esse gravius peccatum consensus in delectationem quam consensus in actum.» Idque admittit *Spor.* etiamsi habeatur delectatio venerea orta ex commotione spirituum. Tertia demum sententia, quam tenent *Salm. d. c. 15. n. 90.* distinguit et dicit, quòd si delectatio sit absque commotione spirituum, non erit mortalis; secus si cum commotione et titillatione partium.

Ego meum iudicium proferam. Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio cum *Conc. p. 408. num. 10.* (contra *Sporer* ut supra) eam non posse excusari à mortali, quia talis delectatio est proximè conjuncta cum periculo pollutionis. Secus verò puto dicendum, si absit illa voluptuosa titillatio, quia tunc non est delectationi proximè annexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum; et sic revera sentit *Sanch. l. c. n. 4. cum Vasq.* cum ibi non excuset delectationem cum voluptate venerea, sed tantum (ut ait) cum commotione et alteratione partium absque pollutionis periculo. At quia talis commotio propinqua est illi titillationi voluptuosæ, ideo maxime hortandi sunt Coniuges, ut abstineant ab hujusmodi delectatione morosa. Item advertendum eam esse omnino illicitam in Coniuge, qui esset obstrictus voto castitatis ut dicant communiter *Sanch. d. D. 44. num. 26. et Boss. c. 7. n. 201. cum Vasq. Fill. et aliis.*

## ARTICULUS II.

## An Actus conjugalis sit præceptus, et debitus.

958. Coniuges per se tenentur reddere, et quandoque etiam petere. — 959. Tenentur etiam ad cohabitationem, nisi adsit justa causa excusans. Dub. 1. An possit Vir expellere uxorem ob dotem non solutam? Dub. 2. An teneatur eam alere, non soluta dote? Dub. 3. An si ipsa adulterium commiserit? — 940. De obligatione reddendi debitum. Qu. I. An sit mortale negare debitum semel, vel bis? Quid, si alter remisse petat, vel si precibus cedat? Quid si immoderate petat? Quid, si alter differat reddere ad breve tempus? — 941. Qu. II. An multiplicitas filiorum possit esse causa justa negandi debitum? — 942. Peccat Coniuges reddens se impotentem. — 943. Qu. I. An Coniuges teneatur reddere alteri illicite petenti? — 944. Dub. 1. Quid, si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis, etc.? — 945. Dub. 2. Quid, si petens sit incestuosus? — 946. Qu. II. An Coniuges teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali? — 947. Qu. III. An liceat reddere vel petere à viro volente seminare extra vas post copulam inceptam? — 948. An Coniuges teneatur et possit reddere, si mutuo cum altero voverit castitatem? Quid, si alter sit amens, vel ebrius? — 949. Incestuosus, et vovens castitatem non potest petere, sed tenetur reddere. — 950. Coniuges non tenetur reddere cum

gravi damno suo, vel prolis. An teneatur reddere alteri laboranti morbo contagioso? Quid, si damnum sit leve, et alter sit leprosus? Quid, si damnum sit grave? An tunc possit reddere? Ex quibus causis possit Conjux reddere cum gravi periculo salutis? — 951. An Conjux possit reddere cum periculo prolis? — 952. An teneatur reddere uxor laborans febrili, vel tempore menstrui aut pragnationis, aut si alter petat modo innaturali? — 953. Quid, si uxor experta sit in pariendo periculum mortis, vel filios parere mortuos? — 954. An aliquando liceat impedire generationem? Quando peccet uxor surgens, aut mingens statim post copulam? Dub. 1. An puella oppressa possit statim expellere semen? Dub. 2. An liceat copulari senibus, vel infirmis, plerumque non valentibus seminare intra vas.

953. — « RESP. I. Etsi conjuges nulla lege obligentur ad usum Matrimonii, tenentur tamen per se ex justitia sibi reddere debitum, si alter ab altero expressè, vel tacitè, verecundia scilicet obstante, petat. Ratio prioris est, quia non tenentur uti suo jure. Ratio posterioris sequitur ex natura contractus mutui. » S. Th. in 4. d. 32. q. 1. art. 2. etc. communiter ex 1. Cor. 7.

Unde resolves :

« 1. Neuter tenetur, per se loquendo, ad petendum debitum, etsi per accidens aliquando teneatur, vel ex caritate, v. g. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens conjugum: Vid. Perez d. 50. s. 2. n. 4 et 5. ( Vide dicta n. 928 et 929. ) » vel ex justitia legali, eò quòd salus publica periclitetur, nisi proles nascatur.

959. — « 2. Conjuges tenentur ad cohabitationem, nec potest alter ab altero invito diutius abesse sine necessitate; quia hæc obligatio sequitur ex obligatione reddendi debitum. Sanch. l. 9. d. 4. Conin. d. 2. n. 19. Perez d. 50. n. 3. »

Certum est Conjuges teneri ex obligatione justitiæ ad cohabitandum in eadem domo, mensa, ac toro; vide Sanch. l. 9. d. 4. n. 2. et Boss. c. 6. §. 7. ex n. 2. Hinc infert neminem conjugum posse alio discedere, altero invito, ad longum tempus, ut habetur ex c. 1. de Conjug. lepros. Nisi adsint justæ causæ, nempe ob bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam, vel ad vitandum damnum ab inimicis, ut dicunt Sanch. n. 12. Laym. c. 1. n. 3. Pal. p. 5. §. 1. et Boss. n. 4 et 6. cum Aversa, Vill. et aliis. Dixit autem Boss. n. 12. cum Tolet. et Sayro, quòd si vir diu deberet alibi manere, teneretur, si commodè potest, uxorem eò adducere, ut secum cohabitaret. An autem uxor teneatur sequi virum propter cohabitationem? Vide dicenda num. 977.

Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subjecta illius voluntati, et non deceat statum mulierem peregrinari; ita Sanch. n. 15. Pal. n. 3. et Boss. n. 8. cum Laym. Vill. Fag. et Perez. ex D. Th. Quodlib. 4. art. 11. Ex mutuo autem consensu bene possunt Conjuges invicem separari

modò absit periculum incontinentiæ, et nocumentum prolis educandæ; Sanch. n. 5. et Boss. n. 18. cum Fill. Vill. Perez, Fag. et aliis, ex illo Apostoli ( 1. Cor. 7. ): « Nolite fraudare invicem nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum » revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas. »

Dubit. 1. an liceat viro non cohabitare cum uxore, eamque expellere à domo ob dotem promissam et non solutam? Affirmant Panormit. Armilla, Tab. et Gomez ap. Boss. c. 6. n. 26, quia vir non tenetur alere uxorem, si dos non sit soluta; ergo neque tenetur cohabitare, quamvis tenetur reddere debitum. Sed negant probabilius et communiùs Sanch. l. 9. d. 5. n. 17. Pal. §. 2. n. 5. Mol. de Just. D. 245. §. Si marito, Boss. c. 6. n. 28. cum Reb. Henr. Reg. Vill. Fag. etc. Ratio, quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa lege naturali et divina, qua vir tenetur debitum reddere uxori, et ideo cum ea habitare; unde dicunt AA. præfati ( contra tamen Mol. et Reb. ) quòd etiamsi vir non adhuc uxorem traduxerit in domum suam, teneatur traducere, non obstante quòd dos non fuerit soluta.

Sed hic dub. 2. an vir teneatur alere uxorem, non soluta dote? Communiter negant DD. si culpa promittentis intervenit: ita Sanch. l. 9. d. 5. n. 8. Bon. p. 7. n. 9. Boss. c. 6. n. 29. et Salm. de IV. Prac. c. un. n. 50 et 53. cum Fag. et Trull. ac alii passim ex l. Pro oneribus C. de jure dotis, ubi dicitur ideo constitui dos, ut ex ea vir uxorem alat. Excipe tamen 1. Nisi vir duxerit sine promissione dotis Sanch. n. 8. cum Host. Prac. et Sylo. ac Salm. l. c. cum Abb. Mol. Bon. etc. Excipe 2. Si uxor sit in viri obsequio, tunc enim saltem ut famulam tenetur eam alere; Salm. ib. cum Abb. Lupo, etc. ap. Sanch. n. 6. qui tamen cum Surdo et aliis id non admittit, quia ( ut ait ) uxor tenetur et dotem, et obsequia præstare viro; unde non necessariò alenda est, tantum obsequia præstando. Sed magis adhæreo oppositæ sententiæ, quia ipsum jus Naturæ dictat, ut alas qui ad tibi famulandum se occupat. Excipe 3. si uxor ex sua culpa cum viro non cohabitaret; secus si ob justam causam; Salm. n. 51. cum iisd. Cæterum quando sive vir, sive uxor est verè pauper, putà si dos fortuito periit, tenetur alter alterum alere; Sanch. n. 10. Bon. n. 8. Salm. n. 53. cum Mol. Trull. etc. ex l. Si maritus ff. Solutio Matr. ibi: « Quid » enim tam humanum est, quam fortuitis casibus, mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? » Hic autem notandum 1. quòd ob dotem non solutam nequeat vir debitum negare uxori, Sanch. l. c. n. 1. et Salm. n. 52. cum Mol. Sylo. etc. Notandum 2. quòd in extrema necessitate priùs subveniendum sit Parentibus, qui diligendi sunt ratione principii, quam Conjugi, ut D. Th. 2. 2. q. 26. art. 11. et Salm. n. 51. contra Laym. Bon. Pal. etc. ap. Boss. c. 22. n. 1235. Et priùs etiam filiis, cum ipsi sint pars Parentis; Salm. n. 51. cum aliis. In necessitate verò gravi priùs succurrendum Conjugi, quam Parentibus, et filiis, quia quoad domesticam administrationem major est conjunctio inter Conjuges, cum ipsi sint una caro; Sanch. l. 9. d. 29.

num. 4. *Bon. p. 7. num. 19. et Salm. ibid. cum Tolet. Ban. Trull. et aliis.*

Dubit. 3. an vir teneatur alimenta præstare uxori adulteræ? Alii affirmant, ut *Clarius, et Ant. Gabr. ap. Salm. de IV. Præc. n. 54.* quia uxor adultera non desinit esse uxor. Alii, ut *Sylvest. vers. Dos. q. 14. Dist. 9. et Ang. ac Surdus apud Salm. ibid.* negant, si adulterium est publicum, quia tunc potest vir uxorem è domo expellere, secus si occultum, tum enim expellere nequit. Alii verò communius et probabilius, ut *Sanch. l. 1. D. 8. n. 25. et Salm. n. 55. cum Solo, Man. Fag. et Trull.* negant teneri, sive adulterium fuerit publicum, sive occultum. Ratio, quia adhuc concesso quòd ob adulterium occultum uxor non posset expelli, ne ejus crimen prodatur, utque scandalum vitetur (in quo tamen quæstio est; vide dicenda n. 968.); nihilominus ratio hæc non militat in negatione alimentorum, quæ sine scandalo et infamia uxoris negari possunt. Idque dicunt esse probabile *Salm. cum Lara, et Surdo*, etiamsi uxor admiserit tantum oscula ab alio, si sint notoria; vel si occulta, si sint nimis lasciva, aut si uxor sit nobilis.

940. — « 3. Peccat mortaliter, qui conjugii serio et instanter petenti debitum negat, quia est res gravis, et debetur ex justitia: intellige, nisi petens precibus, aut alia ratione honesta averti possit, et petitio non sit immoderata; (nam, si sæpe petenti semel vel bis negetur, citra periculum incontinentiæ, videtur esse tantum veniale, ob levitatem materiæ: aliquando, si nimis immoderate, et justo sæpius petat, nullum, secundum *Perez d. 50. s. 4.*) nec sit alia justa causa negandi, *Bon. q. 4. p. 1. ex Sanch. Fill. etc.* Justam autem, secluso periculo incontinentiæ utriusque, esse censet *M. Perez l. c. n. 6.* si plures nascantur filii, quam possint alere. »

Quær. I. An peccet graviter Conjuges negans debitum una vel altera vice? Prima sententia negat, modò absit periculum pollutionis, et hanc tenet *Pont. l. 10. c. 2. n. 5. cum Sa, Sanch. l. 9. D. 2. n. 11. cum Bon. p. 1. ac Avers. Hurt. Corn. et Ochag. ap. Boss. c. 1. n. 40.* quia id non videtur materia tam gravis, ut culpam lethalem constituat. Secunda verò sententia, quam tenent *Pal. p. 4. §. 1. n. 5. Tamb. l. 7. c. 3. §. 5. n. 20. Boss. c. 1. n. 41. cum Tann. et Croix n. 391. cum Gob.* dicit etiam negare semel, vel differre debitum serio et instanter petenti, per se loquendo esse mortale, adhuc remoto periculo pollutionis. Ratio, quia hoc videtur materia satis gravis, tum ratione prolis quæ ex unica copula bene gigni potest; tum ratione discordiæ, et periculi incontinentiæ, quæ ex tali negatione potest sequi. His tamen non obstantibus, prima sententia non videtur improbabilis cum gravitas materiæ pendeat ab hominum æstimatione, et tot graves DD. censeant hanc esse materiam levem: ipsimet autem id dicunt, supponendo quòd absit periculum incontinentiæ, vel magni dissidii; cæterum procreatio prolis pro illa vice est valde incerta. Conveniunt autem communiter non peccare uxorem

negando, si vir benevolè aut remissè petat: ita *Pont. l. c. n. 4. et 5. Bon. d. n. 1. Croix n. 391. Ronc. p. 183. q. 2. R. 1. Tamb. n. 21. cum Corn. et Ochag. Laym. c. 1. n. 1. ac Boss. c. 1. n. 35. cum Sot. Reb. Rodr. Henr. Reg. Lop. Fag. Hurt. Vill. Avers. et Dian.* Item, si Conjuges petens, adhuc instanter, cedat precibus negantis, qui negat cum justa causa alias etiam venialiter saltem peccaret; ita *Sanch. d. D. 2. n. 13. cum Nav. Syllo. Margar. Philarch. etc.* Nisi preces essent ita importunæ, ut alter quasi coactus videretur cedere; vel nisi adesset in altero periculum incontinentiæ; tunc enim nec etiam precibus, sine causa gravi, liceret eum avertere; ita *Sanch. l. c. cum Nav. Syllo. Lop. D. Th. D. 32. in 4. q. 1. art. 2. ad 4.*

Præterea non peccat negans, quando alter immoderate petit, sine tamen periculo incontinentiæ; et in hoc etiam omnes conveniunt, vide *Bos. n. 18.* Hinc dicunt *Laym. c. 1. n. 1. Croix n. 396. Holz. n. 468. Spor. n. 513. cum Rodr. et Gloss.* non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam. Imò addunt *Tamb. n. 22. Spor. l. c. et Sanch. n. 11. cum Led.* nec esse mortale petenti quinquies in mense negare semel; sed huic non acquiesco, cum ex una parte petere quinquies in mense sit valde moderatum, et ex altera negare semel in mense videtur materia sat gravis. Item non videtur peccare uxor, si differat reddere ad breve tempus, nempe usque ad noctem; ut *Pont. c. 2. n. 5. Sanch. d. num. 11. cum Vict. Ronc. l. c. Spor. n. 513. cum communi, et Croix n. 391. cum Perez, Gob. et Dian.* Vel si à nocte differat ad mane, ut *Boss. n. 37. cum Sanch. Pon. Vit. Hurt. Vill. Led. etc.* excluso tamen semper periculo incontinentiæ. Non potest autem post copulam habitam in die negare in nocte.

941. — Quær. II. An sit justa causa negandi debitum, si plures nascantur filii quam Conjuges possint alere? Prima sententia negat, et hanc tenent *Laym. tr. 16. c. 1. n. 16. Ronc. p. 183. q. 2. R. 1. Spor. n. 516.* (qui excipit solum casum, quo Conjuges multiplicata prole ad extremam necessitatem redigerentur) item *Pal. p. 4. §. 10. n. 8. cum Syl. Con. Nav. Ang. Reb. Margar. Lop. et Graff.* Ratio, tum quia procreatio prolis spectat ad præcipuum finem Matrimonii, cui postponendum quodvis incommodum; melius enim est ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit; tum quia aut Conjuges negaret diu, aut aliquando: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiæ; si aliquando, frustra negaret; nam Conjuges rarius coeundo facilius concipiunt. Secunda verò sententia affirmat, et hanc tenent *Sanch. l. 9. D. 25. n. 3. Pont. l. 10. cap. 3. n. 7. Dian. p. 9. tr. 7. R. 3. Bonac. 1. n. 13. cum. Led. Rodr. et Sa, ac Boss. c. 1. n. 220. cum Sot. Comit VIII. Peg. Hurt. et Fag. et probabilem putant Tamb. l. 7. c. 3. §. 5. n. 3. et Spor. l. c.* Ratio, tum quia multiplicitas prolium futurorum cederet in nocuum filiorum jam genitorum, tum quia in omnibus debitis magna difficultas excusat à solutione. Conveniunt tamen omnes esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiæ; quod revera et ut bene vertit *Conin.*)



vix non aderit, si in eodem toro Conjux habitet, et alter debitum petat; et ideo prima sententia magis mihi arridet.

942. — « 4. Peccat graviter vir, vel mulier, si se impotentem reddat, etiam mediis aliis licitis, v. g. jejuniis, etc. invita com- parte: imò si aliter non possit reddere debitum, licitè non observat jejunia Ecclesie ( Vide dicta T. 3. l. 3. n. 1034. v. 3. Excusantur, ubi diximus id procedere de viro; nam uxorem, difficile videtur per jejunia fieri impotentem ad reddendum, ut Salm. de 4. Præc. n. 49. ) \*, sicut et uxor, si notabiliter iis fiat deformior. Bon. l. c. Sanch. l. g. d. 3. n. 11. Reg. Con. Fill. n. 306. etc. Perez d. 50. s. 2.

943. — « 5. Conjux tenetur reddere debitum, quamvis illicitè petenti, si redditio hinc et nunc non sit illicita, v. g. petenti voluptatis causa, vel ligato castitatis voto, vel die festo, etc. Vide Sanch. lib. 9. d. 6. Pont. lib. 9. cap. 3. Con. d. 34. d. 6. Perez, d. 50. s. 5. Quia malitia alterius non dat jus negandi, quod suum est. Non tamen tenetur reddere petenti sine gravi causa modo innaturali, vel in loco publico, vel sacro, etc. »

Certum est Conjugem non teneri ad reddendum debitum cum peccato proprio, et etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum; ita communiter Pal. p. 4. §. 11. n. 1. Bon. p. 3. n. 3 et 4. Laym. c. 1. n. 17. Spor. n. 517. Boss. c. 1. n. 226. et alii passim. Sed quæritur. I. Utrum liceat reddere illicitè petenti cum peccato mortali? R. Si culpa se tenet ex parte actus, puta si alter petat in loco sacro, vel publico, vel si cum periculo abortus, vel sanitatis propriæ, aut alterius, omnes conveniunt non teneri Conjugem, nec posse reddere sine gravi culpa; tunc, cum actus sit per se malus, alter injustè petit, eò quòd non habet jus petendi; ita Sanch. l. g. c. 6. d. 16. n. 8. Pont. l. 10. c. 3. n. 3. Salm. c. 15. n. 21. cum D. Th. Can. Bon. Henr. et aliis passim. Sed

944. Dubit. 1. Si culpa se tenet ex parte personæ exigentis, nempe si ille sit obstrictus voto castitatis, aut petat ob pravum finem, an alter possit reddere? Prima sententia communis dicit non solum posse, sed etiam teneri; et hanc sequuntur Suar. de Censur. D. 15. sect. 4. n. 9. Lugo de Sacram. D. 8. n. 182. Contin. Tournel. t. 3. p. 335. v. Resp. Conc. p. 369. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 17. Bonac. qu. 4. p. 3. n. 3. Pal. p. 4. §. 11. n. 3. Spor. n. 517. Holzm. n. 467. v. Tertio; Elbel. n. 416. Escob. l. 25. n. 91. cum Sylo. Con. Coo. et Henr. Sanch. d. D. 6. n. 7. cum Ang. Led. Manuel. P. Soto, Veracr. et Met. Boss. c. 1. n. 241. cum Perez, Diana, Fill. et Vil. ac Salm. c. 15. n. 18. cum Avers. Reb. Dic. etc. Ratio, quia Conjux ille per votum non amisit jus petendi, unde quamvis illicitè, non tamen injustè debitum exigit. Secunda verò sententia, quam tenent Pont. l. 10. c. 3. n. 3. et Croix l. 6. p. 3. n. 353. cum Sylo. Comit. et aliis paucis, dicit, quòd sive culpa se teneat ex parte actus, sive ex parte personæ petentis, non licet ei reddere (nisi sit in potestate petentis ab illa prava circumstantia se liberare, puta si exigeret ob malum

finem). Ratio, quia posito impedimento voti, actus conjugalitatis necessario est illicitus petenti, cui cooperari alteri non licet. Nec petens eo casu habet dominium in corpus alterius, tum quia dominium tunc est impeditum à voto: tum quia Conjux non habet jus nisi ad usum licitum Matrimonii. Huic autem congruunt dicta de Rest. l. 3. n. 697. ubi dicunt Lugo de Just. D. 21. n. 62. et Croix, cum Less. Mol. Soto, Nav. etc. quòd debitor non teneatur restituere domino rem, qua ille est abusus ad peccandum; quòd expressè etiam tradidit D. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. ubi « Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur. » Dicit tamen Lugo l. c. quòd cum hæc obligatio sit tantum caritatis, non obligatur debitor ad negandum, si non possit negare sine gravi incommodo. Hæc sententia est quidem probabilis, sed prima videtur probabilior, saltem extrinsecè; gravi utique nititur ratione, quia obstrictus voto adhuc retinet jus ad petendum, et consequenter tenetur alter ei reddere, prout si quis votum emitteret non exigendi à te pecuniam debitam, si ille postea petat, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit jus suum, et eo casu tu reddendo minimè cooperaris formaliter ejus peccato, cum non sis causa cur ille debitum exigit, sed tantum concurris ad materiale peccati, quòd tu non potes impedire, cum debes rem suo domino reddere; ideo nec teneris impedire, quia impediendū actum injustitiæ committeres. Nec valet dicere, quòd nemo habeat jus ad actum illicitum; nam responderetur quòd esto Conjux ille petens non habeat jus ad petendum cum peccato, habet tamen jus ad actum conjugalem qui per se est honestus, unde alter reddendo non peccat, quia dat operam, non alterius peccato, sed actui licito, et ex justitia debito. Hinc dicunt Sanch. lib. 9. d. 36. n. 11. cum Palud. Henr. Man. et Led. ac Salm. c. 15. n. 20. cum Con. et Bon., quòd licet Conjux voverit ex consensu alterius, si tamen expressè non cessit juri suo petendi, etiam tenetur alter debitum reddere. Imò etiamsi ad invicem voverint, non intendentes cedere juri suo, adhuc tenetur alter petenti reddere, ut dicunt idem Salm. l. c. cum Sanch. Less. Bon. et Henriquez.

Bene tamen advertunt Sanch. l. g. d. 6. num. 5. cum Coo. et Adrian. ac Boss. c. 1. n. 248. cum Con. Reb. et Vill. quòd eo casu tenetur Conjux monere petentem ligatum voto, ut à petitione desistat, modò possit monere sine timore magni dissidii, vel indignationis, aut incontinentiæ alterius: quæ incommoda, dicunt Sanch. et Bossius, ut plurimum adesse. Quando autem Conjux prævidet, quòd alter impeditus vero vel alio impedimento illicitè petet, tunc tutius erit ut ipse præveniat, et si ille jam petierit, ipse tunc etiam petat, dicens, volo ut tu mihi reddas; sed ad hoc meritò ait Sanch. d. n. 5. uxores rarò obligari, quia magnum onus esset eis ob naturalem mulierum verecundiam teneri ad semper petendum. Præterea advertendum cum Bossius num. 252

et 273, quòd si Coniux impeditus petat infra primum bimestre, non teneatur, nec possit alter ei reddere, cum eo tempore ille non habeat jus ad petendum.

945. — Dubit. 2. An Coniux possit et teneatur reddere debitum incestuoso petenti? Adsunt tres sententiæ. Alii ut *Hos-tiensis*, et *Lopez ap. Boss. c. 1. num. 249.* dicunt teneri. Alii, ut *Pontius l. 10. c. 3. n. 3.* et *Palac. ac P. Led. apud Sanch l. 9. D. 6. num. 11.* dicunt nec teneri, nec posse, quia cum incestuosus sit privatus jure petendi, alter reddendo illicitè cooperaretur illius peccato. Alii verò communiùs et probabiliùs dicunt non teneri, sed posse; ita *Sanch. num. 12. Pal. p. 4. §. 6. num. 7. Bon. quæst. 4. p. 3. num. 3. Salm. c. 15. n. 15. Boss. c. 1. num. 250. cum S. Anton. Palud. Sylo. Laym. Cov. Victor. Reg. Vill. etc.* Ratio, quia licet incestuosus sit privatus jure suo, Coniux tamen innocens, cum habeat jus petendi, à fortiori habet jus reddendi, alioqui grave onus deberet subire (maximè uxor), si semper deberet petere; imò magis scrupulis deberet angi, existimans ne fortè moveatur ad reddendum ex tacita petitione alterius; hoc autem onus satis excusat à cooperatione ad materiale peccati quod committit incestuosus. Tutius autem erit (ut diximus), ut coniux innocens tunc ipse petat.

946. — Quær. II. An petenti cum sola culpa veniali teneatur alter reddere? Alii affirmant ut *Boss. c. 1. n. 230. Escob. l. 25. num. 93. Sporer n. 518. Sanch. l. 9. D. 6. n. 6. et D. 16. num. 8. cum Cajet. et P. Soto, Laym. c. 1. num. 18. cum Do. Soto, et Nao. ac Boss. c. 1. num. 230. cum Con. etc.* Ratio, tum quia vinculum justitiæ, quo Coniuges tenentur reddere, fortius stringit, quam vinculum caritatis quo tenentur vitare peccatum alterius; tum quia semper (ut aiunt) adest justa causa reddendi, scilicet ne exigenti displiceat, vel saltem (ut dicunt *Sanch.*) ne privetur jure suo reddendi. Alii tamen (ut *Bon. quæst. 4. p. 3. n. 10. cum Armilla*) dicunt non teneri, nisi adsit justa causa ex parte petentis. Ego dico omnino distinguendum: si actus est illicitus ex parte personæ petentis, puta si petat ob voluptatem, vel alium finem leviter malum, vel die quo vult Eucharistiam accipere, tunc tenetur reddere; quia, cum actus sit per se honestus, tenetur ex justitia ad reddendum, etiamsi exigens peccet graviter in petendo, ut diximus *num. 944. Dub. 1.* Si verò actus est venialiter illicitus ex parte ipsius actus seu copulæ, ut si petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, tunc quando adest justa causa, potest quidem reddere, cum quælibet justa causa excuset à veniali. Justa autem causa erit, v. g. ne incurrat indignationem alterius sive rancorem illius quodammodo notabilem, et non possit eum commodè avertere. Causa verò quam adducit *Sanch.* nempe ne Coniux privetur suo jure reddendi, non videtur sufficiens, nam sicut petens tunc non habet jus ad sic petendum, ita nec alter jus habet ad sic reddendum. Dixi, potest reddere, sed non tenetur, quia licet vinculum justitiæ fortius sit vinculo caritatis, attamen cum actus sit tali modo per

se illicitus, alter non habet jus ad illum, et sic responderetur ad rationem primæ sententiæ; ita *Bus. ut supra num. 934. ac Less. l. 3. c. 3. num. 89.* item *Palac. et Led. ap. Sanch. d. D. 16. num. 8.* et probabilem putant *Croix n. 356. cum S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 2. §. 7.* ubi ait tunc teneri Coniugem ad reddendum, quando alter petit modo naturali; ergo, si innaturali, non tenetur. Sanè verò teneretur reddere, si petens haberet justam causam etiam ex sua parte sic petendi, puta si peteret copulam situ innaturali, eò quòd uxor sit prægnans, aut ipse sit pinguis, vel alioquin immineret periculum scandali; vide dicta *num. 917.* Vel si petat tempore menstrui, aut puerperii cum periculo incontinentiæ, juxta dicta *n. 925. circa fin.*

An autem Coniux teneatur reddere petenti statim post prandium? Vide dicta *n. 910. v. Videtur.* An petenti die Communionis? Vide *n. 922. ac in Tract. de Euch. l. 6. n. 274.* An petenti in die festivo, jejunii, et Rogationum? Vide *n. 923.*

947. — Quær. III. An liceat uxori reddere debitum, vel petere à viro volente seminare extra vas post copulam inceptam? Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Pont. l. 10. cap. 11. num. 8. Tamb. Dec. l. 7. c. 4. §. 5. num. 4. et Sporer p. 356. num. 490,* quia (ut aiunt) cum mulier reddat, aut petit, dat operam rei licitæ, nec ipsa propter malitiam viri debet suo jure privari. Secunda sententia, quam tenent *Roncag. p. 187. quæst. 10. R. 2. et Elbel p. 471. num. 394.* dicit uxorem non posse nec petere nec reddere, nisi adsit gravis causa, quæ ipsam excuset in permittendo peccatum viri, et in cooperando ad materiale peccati illius, aliàs tenetur ex caritate, cum possit sine gravi incommodo, viri peccatum impedire. Ego tamen distinguendum puto: Si agatur de reddendo debito, dico uxorem probabiliter posse et teneri negare debitum, si possit sine gravi incommodo, juxta secundam sententiam allatam *num. 944.* quia abusus rei sibi debita non habet jus ad rem sibi vindicandam; sed probabiliùs videtur uxor non solum posse reddere, ut dicit prima sententia, quam sequitur etiam *Sanch. l. 9. D. 16. n. 3.* sed etiam teneri. Ratio, quia (juxta dicta *cit. n. 944.*) quando culpa se tenet ex parte personæ petentis, cum ipse habeat jus ad copulam, nequit alter sine injustitia debitum negare, si non possit monendo à tali culpa illum avertere: et tunc patet quòd reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulæ inceptæ, quæ per se omnino utrique est licita. Si verò agatur de petitione debiti, dico cum secunda sententia uxorem non posse petere, si non adsit justa et gravis causa; tunc enim revera tenetur ex caritate impedire peccatum viri. Justam autem causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiæ, vel si deberet aliàs privari suo jure petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum, vel ne, tunc se continere. Vide dicta in pari casu *T. 1. l. 2. n. 53. v. Si verò.*

948. — « 6. Non tenetur reddere 1. Si alter alteri debitum remi-

serit, v. g. si consensu mutuo voverint castitatem (Sed oppositum est probabile, si non intenderint cedere juri suo, juxta dicta num. 944. circa fin.)<sup>o</sup>, vel auctoritate publica celebrarent divortium.

2. Si petens sit amens; quia talis non est capax usus domini, nec petit cum ratione, et humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio quam amenti; nisi esset periculum foetus enecandi. Nav. c. 16. Sylvest. Laym. c. 1. num. 9. 3. Si alter mœchatus sit, quia frangenti fidem fides frangatur eidem; nisi tamen ipse quoque sit adulter, vel causa adulterii. (Vide dicenda num. 966.)<sup>o</sup>

Quæ. an Conjux teneatur reddere debitum amenti vel ebrio? Affirmant Nav. c. 16. num. 26. et Sylo. Ang. Graff. Led. etc. apud Boss. cap. 1. n. 293, quia Conjux ebrius, vel factus amens adhuc retinet dominium acquisitum in corpus alterius; nec officit amentia ad procurationem prolis. Negant verò communissimè et probabilissimè cum Bas. ut supra, Laym. c. 1. num. 9. Pal. p. 4. §. 4. num. 19. Bon. p. 1. num. 10. Sanch. l. 9. D. 22. n. 9. Conc. p. 402. num. 31. Croix num. 394. et Boss. n. 294. cum Soto, Con. Fill. Vict. Lop. Henr. Reg. Aversa, Hurt. etc. Ratio, quia licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usus domini. Excipe 1. si in eis sit periculum prodigendi semen, quia tametsi ipsi non peccent, est tamen impeditus actus materialiter malus. Excipe 2. si quis non esset universè amens, sed in una tantum vel altera materia; Sanch. n. 6. Boss. num. 297. Vel si ille esset tantum fatuus, non verò omnino mente captus, vel si petat dum habet lucidum intervallum; Boss. n. 298 et 299. cum Sanch. Ricci. et Conc.

Quamvis autem non sit obligatio reddendi Conjugi amenti, vel ebrio, licitum est tamen ei reddere, ut communiter dicunt præfati AA. cum usus Matrimonii per se sit licitus, et proles educari possit à Conjuge sanæ mentis. Modò (intelligendum) absit periculum scandali, vel abortus; unde bene addunt Sanch. n. 7. et Boss. n. 302, quòd non liceat coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsa experta sit sterilis. Peccaret etiam qui conjungeret ad copulam Conjuges ambos amentes, quia esset causa, ut filii carerent debita educatione; Sanch. n. 5. cum Led. et Lop. et Boss. n. 303. cum Bonac. Con. Laym. P. Soto, Fill. etc.

949. — «Etsi is, qui Matrimonio contracto sciens prudens voluntariè cognovit consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, non possit petere debitum (ex cap. 1. de eo qui cogn. etc. Vide dicenda ex n. 1070.)<sup>o</sup>, tenetur tamen reddere. Idem est de eo qui, inscia comparte, vovit castitatem, post Matrimonium consummatum. Si tamen ante vovisset, videtur obligari ad ingressum religionis saltem primo bimestri (nisi tamen Matrimonium consummaverit); imò etiam post, si uxor consentiat, de quo plura vide apud Laym. c. 11. n. 10.

950. — «Resp. 2. Conjux non tenetur reddere debitum si

inde grave damnum, vel periculum sibi, vel proli meritò timeat, Perez. dist. 50. sess. 4. Unde non tenetur sequentibus casibus.

1. Si illud petat maritus morbo contagioso laborans, v. g. gallico, peste, lepra, etc. (nisi tamen hæc ante Matrimonium fuerit cognita, et non sit nimis gravis) Bon. q. 4. p. 1. n. 8. Perez d. 50. Sanch. l. 9. d. 14. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2.

Quæ. an Conjux tenetur reddere debitum alteri laboranti aliquo morbo contagioso, puta lepra, peste, phthisi, morbo gallico, et simili? Certum est 1. Conjuges teneri ad reddendum cum levi suo damno, huic enim præponderat lex justitiæ, obligans quidem sub gravi, cum redditio debiti gravis sit materia; ita communiter Sanch. l. 9. D. 24. num. 2. cum Soto, Nav. etc. ac Boss. l. 2. c. 1. num. 168. in fine cum Bon. Reb. et Vall. Unde dicunt D. Th. 3. p. q. 64. ar. 1. ad 4. et D. Bonav. Ric. et alii ap. Sanch. l. c. n. 15. uxorem teneri ad reddendum debitum viro leproso, ex c. 2. de Conjug. lepros. ubi: «Quòd si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, et infirmus à sano carnale debitum exigit, generali præcepto Apostoli, quòd exigitur est solvendum; cui præcepto in hoc casu nulla exceptio invenitur.» Ratio, quia, cum copula brevi fit, non imminet ex ea periculum infectionis; et ideo ait D. Th. sub. q. 64. a. 1. ad 4. Tenetur reddere..., non tamen. . . cohabitare, l. c. quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. Communiter tamen id limitant 1. DD. si ex tali coitu judicio Medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiæ; ita Boss. c. 7. n. 181. cum Laym. et Sanch. d. D. 24. n. 17. cum S. Anton. Nav. Soto, Palud. Caj. Vict. et aliis. Limitant 2. si Conjux sanus tantum horroris habeat ad coeundum cum leproso, ut id sit moraliter impossibile; impossibile enim nulla est obligatio ex l. Impossibile ff. de Reg. jur.; ita Sanch. n. 21. et Boss. n. 149. cum Host. Panorm. Sylo. Pont. Soto, Barb. Laym. Reg. Vill. etc.

Certum est 2. non teneri Conjugem reddere debitum cum gravi periculo propriæ vitæ, aut sanitatis; ita D. Th. Sup. q. 64. art. 1. ubi: «Vir tenetur uxori debitum reddere..., salva tamen prius personæ incolumitate.» Et ita communiter omnes (vide Sanch. d. D. 24. n. 2.) Ratio, quia (ut ait D. Th.) hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet; et, hic est etiam ordo caritatis, quæ naturam perficit.

Certum est 3. Conjugem, non solum non teneri, sed nec etiam posse reddere cum gravi periculo suæ salutis, quia nemo est dominus vitæ suæ; ita communiter Pal. p. 4. §. 10. n. 4. Pont. l. 10. c. 14. n. 3. Sanch. l. 9. D. 24. n. 8. cum Soto, Caj. Arm. Led. etc. ac Boss. c. 1. n. 199. cum Laym. Con. Fill. etc. Et hoc etiamsi illud grave damnum immineret soli petenti, ut dicunt Sanch. n. 9. et Boss. n. 209. cum Soto, Arag. etc.; eo enim casu reddens, tantum excusari posset, si ab altero timeretur proximum periculum occisionis. Limitant verò Sanch. n. 22. cum Led.

*Palac. Vega, Man. etc. ac Laym. Azor. Fill. ap. Boss. c. 1. n. 189,* si Coniux sanus ante Matrimonium jam noverit alterius morbum contagiosum, quia ( ut aiunt ) in omnibus contractibus, quando detegitur vitium rei, non minus obligantur contrahentes, quam si res vitio careret. Sed merito hanc limitationem rejiciunt *Pal. l. c. et Ang. ac Vill. ap. Boss. n. 189,* quia emens rem, quam scit vitiosam, cedit juri suo, et bene cedere potest; sed Coniux ( ut diximus ) non potest cedere juri servandæ suæ salutis.

Probabiliter tamen poterit Coniux reddere alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriæ sanitatis. I. Si proles sit necessaria ad bonum commune; *Sanch. d. D. 24. n. 11. cum Ledesma,* nemine contradicente, ut asserit. II. Si Coniux infectus petens esset in probabili periculo incontinentiæ, nam licet sanus nec etiam eo casu teneatur reddere cum periculo suæ sanitatis, ut dicunt *Laym. c. 1. n. 5. Pont. l. 10. c. 14. n. 2. Sanch. D. 24. n. 12. Boss. n. 204 et 205. cum Major. Reg. Comit. et Vill. ac Pal. p. 5. §. 10. n. 4. cum Con. ( contra Gabr. Led. et Rodr. )* tum quia caritas non obligat cum tanto onere, tum quia alter non est in extrema necessitate, cum possit aliter sibi subvenire; attamen licet potest reddere, et tale periculum subire ex motivo caritatis; quia, esto homo non sit dominus suæ vitæ, potest tamen propter caritatem illam exponere, ut *Pont. l. c. n. 4. et c. 2. n. 7. Sanch. n. 12. Bon. q. 4. p. 1. n. 3 et 4. et Boss. n. 294. cum Major. Vill. Con. Aversa, P. Soto, Laym. Hurt. Comit. et Reg. III.* Si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad fovendum amorem conjugalem; et etiam ad vitandum periculum incontinentiæ propriæ, et tunc potest etiam petere; quia vitatio incontinentiæ, aut conservatio pacis familiæ ac amoris conjugalis prævalet obligationi vitandi infectionis periculum. Hæc tamen omnia intelligenda ( ut diximus *n. 909.* ) si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, phthisis, etc., non verò si sit de illis, qui de brevi et facili solent mortem afferre, ut est infectio pestis, aut lepræ leoninæ. IV. Adde, si Coniux sanus possit præservativis facile vitare contagium sive ejus periculum.

Sicut autem non potest Coniux sanus reddere infirmo cum periculo propriæ salutis, sic etiam infectus nec potest reddere sano cum periculo salutis illius, etiamsi ille petat jam conscius sui periculi: prout non licet reddere gladium volenti se necare, cum nemo sit dominus suæ vitæ; ita *Sanch. l. 9. D. 6. n. 17. Pont. l. 10. n. 2. in fin. et Boss. c. 1. n. 209. cum Soto, Con. Azor. etc. communiter.* Probabiliter tamen excipiunt *Busemb. n. 909. cum Perez, Bon. p. 6. n. 8. Sanch. D. 24. n. 23. cum Cajet. P. Soto, et Crass. ac Boss. d. n. 209. in fin. ( se remittens ad n. 195. ) cum Laym. Pont. et Reg.* si reddat ad vitandum periculum incontinentiæ in se vel in altero, vel ad vitanda dissidia, aut ne diu privetur usu conjugii, quod vix esse potest sine periculo incontinentiæ. Hocque etiam intelligendum, si ejus morbus sit diuturnus, et non proximè ad mortem tendens; itemque si alter sanus petens jam ejus morbi sit conscius, juxta dicta *n. 909. D. 1.*

931. — An autem Coniux possit et teneatur reddere, quando timetur damnum prolis nascituræ? Negant *Medina, et Palacius ap. Sanch. l. 9. D. 24. n. 24.* quia nemo tenetur, nec potest reddere debitum cum damno innocentis. Sed communiter et verius affirmant *D. Th. in 4. D. 32. q. un. ar. 1. ad 4. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 10. circa fin. Sanch. n. 25. cum S. Bonao. Palud. Sylo. Led. etc. ac Boss. c. 1. n. 136. cum Soto, Laym. Reb. Fill. Reg. Vill. etc.* Ratio assignatur à *D. Th. l. c. ubi:* « Uxor tenetur viro leproso reddere debitum; et quamvis proles » gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse quam penitus » non esse. » An verò liceat reddere tempore prægnationis, vel menstrui, aut purgationis post partum? Vide dicta *n. 924. 925 et 926.*

932. — « 2. Si petat ab uxore laborante feбри, vel alio morbo » cui copula noceret: *Bon. q. 4. p. 1. n. 4. ex Sanch. etc. item » Per. l. c. ( Sive post balnea, aut sectionem venæ; vide dicta » n. 910. )* » Vel ut quidam volunt, tempore menstrui: *Bon. » q. 4. p. 3. n. 11. et p. 6. n. 10. contra Sanch. Hurt. Per. d. 49. » s. 3. ( Vide dicta n. 925. )* » Aut cum uxor est gravida, et » ex redditione periculum mortis ( vel etiam abortus ) probabile » timetur prolis jam conceptæ: Imò tunc nec petere, nec reddere » licitum est, ut per se patet, ait *Laym. c. 1. n. 7. et esse mor- » tale dicit Perez dist. 47. s. 3. ( addens ex Sanch. Conin. et » Hurt. cessante periculo prolis usum matrimonii licitum esse )* » » ( *Vide dicta n. 924.* ) » Aut si non possit uxor edere fœtum, » nisi mortuum. *Bon. q. 4. p. 1 et 2. n. 14. ( Laym. tamen c. 7. » n. 7. dicit eo casu licere reddere, imò et petere; quod Bon. l. » c. concedit, si fiat ob periculum incontinentiæ )* aut non possit » edere, nisi cum præsentis periculo vitæ, *Bon. l. c. n. 7. Laym. » l. c. n. 6.* Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia » gravi ex causa, eam posse permittere et debitum reddere, » insinuat *Laym. l. c. ex Sanch. l. 7. d. 102. n. 11. ( Vide » dicenda n. seq. 953. )* » Denique propter grave periculum mortis » ( non tamen propter ordinarios dolores partus ) potest Coniux » negare debitum, etiamsi in altero esset periculum incontinentiæ. » *Sanch. Præp. Pal. Dian. p. 6. t. 7. R. 64. et p. 9. t. 7. R. 4. » ( Vide dicta mox sup. n. præc. vers. Probabiliter ad II. )* » » 3. Si alter debitum exigat innaturali modo, nisi tamen ex » negatione timeantur graviora mala, v. g. rixæ, odium, incon- » tinentia. » ( *Vide dicta n. 946.* ) »

933. — Commune est non teneri uxorem reddere debitum, si experta sit se non posse parere sine probabili periculo mortis: ita *Laym. c. 1. n. 6. Bon. p. 1. n. 7. Sanch. l. 7. D. 102. n. 9. et Boss. c. 1. n. 172. cum Conin. Reb. Fill. et Rod. quia solutio debiti non obligat cum tanto detrimento. Quid si mater experta sit se filios parere mortuos? Hoc casu Laym. n. 7. dicit quòd bene poterit uxor reddere, quia illa mors fœtus per accidens evenit; et præterea melius est puero esse cum culpa originali, quam omnino non esse; Attamen *Boss. l. c. et Bon. n. 14. cum Rodr. Vict.**

*Led. et Reg.*, tenet eam non posse reddere, quia mater ex morte prolis (ut ait etiam *Bossius*) exponitur magno periculo vitæ. Excipit tamen *Bon. l. c. cum aliis*, nisi adsit periculum incontinentiæ, et huic consentit *Sanch. l. 7. D. 102. n. 8.* addens, quod si perpetuo propter hanc causam deberent Coniuges ab usu Matrimonii abstinere, essent ipsi in maximo incontinentiæ periculo. An autem uxor, quæ non possit reddere propter arctitudinem vasis, teneatur pati incisionem. *Vide dicenda n. 1099.*

954. « Quæres, an aliquando liceat impedire prolis generationem?  
 « Resp. Possunt quidem Coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis: peccant tamen, si in usu Matrimonii, vel post usum faciant aliquid quo impediatur conceptio, aut semen conceptum rejiciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, ne indirectè quidem, sed tantum permittitur, ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra fidem, et finem principalem matrimonii. Unde tales non excusant paupertas imminens aut periculum ex partu. »

Unde resolves:

« 1. Licetè interrumpitur actus conjugalis, etsi ex naturæ concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit justa causa interrumpendi, v. g. si ex continuatione imminet periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. *Vide Per. d. 49. s. 9. (Ita etiam Sanch. l. 9. D. 19. n. 4. Pal. p. 4. §. 3. n. 3. et Boss. c. 9. num. 60. cum Less. Perez, et Aversa, ac Salm. c. 15. num. 81. cum Cajet. Dic. etc.)*  
 « Peccat probabiliter foemina, quæ in usu matrimonii aliò animum distrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen ut ex *Per. l. c. num. 7.* docet *Sanch. (Sed verius est id esse mortale, juxta dicta num. 918. v. Sed redeundo.)* »

Dicunt *Sanch. l. 9. D. 20. n. 3. Pont. l. 10. c. 13. n. 1. Salm. c. 15. n. 75. Bon. p. 6. n. 18. cum Reb. Hurt. et Reg. ac Boss. c. 9. n. 3. cum Fill. Fag. Diana, et Vill.* quod uxor peccabit mortaliter, si statim post copulam mingit, aut surgit, vel aliud aliquid facit, animo ut semen receptum expellat, quia frustrat finem ad quem semen est à natura institutum; ita præfati AA. contra *Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* qui cum *Bellochio* id excusant à mortali, eo quod matrix mulieris, semine effuso, semper retinet id quod necessarium est ad generationem. Dictum est autem, si mulier id facit, statim, et animo expellendi semen, nam si id faceret ex aliqua necessitate, puta ad vitandum periculum mortis, aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare; sicut etiam conveniunt non opus esse, ut uxor post copulam diu immota et resupina maneat, eo quod brevi tempore matrix semen attrahit, et arctissimè clauditur.

Dabitur autem hïc 1. an puella violenter oppressa, possit expellere incontinenti semen viri immissum ne concipiat? Affir-

mant *Sanch. l. 2. D. 22. n. 17. et Boss. c. 9. n. 5. cum Raynaud. Marchant. ac Diana*, et non improbableè putat *Escob. l. 25. n. 301*, quia (ut aiunt) tunc puella licetè expellit semen tanquam sui honoris aggressorem, cum illud non adhuc sit in pacifica possessione uteri. Sed rectius id non admittunt *Pontius l. 9. c. 10. n. 4. Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* et hanc tenet etiam ut veriore *Escob. l. c. cum Leand.* Huic ego etiam adhæsi *T. 2. l. 3. n. 394. v. Dicunt*, et hïc quoque adhæreo, quamvis diversa ratione ductus. Ratio cur hæc sententia mihi probatur, est quia nunquam licet ejicere semen effusum, atque receptum in utero, ubi statim ac recipitur (quod puto quidem statim recipi) habet suam pacificam possessionem; unde non potest mulier ab eo expellere, quia injuriam irrogaret Naturæ, sive speciei humanæ, cujus propagatio impeditur. Merito tamen et communiter dicunt AA. tam primæ, quam secundæ sententiæ, quod mulier vi oppressa bene possit se vertere (imò dico tenetur), et coitum interrompere, quamvis semen viri esset extra vas effundendum; tunc enim non expellitur semen immissum, sed impeditur ne immittatur, et ideo tunc licetè illud repellitur tanquam violentus honoris aggressor.

Dubit. 2. an liceat Coniugibus copulari, si ob senectutem vel aliam dispositionem plerumque accidat, quod semen extra vas effundatur? Affirmant probabiliter *Boss. c. 7. n. 190. Bon. p. 6. n. 17. Spor. n. 122. Laym. l. 3. Sect. 4. n. 19. Sanch. l. 9. D. 17. n. 24. cum Henr. et Croix n. 318. cum Gab.* modò adsit spes probabilis seminandi intra vas, quia semper ac adest talis spes jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit: vide dicenda n. 1066. in fin.

### DUBIUM III.

An, et quibus ex causis possit fieri divortium.

955. Fit divortium quoad Vinculum I. Si habentur sufficientia indicia de morte Conjugis. II. Si alter convertatur ad Fidem. III. Si fit Religiosus ante consummationem. IV. Si papa dispenset in Matrimonio rato. — 956. De Indissolubilitate Matrimonii. — 957. An si Infidelis nolit converti, liceat Fideli transire ad alias nuptias? — 958. Inter Fideles Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam. — 959. An solvatur etiam per dispensationem Papæ? — 960. Permittitur autem divortium quoad Torum I. ob adulterium Conjugis. — 961. Qu. I. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio? — 962. Qu. II. An liceat facere divortium ob sodomiam, vel bestialitatem commissam à Coniuge? Qu. III. An ob copulam sine seminatione? — 963. Qu. IV. An vir cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere? — 964. Qu. V. An uxor teneatur divertere à viro adultero? — 965. Et an Coniux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum? — 966. Qu. VI. In quibus casibus Coniux nequeat divertere ab adultero? I. Casus, si uterque sit reus adulteri. II. Si coniux consentiat in adulterium alterius. III. Si adulterium accidat

*Led. et Reg.*, tenet eam non posse reddere, quia mater ex morte prolis (ut ait etiam *Bossius*) exponitur magno periculo vitæ. Excipit tamen *Bon. l. c. cum aliis*, nisi adsit periculum incontinentiæ, et huic consentit *Sanch. l. 7. D. 102. n. 8.* addens, quod si perpetuo propter hanc causam deberent Coniuges ab usu Matrimonii abstinere, essent ipsi in maximo incontinentiæ periculo. An autem uxor, quæ non possit reddere propter arctitudinem vasis, teneatur pati incisionem. *Vide dicenda n. 1099.*

954. « Quæres, an aliquando liceat impedire prolis generationem?  
 « Resp. Possunt quidem Coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis: peccant tamen, si in usu Matrimonii, vel post usum faciant aliquid quo impediatur conceptio, aut semen conceptum rejiciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, ne indirectè quidem, sed tantum permittitur, ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra fidem, et finem principalem matrimonii. Unde tales non excusat paupertas imminens aut periculum ex partu. »

Unde resolves:

« 1. Licetè interrumpitur actus conjugalis, etsi ex naturæ concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit justa causa interrumpendi, v. g. si ex continuatione imminet periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. *Vide Per. d. 49. s. 9. (Ita etiam Sanch. l. 9. D. 19. n. 4. Pal. p. 4. §. 3. n. 3. et Boss. c. 9. num. 60. cum Less. Perez, et Aversa, ac Salm. c. 15. num. 81. cum Cajet. Dic. etc.)*  
 « Peccat probabiliter foemina, quæ in usu matrimonii aliò animum distrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen ut ex *Per. l. c. num. 7.* docet *Sanch. (Sed verius est id esse mortale, juxta dicta num. 918. v. Sed redeundo.)* »

Dicunt *Sanch. l. 9. D. 20. n. 3. Pont. l. 10. c. 13. n. 1. Salm. c. 15. n. 75. Bon. p. 6. n. 18. cum Reb. Hurt. et Reg. ac Boss. c. 9. n. 3. cum Fill. Fag. Diana, et Vill.* quòd uxor peccabit mortaliter, si statim post copulam mingit, aut surgit, vel aliud aliquid facit, animo ut semen receptum expellat, quia frustrat finem ad quem semen est à natura institutum; ita præfati AA. contra *Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* qui cum *Bellochio* id excusat à mortali, eò quòd matrix mulieris, semine effuso, semper retinet id quod necessarium est ad generationem. Dictum est autem, si mulier id facit, statim, et animo expellendi semen, nam si id faceret ex aliqua necessitate, putà ad vitandum periculum mortis, aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare; sicut etiam conveniunt non opus esse, ut uxor post copulam diu immota et resupina maneat, eò quòd brevi tempore matrix semen attrahit, et arctissimè clauditur.

Dabitur autem hïc 1. an puella violenter oppressa, possit expellere incontinenti semen viri immissum ne concipiat? Affir-

mant *Sanch. l. 2. D. 22. n. 17. et Boss. c. 9. n. 5. cum Raynaud. Marchant. ac Diana*, et non improbableè putat *Escob. l. 25. n. 301*, quia (ut aiunt) tunc puella licetè expellit semen tanquam sui honoris aggressorem, cum illud non adhuc sit in pacifica possessione uteri. Sed rectius id non admittunt *Pontius l. 9. c. 10. n. 4. Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* et hanc tenet etiam ut veriore *Escob. l. c. cum Leand.* Huic ego etiam adhæsi *T. 2. l. 3. n. 394. v. Dicunt*, et hïc quoque adhæreo, quamvis diversa ratione ductus. Ratio cur hæc sententia mihi probatur, est quia nunquam licet ejicere semen effusum, atque receptum in utero, ubi statim ac recipitur (quod puto quidem statim recipi) habet suam pacificam possessionem; unde non potest mulier ab eo expellere, quia injuriam irrogaret Naturæ, sive speciei humanæ, cujus propagatio impeditur. Merito tamen et communiter dicunt AA. tam primæ, quam secundæ sententiæ, quòd mulier vi oppressa bene possit se vertere (imò dico tenetur), et coitum interrompere, quamvis semen viri esset extra vas effundendum; tunc enim non expellitur semen immissum, sed impeditur ne immittatur, et ideo tunc licetè illud repellitur tanquam violentus honoris aggressor.

Dubit. 2. an liceat Coniugibus copulari, si ob senectutem vel aliam dispositionem plerumque accidat, quòd semen extra vas effundatur? Affirmant probabiliter *Boss. c. 7. n. 190. Bon. p. 6. n. 17. Spor. n. 122. Laym. l. 3. Sect. 4. n. 19. Sanch. l. 9. D. 17. n. 24. cum Henr. et Croix n. 318. cum Gab.* modò adsit spes probabilis seminandi intra vas, quia semper ac adest talis spes jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit: vide dicenda n. 1066. in fin.

### DUBIUM III.

An, et quibus ex causis possit fieri divortium.

955. Fit divortium quoad Vinculum I. Si habentur sufficientia indicia de morte Conjugis. II. Si alter convertatur ad Fidem. III. Si fit Religiosus ante consummationem. IV. Si papa dispenset in Matrimonio rato. — 956. De Indissolubilitate Matrimonii. — 957. An si Infidelis nolit converti, liceat Fideli transire ad alias nuptias? — 958. Inter Fideles Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam. — 959. An solvatur etiam per dispensationem Papæ? — 960. Permittitur autem divortium quoad Torum I. ob adulterium Conjugis. — 961. Qu. I. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio? — 962. Qu. II. An liceat facere divortium ob sodomiam, vel bestialitatem commissam à Coniuge? Qu. III. An ob copulam sine seminatione? — 963. Qu. IV. An vir cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere? — 964. Qu. V. An uxor teneatur divertere à viro adultero? — 965. Et an Coniux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum? — 966. Qu. VI. In quibus casibus Coniux nequeat divertere ab adultero? I. Casus, si uterque sit reus adulteri. II. Si coniux consentiat in adulterium alterius. III. Si adulterium accidat

sine culpa. IV. Si injuria remittatur. — 967. Dub. 1. An factio divortio per sententiam Judicis, possit Conjux innocens adulterum ad se revocare? Dub. 2. Quid si, factio divortio, innocens etiam adulteretur? — 968. Dub. 3. An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate? — 969. Facta juridica separatione, vir potest ingredi Religionem, aut fieri Sacerdos, invita adultera; adultera verò id non potest nisi de licentia alterius. — 970. Permittitur II. divortium ob sævitiam alterius. — 971. Qu. 1. An ob hanc causam possit Conjux recedere propria auctoritate? Qu. 2. An possit fieri Religiosus altero invito? Qu. 3. Qualis timor sufficiat ad faciendum divortium ob sævitiam? — 972. Qu. 4. An sola verbera sint justa causa divortii? — 975. Permittitur III. divortium Conjugi, si alter trahat eam in peccatum. — 974. Permittitur IV. imò aliquando præcipitur divortium ob hæresim alterius. — 973. Permittitur V. ob mutuum consensum. — 976. Facto divortio, apud quem sint filii educandi? Et cujus conjugis expensis? — 977. An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?

933. — « RESP. 1. Etsi Matrimonium consummatum inter Christianos nullo casu solvi possit, quoad vinculum, vivente utroque conjuge (V. *Sanch. et Per. d. 25. s. 9. et d. 55. s. 4.*), divortium tamen, seu potius separatio quoad torum, \* (*Hic error irrepsit, nam pro verbo torum debet dici vinculum, aliàs enim non congruunt ea quæ sequuntur*) \* fit sequentibus casibus.

« I. Si alter conjux moriatur. De quo si est certum, rursus nubere potest; quòd si interim alter mortuus non sit, fama tamen, et indicia sufficientia habeantur, excusatur nubens, neque ex dubio superveniente, an prior vivat, debent separari, cum fortè non vivat, ideoque Matrimonium sit validum. \* (*Vide dicta n. 906. Dub. 3.*) \*

« II. Si ex conjugibus infidelibus, altero ad fidem converso, alter maneat infidelis (saltem nisi pacificè cohabitare velit, sine contumelia Creatoris); idque ex dispensatione divina, in favorem fidei, ut patet ex 1. *Cor. 7. 15. Per. d. 26. s. 4. etc. commun.*

« III. Si ante matrimonii consummationem (ad quam intra primum bimestre, quòd ad deliberationem datur, non tenentur, nec cogi possunt sine injuria) alter intret religionem, in eaque profiteatur. *Perez l. c. etc. communiter.*

« IV. Si Papa ex alia justa causa dispenset ante consummationem, sicuti eum posse probabilior sententia affirmat. *Nav. Bell. Per. d. 20. sect. 7.* »

936. — Certum est 1. quòd inter Catholicos Matrimonium est indissolubile, ut declaravit Trid. *sess. 24. in princ.* Et hoc per se verum est, non solum de Matrimonio consummato, sed etiam de tantum rato, vide *Salm. c. 4. ex num. 11.* Hæc autem indissolubilitas est ab ipso jure naturali, quia necessarium est ad proles educationem, ut Parentes perpetuo ejus bono incumbant; ita communissimè *D. Th. 3. p. quæst. 67. a. 1. Bell. de Matr. l. 1. c. 12. Pont. l. 1. c. 12. Bon. p. 11. num. 2. et Salmant. c. 4. num. 16. cum*

*Pal. Becan. Led. etc. Contra Sanch. l. 2. D. 15. num. 7.* qui cum aliis tenet (sed minus probabiliter) ex se præcisè Matrimonium non esse necessariò indissolubile. Quamvis autem olim apud Judæos permissus erat Libellus repudiï, ex *Deut. 24. in Lege* tamen Nova interdictus fuit à Christo Domino, *Matth. 19. ubi: « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et » aliam duxerit, mæchatur. »* Ubi nota, quòd to nisi ob fornicationem (ut communiter explicant Interpretes, vide *Corn. à Lap.*) non intelligitur quòd, fornicatione interveniente, possit vir aliam ducere, sed tantum quòd possit ab ea separari. Certum est 2. quòd inter infideles validum est Matrimonium, si fuerit legitimum, id est juxta leges celebratum, ut patet ex *c. D. Infidel. de Consanguin.* Certum est 3. quòd si uterque Conjux ad Fidem convertitur, Matrimonium fit ratum, id est indissolubile ex *c. Quanto de divor.* Modò sit consummatum post conversionem, aliàs Papa in aliquo casu ex urgentissima causa bene potest in eo dispensare, ut diximus *num. 897. vers. Prob. 1. ex Decr. Urbani VIII, et fusè defendit Bened. XIV. in quadam Dissert. quam innuit, de Synodo l. 6. c. 4. n. 5. ubi asserit S. Pium V, et Gregor. XIII, id in praxim deduxisse.* Certum est 4. quòd si unus convertitur, et alter non vult cohabitare, nisi cum injuria Creatoris, sive cum blasphemia Divini Nominis, tunc Fidelis liberè potest alias nuptias inire, ut expressum est in *cod. c. Quanto*, ubi dicitur ex triplici causa posse Fidelis transire ad alias nuptias, 1. si Infidelis renuat cum eo habitare, 2. si velit habitare, sed non nisi cum injuria Creatoris, 3. si eum vult pertrahere ad peccatum mortale.

937. — Quær. an si Infidelis nolit converti, sed tamen vult pacificè cohabitare, sine injuria Creatoris, liceat Fideli ab eo separari, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum? Adsunt tres sententiæ. Prima absolutè negat, et hanc tenet *D. Th. in 4. D. 36. quæst. un. a. 5. Estius in 4. D. 39. §. 6. Petr. t. 4. p. 331. Reg. 4. item S. Bonao. S. Ant. Palud. Gabr. etc. apud Sanch. l. 7. D. 74. n. 8.* Idque probant ex *Apost. 1. Cor. 7. ubi: « Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit » habitare cum illo, non dimittat illam. »* Secunda sententia absolutè affirmat, et hanc tenet *Bellarminus de Matr. c. 12.* Ratio hujus mox adducetur in tertia sententia: Dicit autem *Bellarmin.* textum mox relatum *D. Pauli* non continere præceptum, sed tantum consilium, cum *Apostolus* statim ad prædicta verba subdidit: *Cæteris ego, non Dominus. Tertia demum sententia communior et probabilior, quam tenent Sanch. l. c. num. 9. Conc. p. 224. num. 5. Pont. l. 9. c. 4. num. 22. Tourn. Prælect. Theol. t. 11. p. 119. et alii ap. Salm. c. 4. num. 43.* dicit olim, si nullum aderat periculum perversionis, non potuisse Fidelem transire ad alias nuptias, quia non aderat causa discedendi à Conjuge infideli, cum per miracula quæ frequentius tunc per Fideles fiebant, plures Infideles ad Fidem convertentur; Sed hodie, cum cessaverint miracula tam frequentia,

illicitum est cohabitare cum Coniuge infideli ex recepta Ecclesie consuetudine, quæ introducta est ex eo quod experientia docuerit non modicum perversionis periculum imminere ex consortio Infidelis; nisi (excipiunt *Tourn. l. c. et Sanch. D. 75. n. 13.*) Episcopus dispenset ad cohabitandum propter probabilem spem conversionis illius. Verumtamen advertendum 1. cum *D. Th. l. c. Conc. p. 225. n. 7. et Petrocor. d. p. 431. ex cit. cap.* Quanto, quod Matrimonium illud non solvitur, donec Fidelis ad alias nuptias transeat. Advertendum 2. quod antequam Fidelis cum alia Matrimonium contrahat, debeat monere Infidelem, si velit ad Fidem converti, ex præcepto Greg. XIII, et S. Pii V, ut dicunt *Pont. l. 7. c. 48. n. 23. Sanch. D. 74. n. 12. et Croix n. 408.* Excipit tamen *Sanchez num. 13 et 14* cum aliis, contra *Pont.* si constet Infidelem esse pertinacem, vel si multum distet. Notat autem *Croix loc. cit.* quod casu quo infidelis non possit moneri, ad contrahendas alias nuptias requiritur dispensatio Pontificis, ut asserit jam præscripsisse præfatum Greg. XIII.

958. — Matrimonium autem inter Fideles nunquam solvitur, nisi alter Coniugum intra bimestre à Matrimonio contracto, et non consummato, Religionem ingrediatur, ut habetur in *c. Siquis conjugatus. 27. q. 7. et in Trid. sess. 4. Can. 6.* Hoc tamen intelligitur, prout diximus *n. 870. in fine*, modo Matrimonium non esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut honorem Sponsæ, tunc enim non posset vir fieri Religiosus, relinquendo Sponsam, quæ ob infamiam nequiret amplius nuptias invenire. Dicunt autem *Sanch. l. 2. D. 25. n. 27. Pont. l. 9. c. 9. n. 7. et Salm. c. 4. n. 90. cum Conn. Trull. et Dic.* quod si transacto bimestri conjux ingreditur Religionem, illicitè hic profiteretur, sed validè, quia Concil. in *d. Can. 6.* indistinctè sic pronunciavit: « Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius Coniugum non dirimi, anathema sit. » Ut dicatur autem Matrimonium consummatum, non sufficit penetratio vasis fæminei, sed requiritur effusio seminis in illud; ita communiter DD. cum *Conc. p. 252. n. 4. et D. Th. vide dicenda n. 1036. v. Hic autem.* Quilibet verò Coniugum licitè potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi Religionem, quia utitur iure suo; ita communiter *Pal. p. 2. §. 5. n. 7. et Sal. n. 91. cum Soto, Con. Led. Henr. Dic. et Trull. Peccaret tamen (ut diximus n. 870. D. 2. in fine)* Sponsus qui Matrimonium contraheret animo intrandi Religionem.

959. — An verò possit Papa ex dispensatione solvere Matrimonium ratum et non consummatum? Adest duplex sententia probabilis. Prima negat, et hanc tenent *Pont. l. 9. c. 3. n. 3. Pal. D. 3. p. 2. §. 2. n. 3. Gonet D. 5. n. 13. item S. Bonav. Scot. Val. Soto, Led. etc. ap. Salm. c. 5. n. 53.* Ratio, quia Matrimonium ratum ejusdem est naturæ quàm consummatum, cujus indissolubilitas (ut declaravit *Trid. Sess. 24. in princ.*) est de jure Divino, in quo nihil potest Pontifex. Secunda verò sententia

affirmat, et hanc tenent cum *Bus. Sanch. l. 2. D. 14. n. 2. Bellar. l. 2. de Monach. c. 8. Navar. c. 22. n. 21. et Salm. c. 5. n. 61. cum Caj. Vasq. Con. Bon. Reb. Bec. etc.* Ratio, tum quia Pontifices pluries hoc in usum deduxerunt dispensando in Matrimonio rato, ut referunt de propria scientia *Navarr. Cajet.* tum quia summus Pontifex tanquam Christi Vicarius, cui regimen Ecclesie est commissum, bene potest cum justa causa dispensare in aliquibus quæ sunt de jure Divino, et humanos actus concernunt. Causa autem justa (ut dicunt præfati AA.) esse vel impotentia superveniens, aut scandalum imminens, vel sterilitas de novo cognita, quando opus esset ad bonum publicum ut proles gigneretur. Addunt etiam, si adsint disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones prævisæ, mutuus Coniugum consensus; sed has quatuor causas non admittit *Conc. p. 247. ex n. 20.* et meritò, saltem nisi urgeat necessitas boni publici; nam alias, istis admissis, pauca Matrimonia rata et firma stare possent.

960. — « Resp. 2. Manente vinculo Matrimonii, licitè fit » divortium, et separatio quoad torum et cohabitationem, ad » tempus, vel in perpetuum, ob gravem et justam causam, qualis » est: (*V. Not. VIII, pag. 364.*)

« I. Alterius conjugis culpabile adulterium (per quod hinc etiam » intelligitur omnis species luxuriæ, in qua caro cum alia divi- » ditur, qualis est bestialitas, sodomia etiam intra eundem sexum. » *Bon. quæst. 4. p. 5. n. 2. contra Fill. Sanch. Perez d. 56. s. 1.* » et 2. ex *Matth. 5.* et ex *c. Gaudemus c. Ex litteris.* Non tamen » mollities, vel pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudici. » *Bonac. Sanch. Per. l. c.* licet propter similia ad tempus possit » aliquando fieri separatio, ut nocens emendetur\* (*ut Salman- » ticensis cap. 16. num. 14. cum Sanch. Trull. et com.*)\*: tunc enim » innocens Religionem ingredi, aut Sacros etiam Ordines susci- » pere potest: nocens verò non, nisi cum innocentis consensu. » Excipitur tamen ab hoc casu 1. Si uterque conjux particeps sit » ejusdem criminis, vel æqualis. *Sanch. l. 10. d. 6. Bon. loc. cit.* » Nisi innocens alteri condonarit. Quod aliqui eum fecisse cen- » sent, si eam post adulterium intellectum rursus cognoverit. *Bon. » ex Conc. Henr. Fill. Per. s. 3.* ubi vide plures casus exceptos. »

Certum est virum posse dimittere uxorem adulteram, ut docuit Christus Dominus *Matth. 5. 19.* et expressum habetur in *c. Gaudemus. c. Ex litteris. et c. Significasti de Divort.* Idem communiter dicunt DD. de viro adultero, quem uxor possit relinquere; ita *Sanch. l. 10. D. 3. num. 6. Pont. l. 9. c. 16. et Salm. c. 16. num. 2. cum Con. Bon. Trull. ex c. Præterea 32. quæst. 5. etc. Idololatria 36. quæst. 1.*

961. — Quær. I. An ad divortium faciendum sufficiat suspicio de Coniugis adulterio? Quod sola suspicio sufficiat, habetur expressum in *c. Dicit Dominus. 32. q. 1.* ubi D. Hieronymus dixit: » Ubicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè » dimittitur uxor. » Communiter tamen advertunt *D. Thom. in 4.*



D. 35 quæst. un. a. 3. ad 4. *Viva quæst. 8. a. 2. num. 4. Sanch. l. 10. D. 12. num. 41. cum S. Bona. S. Antonin. Palud. Soto, Innoc. Hostiens. Abb. et aliis*, non sufficere quamcumque probabilem suspicionem, sed requiri violentam, quæ moralem certitudinem fundet, prout si probetur visus fuisse solus cum sola, et nudus cum nuda, ut dicitur in *c. Cæteris 12. de Præsumptionibus*. Dicit autem *Pal. p. 6. §. 4. num. 8. cum Farinac. Gutt. etc.* hoc requiri ad divortium faciendum auctoritate Ecclesiæ, nam quoad forum internum, ait sufficere suspicionem probabilem, modo sit vehemens. Sed hoc intelligendum, quòd licet in foro interno non requiratur tanta certitudo quanta in externo, semper tamen requiritur talis suspicio, ut habeatur non sola probabilitas sed moralis etiam certitudo de adulterio patrato; aliàs (bene ait *Viva l. c.*) per solam probabilem nequit alter privari sua certa possessione. Hinc, nisi aliæ adsint circumstantiæ, non sufficiunt amplexus, tactus, et oscula ad faciendum divortium; ita *Pont. l. 9. c. 16. numer. 5. Viva l. c. Sanch. numer. 47. cum Navo. Palud. Perez, Barb. et Lop. et ipse Pal. p. 6. §. 1. n. 2. cum Con. Hurt. etc.* Item non sufficit, quòd inveniatur solus cum sola in loco secreto, ut *Sanch. num. 45. cum Navo. contra Menoch.*; sufficit verò in foro conscientiæ, si vir fide dignissimus testetur de adulterio, vel de violento indicio; ut *Sanch. num. 51. Viva l. c. et Pal. p. 6. §. 4. num. 8. cum Gutt. Menoch. etc.* Sufficiunt etiam ut ait *Pal. §. 4. n. 8. cum Menoch.* litteræ amatoriæ uxoris, quibus adulterium præteritum fatetur. Et sic puto etiam sufficere, si aspiaciatur aliquis solus cum sola in eodem lecto.

962. — Quær. II. An liceat facere divortium ob sodomiam, aut bestialitatem commissam à Coniuge? *Prima* sententia negat, quam tenet *Innoc. Abul. et Palac. ap. Sanch. l. 16. D. 4. num. 2.* hanc sequitur, speculativè loquendo, etiam *Pont. l. 9. c. 16. n. 5.* Ratio, tum quia per solam fornicationem caro dividitur; tum quia lex pœnalis, qualis hæc est, non debet extendi de casu ad casum; textus autem in *c. Gaudemus, et c. Litteris de Divor.* ut supra, de sola fornicatione loquuntur. *Secunda* verò sententia communior et probabilior (saltem extrinsecè) affirmat, et hanc tenent *D. Thom. Suppl. quæst. 62. art. 1. ad 4. Sanchez loc. cit. num. 3. Pal. p. 7. §. 1. num. 2. Conc. p. 255. num. 7. Salm. c. 16. num. 9. cum Soto, etc.* Ratio, quia ex jure naturali interque Coniux tenetur fidem servare non dividendi carnem suam cum alia, quæ verè dividitur, cum habetur concubitus sodomice, vel bestialitatis. Nec obstat quòd lex pœnalis non sit extendenda; nam jus descendendi ab adultero, qui cum alia carnem suam dividit, non oritur ex lege positiva, sed ex ipso jure naturali, quod prohibet ne coniux cum alia carnem dividat. Sed AA. primæ sententiæ semper replicare possent, verè non dividi carnem sine copula naturali. Cæterum bene ait *Pont. l. c.* ab hac sententia non recedendum cum sit communis, sed revera eam non probari.

Quæritur III. An copula habita cum aliena sine seminis effusione, sit causa sufficiens ad divortium. *Prima* sententia affir-

mat, et hanc tenet *Conc. p. 255. num. 9. citans S. Bona. Sotum, Sylo. Palud. Vega et Henr.* Rationem non assignat, sed ratio videtur esse, quia fornicatio sine seminatione vera fornicatio est, licet non consummata, qua verè dividitur caro. Citat etiam *D. Th. et Bonac. sine locis, sed Bonac.* (ut infra) expressè oppositum tenet, et locum *D. Th.* ubi id tradit, non potui invenire. *Secunda* verò sententia probabilior negat, eamque tenent *Sanch. l. 10. D. 4. num. 13. Bonac. q. 4. p. 5. num. 2. Escob. l. 25. num. 131. et Salm. c. 16. n. 10. cum Fill. Trull. et Led.* Ratio quia nomine fornicationis intelligenda est fornicatio in suo genere perfecta, nempe consummata per seminationem, aliàs non adest vera divisio carnis, sed potius divisio attentata, per solam enim seminationem fornicantes fiunt una caro.

963. — Quær. IV. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere? Ratione adulterii certè non tenetur, dum hæc dimissio à Christo Dom. tantum sit permissa, non præcepta; ita *D. Thom. Suppl. quæst. 62. art. 2.* et alii omnes ex *cap. Idololat. 27. quæst. 1.* ubi *D. Aug.* sic dixit: « Dominus autem permisit » causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non » jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non di- » mittat uxorem infidelem. » Ratio patet, quia divortium intro- ductum est in favorem innocentis, unde non debet in ejus pœnam verti. Tantum verò potest vir teneri ad dimittendam adulteram ratione correptionis fraternæ, aut scandalii vitandi, ut docent *S. Th. l. c. Pal. p. 6. §. 3. num. 3. Bon. p. 5. num. 15. Salm. c. 16. num. 5. et alii ex c. Si vir de Adult.* ubi dicitur: « Si vir, sciens » uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed » permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et ejus » peccati particeps. » Sed quoad obligationem correptionis per- tinet, communiter dicunt DD. non teneri virum dimittere uxorem si alia via, nempe verbis, aut verberibus possit eam corrigere: ita *D. Th. l. c. ad 1. Salm. num. 7. et S. Bona. Cajet. Syloest. Arm. Cooar. Barb. Manuel. etc. ap. Sanchez l. 10. D. 13. num. 9.* Item nec tenetur, si ex tali dimissione timeat gravia incommoda, nimirum periculum propriæ incontinentiæ, vel rixas cum propinquis uxoris, vel infamiam, aut jacturam gubernationis domesticæ, et similia, quia præceptum correptionis non obligat cum gravi incommodo; ita *S. Anton. 3. p. tit. 2. c. 20. §. 9. Pont. l. 9. c. 17. n. 4. Pal. n. 3. Escob. n. 136. Navo. c. 16. n. 28. Bon. d. num. 13. Salm. num. 7. et Sanch. num. 8. cum Soto, Palud. Led. etc.* Cæterum bene aiunt *Laym. c. 7. num. 15. Viva quæst. 8. a. 2. num. 5.* quòd si putet vir hac sola via adulteram corrigendam esse, eo casu tenetur ex caritate (intellige si possit absque gravi incommodo) ad tempus eam dimittere.

Quod ad scandalum autem pertinet, tenetur etiam vir uxorem dimittere, ne videatur ipse peccato uxoris consentire, ut docent *D. Th. l. c. Sanch. n. 10. Pont. n. 3. et Salm. n. 7. cum aliis, ex cit. c. Si vir,* ubi maritus retinens uxorem pertinacem, declaratur reus, et ejus peccati particeps. Et idem dicitur in *c. Non*

solum, 6. Caus. 28. q. 1. ibi: « Quod si in his factis perseverat, recede ab illa. Sin autem, et tu particeps peccati illius eris. » Hoc tamen intelligitur 1. ut dicunt *S. Anton. l. c. Sanch. n. 21. Pontius, et Salm. l. c.* si adulterium sit notorium, non verò si occultum. Intelligitur 2. ut dicunt *Larm. d. n. 5. Pal. n. 3. Pont. n. 3. Salm. n. 7. cum Dic. et Per. ac Bonac. n. 13. cum Sylo. Tol. Con. Caj. Reg. Gutt. Reb. Fill. et Led.* si vir aliquo modo vequeat scandalo occurrere; secus verò si posset alia via, nempe uxoris reprehensione, reclusionem, verberatione, aut alia moderata roercitione. Quòd si, his mediis adhibitis, scandalum perseverat, erit vir excusatus, si uxorem non dimittit ex justa causa, nempe ratione periculi suæ incontinentiæ, vel si labore inopia, aut morbo, et ideo indigeat ope uxoris; vel si aliàs deberet grave damnum subire; vel si aliàs uxor deterior evaderet, aut illi immineret notabile detrimentum sanitatis, aut si adsit probabilis spes fore ut brevi uxor resipiscat, prout docent *S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 9. Palas num. 3. Salm. n. 7. et Sanch. d. D. 13. ex n. 19. cum Soto, Nav. Palud. Major. Tab. Led. Palas. Philarch. Gabr. Ang. Sylo. Lop. Arm. Ricc. et Abul.* etsi non omnes AA. citati omnes præfatas causas excusantes proponant. Addunt *Salm. l. c.* sufficere insuper causam, si plures expensæ essent impendendæ, ut divortium fieret auctoritate Judicis; vel si ex divortio contentiones timeantur. Demum *D. Anton. l. c.* sic concludit: « Ergo vir cum detrimento juris sui, et periculo non tenetur (uxorem) expellere. » Ita præfati AA. sed alii probabiliter dicunt, quòd si vir jam præbuerit sufficientia indicia, quòd ipse ægrè ferat uxoris adulterium, non tenetur eam dimittere ratione scandali; quia si nihilominus alii scandalizantur, scandalum ipsorum erit pharisaicum, quòd non tenetur ipse vitare; ita *Pal. n. 3.* cui consentit etiam *Laym. d. n. 17. cum Palud.* qui ait: « Si explicet maritus, quòd non foveat illam in crimine, sed juxta se retineat, ut cohibeat à peccato. Quòd si nihilominus aliquis scandalizetur, scandalum est ex malitia, quòd contemnitur. » Idem sentit *Glossa in c. Non solum*, supra citato, ubi ad verba, *sin autem, et tu particeps peccati illius eris*, explicat: *Id est, si non revocas eam à proposito.* Ergo vir qui revocat adulteram à proposito, non est reputandus particeps peccati illius. Clarius id docet *D. Anton. l. c.* dicens: « Propter scandalum pharisæorum non tenetur homo dimittere jus suum; prius debet (Maritus) exponere quòd non foveat illam in crimine, sed magis, ut eam melius cohibeat à peccato, juxta se retinet; et cum hoc sit verisimile, si quis ex hoc scandalizatur, non erit scandalum pusillorum, et cum non potest dimittere sine periculo suo, licitè potest retinere. » Hinc ex omnibus prædictis bene inferunt *Pal. l. c. Sanch. n. 26. cum Led. et Abb. et Salm. n. 7. cum Soto, Pont. Dec. Perez, Trull. etc.* quòd propter hanc causam scandali rarò teneatur vir uxorem adulteram dimittere.

964. — Quær. V. An uxor teneatur divortium facere à viro adultero? Prima sententia, quam tenent *S. Anton. 3. p. tit. 1*

*c. 20. §. 9. in fin. et Sanch. l. 10. D. 14. n. 29. cum Palud. Sylo. Soto, Tab. Arm. Sa, Led. etc.* dicit nunquam teneri: non ratione scandali, quia nunquam præsumitur uxor consentire in viri adulterium; non ratione correptionis, quia tantum Superioris est corrigere factò; uxor autem est subdita viro, unde ipsa (ait *D. Antoninus*) non debet virum corrigere factò, sed verbo. Secunda tamen sententia mihi verior, quam tenent *Bon. p. 5. numer. 13. Con. p. 256. numer. 16. Nav. c. 22. num. 21. Antoine p. 587. quæst. 9. Salm. c. 16. n. 7. cum Dic. et Perez;* item *Pet. Soto, Palas, Gabr. Led. etc. apud Sanch. n. 27.* dicit etiam teneri aliquando divertere à viro adultero, quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo, corrigere Superiorem modo quo potest; et à fortiori ad id tenetur uxor, cui jam concessum est relinquere virum adulterum; dummodo tamen (ait *Antoine*) ipsa sciât virum hoc medio certò emendandum: sed melius dicit *Con.* si probabilis sit spes emendationis, quia correctio bene debet fieri ubi spes probabilis intervenit, ut dicunt *Salm. in tr. 21. de Corrupt. frat. c. 7. n. 66. cum Suar. Pal. Diana, etc.* Meritò verò dicunt præfati AA. ad hoc rarò sive rarissimè teneri uxorem, tum quia rarissimè uxor potest corrumpere verum; tum quia rarissimè poterit uxor à viro discedere sine gravi incommodo. Et ideo nec etiam tenetur ei debitum negare: tantò magis quia negando vir deterior fieret, ut docent *S. Anton. et Bonac. l. c. cum Sanch. Fill. et aliis.*

965. — Utrum autem teneatur Conjux innocens recipere alterum ex adulterio emendatum? Affirmant *Conc. 2. ac Buss. infra n. 5. cum Laym. et Perez* ad hoc teneri ex caritate, si aliàs ille sit in periculo relabendi. Sed ego minimè auderem innocentem ad hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus Dom. eum perpetuò liberaverit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex alia non videtur caritas ad tantum onus obligare, ut Conjux recipiat alterum qui fregit sibi fidem. Unde meritò dicunt *Salm. c. 16. n. 21.* tantum ex honestate et decentia debere innocentem sibi reconciliare emendatum si commodè potest. Nec obstat quòd in *c. Si vir Adult.* dicatur: « Debet, sed non sæpe, » recipere peccatricem: » nam *Glossa to debet* explicat: « Debet » debito honestatis, non necessitatis. »

966. — Quær. VI. In quibus casibus illicitum sit Conjugi divortium facere ab altero in adulterium lapsò? Primus est si uterque reus sit adulterii, tunc enim neuter jus habet ad divortium, etsi unus semel peccaverit et occultè, alter verò centies et publice; ita *Sanch. l. 19. D. 6. n. 8. Pont. l. 9. et Salm. c. 16. n. 12. cum Soto, Con. Trull. Dic.* et aliis passim, ex *D. Th. in 4. D. 35. q. un. art. 6. ad 5.* Dubitatur autem hic, an in tali casu Conjux emendatus possit divortium facere ab altero in adulterio perseverante? Adest duplex sententia probabilis. Prima negat, nisi condonationem sui criminis jam obtinuerit; quia emendatio illius, ut dicunt, injuriam alteri (vel semel factam) non extinguit. Ita *Pont. l. 9. c. 17. in fin. Dic. Led. Hart. Bus.* apud

*Salm. c. 16. n. 13.* Secunda autem sat probabilis sententia, quam tenent *Sanch. l. 10. D. 7. n. 4. Vioa q. 8. art. 1. n. 6. Avers. Trull. Con. Bon. Reg. Henr. etc. ac Salm. n. 14.* dicit, quòd emendatus possit separari ab altero, qui post correctionem non respiscit. Ratio, quia (ut dicunt) si post crimina ambo Conjuges se reconciliarent, tunc, uno relabente, posset alter certè recedere: Ita pariter in præsentì casu, nam emendatus per ipsam correptionem jam virtualiter offert reconciliationem, quam alter admittere tenetur, et sic terminus jam imponitur compensationi: ita ut alter non ampliùs habeat jus in posterum compensandi novum peccatum cum præterito Conjugis emendati: et ideo ob novum adulterium justè tribuitur emendato jus recedendi.

Secundus casus est, si Conjux consentiat in adulterium alterius: tunc enim amittit jus recedendi ex *c. Discretionem de eo, qui cog. etc.* Et est communis sententia cum *Sanch. lib. 10. D. 5. n. 4. Bon. p. 5. n. 14. et Salm. c. 16. n. 15. Con. Trull. Per. etc. D. Th. Suppl. q. 62. art. 1.* Notand. tamen hic uniformiter, quòd non sufficiat ad præsumendum consensum viri, si ille prudenter dissimularit, vel non averterit adulterium uxoris: eò quòd non potuit sine magno incommodo: vel si causam tantum remotam præbuit, ut si malè eam tractavit; in allatis enim textibus statuit non excusari fœminam adulterantem, etiamsi à viro sit injustè dimissa.

Tertius casus est, si Conjux sine culpa formali adulteretur, putà, ob errorem inculpabilem, vel si violenter cognita sit; ita communiter *S. Th. l. c. Sanch. Con. etc. cum Salm. n. 17.* Secus verò ut notat *Sanch. n. 15.* si per metum consentiret, quia propter metum non excusatur à culpa. Notat etiam *Dic. apud Sanch. ibid.* quòd, si uxor putans virum esse mortuum, extra Matrimonium fornicetur, etiam vir potest eam dimittere; secus, si vir fornicetur putans mortuam uxorem.

Quartus casus est, si injuria sit remissa, sive ante, sive post divortium. Si autem post remissionem relabatur vel reconciliatus, vel reconcilians, alter jam dimittendi jus habet. *Sanch. D. 6. n. 7. Salm. n. 18. et alii.* Præsumitur autem facta remissio vel ex verbis, vel factis, ut si Conjux innocens, conscius et memor adulteri, omnino sponte coeat cum adultero, ut docent *S. Th. Sup. qu. 62. ar. 1. Sanch. D. 6. n. 19. et D. 14. n. 6. Salmant. num. 19. cum Dicast. Trull. Avers. et aliis apud Bus.* Signa pariter sunt remissionis, si maneant in eadem domo, mensa, lecto, maxime si interveniant oscula, tactus, amplexus. Notandum tamen, quòd si Conjux innocens per hæc verè animum non habeat remittendi, in conscientia semper recedere potest, quamvis in foro exteriori divortium ei negetur; ita *Sanch. D. 14. num. 21. et Fill. Avers. Trull. Vill. cum Salm. d. n. 19.*

967. — Sed dubitatur hic 1. An factò divortio per sententiam Judicis, possit innocens adhuc adulteram cogere, ut ad se redeat? Duplex est sententia. Prima, quam tenent *Soto, et Led. ap. Sanch. lib. 10. D. 10. num. 2.* qui probabilem vocat, dicit, quòd per sententiam etiam adultera remaneat soluta ab obliga-

tione cohabitandi, et reddendi debitum. Secunda verò sententia et communis, quam tenet *Sanch. num. 3. cum Syb. Henr. Led. Sa, et pluribus aliis, item Pal. p. 6. §. 7. num. 1. Pont. l. 9. c. 19. Bon. p. 5. num. 16. et Salm. c. 16. num. 22. cum Con. Gutt. Reg. Aversa, etc.* docet quòd semper ac status utriusque Conjugis non sit mutatus, nempe si neuter voverit castitatem, etc. teneatur adultera redire, quia innocens suum jus non amittit per sententiam, quæ tantum in pœnam adulteræ, non in favorem emanatur; ita expressè docet *Divus Thomas Sup. quæst. 62. art. 6. ad 3. ubi:* « cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem; unde » uxor tenetur ei reddere, et ad eum redire, si fuerit revocata, » nisi de licentia ejus votum continentia emiserit. » Et ad hoc, ut adultera teneatur redire, rectè dicit *Sanchez n. 24.* (contra *Palac.*) non requiri novam sententiam Judicis. Meritò verò ait *Pal. p. 6. §. 7. num. 3. cum Gutt.* rarò posse compelli uxorem adulteram redire ad virum, propter prudentem timorem mortis, aut sævitiaè facilè ab illo inferendæ.

Dubit. 2. Si Conjux innocens, factò divortio per sententiam, labitur in adulterium, utrùm is amittat jus ad divortium, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire. Prima sententia affirmat, quia injuria jam est compensata, nec sententia ita abstulit adultero jus, ut innocens post divortium possit adulterari; ita *Pont. l. 9. c. 20. n. 6. item ap. Salm. c. 16. n. 23. S. Anton. S. Bonao. Per. Dic. Con. Avers. Sot. Dian. Leand.* et probabilem vocant *Salm. c. 16. n. 23.* Secunda tamen sententia, quam longè probabilior censeo, et tenent *S. Th. Sup. q. 62. art. 6. ad 4. Sanch. l. 10. D. 10. num. 30. et Salm. num. 25. Fill. Reg. Bon. Led. et alii,* dicit non teneri: quia per sententiam absolute latam jam innocens absolutus mansit à servitute, et adulter jure suo privatur. Hoc tamen non obstante, *D. Th. l. c. ad 4.* sic advertit: « Secundum æquitatem juris Judex ex officio suo debet eum » cogere (aliàs monere) ut caveat periculo animæ ejus, et scandalo » aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere. » Et in hoc omnes conveniunt, ut dicunt *Salm. n. 14.*

968. — Dubit. 3. An Conjux possit adulteram dimittere propria auctoritate? (*V. Not. IX, pag. 365.*) Adsunt tres sententiæ satis probabiles. Prima sententia absolute negat, et hanc tenent *D. Th. Sup. quæst. 62. art. 3. ubi:* Divortium non potest celebrari, nisi judicio Ecclesiæ. *Conc. p. 256. n. 14. ac Bellarm. Aversa ap. Salm. c. 16. n. 46.* Ratio, quia separatio Conjugum est actio publica, pertinens ad externam gubernationem; unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione. Secunda sententia, quam tenent *Laym. c. 7. n. 8 et 9. Pont. c. 18. n. 2 et 6. et Salm. n. 47. cum S. Ant. Soto, Con. Hen. Vill. etc.* distinguit, et affirmat, si adulterium est notorium; negat verò, si occultum, quia tunc fama Conjugis adulteri injustè proderetur. Idque confirmant ex *c. Significasti l. de Divort.* ubi dicitur: « Si » notorium est mulierem adulterium commisisse, ad eam reci-

» piendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum  
» alia adulterium commisisse. » Item ex *c. Ex parte 9. de Spons.*  
» ibi: « Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis  
» dimittere. » Tertia demum sententia absolute affirmat,  
» posse fieri divortium sine sententia, sive adulterium sit publicum,  
» sive occultum, modo sit certum, et ex separatione non interveniat  
» scandalum quod non possit aliter reparari; ita *Sanch. l. 10. D. 12. n. 31 et 32. cum Soto, Pal. Henr. Abb. etc. ac Bon. p. 5. n. 10. cum Sa, Led. Reg. Con. et Fill. Probatur 1. ex c. Dixit Dominus 32. q. 1. ibi: « Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis » suspicio, liberè dimittitur uxor. » Nota to liberè, quod denotat nullam requiri sententiam, aut licentiam. Et ratio est, quia absolute concessum est à Christo Domino dimittere Conjugem adulterantem. Hæc sententia mihi probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte fœminæ; durum enim esset cogere virum certum de adulterio uxoris, ut publicum faciat illius crimen in iudicio cum suo perpetuo dedecore. Bene tamen advertit *Bon. loc. cit.* quod si post divortium Iudex cogat Conjugem ad cohabitandum, teneatur obedire; sed juxta hanc sententiam non tenetur reddere.*

969. — Notandum autem hic, quod, facta juridica separatione, vir innocens possit ingredi Religionem, etiam invita adultera, *c. Agatosa 27. qu. 2.* Possitque etiam Ordines Sacros suscipere, ut *Salm. c. 16. n. 50. cum communi*, manente tamen vinculo Matrimonii; quare, si is, suscepta Religionem, vel Ordinibus Sacris, cum alia coiret, licet tunc non detur amplius criminis compensatio, attamen verum adulterium committeret. Item, si uxorem cognosceret, peccaret quidem peccato sacrilegii, sed non fornicationis. Hoc autem esset, si Matrimonium jam consummatum fuerit, nam alias Matrimonium per Professionem Religiosam (non autem per Ordines Sacros) etiam quoad vinculum dissolvitur; *Salm. c. 16. n. 50 et 51. et commun.* Rectè autem advertunt *Salm. n. 53.* quod, si conjux innocens absque sententia iudicis separaretur ab adultera, vix unquam posset, etiam juxta primam opinionem ut supra, Sacerdotium suscipere: quia difficulter hoc fieri posset absque scandalo.

E converso adulter, nec etiam facto divortio juridico, potest Religionem ingredi, aut Sacerdotium suscipere, nisi de licentia alterius; vel nisi alter jam statum irrevocabilem assumpserit. Alias, si Religionem aut Sacerdotium suscipere velit, esto jam assumpserit, potest ab illo repeti, et tenetur reddere. Sed sufficit ad hoc licentia tacita, ut si alter sciens hunc velle mutare statum, non impediatur, cum commodè possit. Et sufficit etiam, si alter requisitus neget reconciliationem, ut dicunt *Sanch. l. 10. n. 15 et 19. et Salm. c. 16. n. 54. cum Con. Avers. Dic. Dian. Bon. Led. ex c. Gaudemus de Conversione Conjug. Addunt Pont. l. 9. c. 6. n. 3. Sanch. n. 8. cum aliis, et Pal. p. 6. §. 7. n. 2.* quod si post biennium adulter non revocatur, potest liberè Religionem ingredi, vel sacris initiari, quia tunc censetur alter in hoc ei

consentire. jure sic disponente in *Authentica, Sed hodie C. ad l. Jul. de Adult.*

970. — « II. Sævitia mariti, vel uxoris. Ex qua, si grave periculum compartiri imminet, potest separatio peti a iudice; imò, » si mortem minetur, vel venenum pareat, potest divertere ante » iudicis consensum. Vide *Bonac. loc. cit. Laym. Per. s. 2.* »

Constat ex *c. Ex transmissa, de Rest. Spol.* ob sævitiam Conjugis posse alterum separari, quamvis iste ob aliquod suum crimen fuerit causa sævitie illius, *c. de Ben. 32. q. 1.* Non tamen sine sententia Iudicis, et postquam crimen sit plenè probatum, ut ex *Conc. Carthag. in c. Seculare 33. qu. 2.*

971. — Sed quæritur 1. an tunc possit recedere propria auctoritate? Affirma, si periculum sit in mora (ut ait hic *Busemb.*) vel si non possit litigare, aut Iudicem adire, vel facile sævitiam probare; ita *Sanch. lib. 10. D. 18. n. 3. Anacl. p. 667. n. 110. et Salm. c. 16. num. 38. cum Aversa, Trull. Vill.* Si verò possit Iudicem adire et sævitiam probare, tenetur expectare sententiam, ut dicunt *Sanch. l. c. Pal. §. 4. num. 7. Pont. l. 9. c. 23. n. 7. et Salm. d. n. 38. c. Significasti, de Divort. contra Trull. et Hurt.* Ratio, tum quia exigitur sententia, ne passim divortia fiant; tum quia causa hæc sævitie introducta est auctoritate Ecclesie; et ideo æquum est, ut nemo ea utatur ad discedendum sine Ecclesie auctoritate.

Quæritur 2. an talis justè recedens possit, invito Coniuge, Religiosus fieri? Negatur, nisi timor de damno gravi sit talis, ut nunquam deponi possit, ex *c. Litteras, de Rest. spoliat.* Alias divortium tantum ad tempus erit, donec cesset periculum, data cautione in iudicio; ita *Sanch. l. 10. D. 18. numer. 5. Salm. numer. 37. cum Bas. Trull. Fill. Dic.* Notant autem *Salm. num. 40. cum Dic.* in praxi vix credi posse, quod cesset unquam periculum, si Coniux fuerit amens et furiosus, vel ita pronus ad iram, ut sæpe intervenerit periculum damni, et aliquando uxorem vulneraverit; vel si dederit venenum, etiam semel.

Quæritur 3. qualis timor sufficit ad divortium ratione sævitie. Resp. Sufficit, ut prudenter timeri possint quæcumque mala gravia à Coniuge, vel ab ejus propinquis; ut si adessent comminatio mortis, verba injusta, frequentia convicia et jurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortus intentati, vel mali gravis in aliis filiis, aut consanguineis, etc. Ita *Sanch. l. 10. D. 18. num. 11 et 12. ac Salm. c. 16. num. 41. cum communi.* Rectè tamen advertunt *Salm. ibid.* quod aliqua ex his, quæ respectu fœminæ nobilis essent gravia, respectu alterius humilis conditionis levia erunt. Item advertunt *Sanchez numer. 13. et Roncaglia pag. 180. q. 5. R. 1.* non sufficere solas minas, nisi Coniux solitus sit illas exequi; quapropter Iudex bene pendere debet minantis conditionem et modum, ex *l. Hæc autem 5. ff. Si cui plus, etc.*

972. — Quæritur 4. an sola verbera sint causa justa divortii? Alii affirmant, *Bart. Bald. Lupus, Graff. etc. ap. Sanch. D. 18.*

num. 14. Alii negant, nisi ex verberibus probabiliter timeatur periculum mortis, ut *Cujac. etc. ibid. n. 5.* Alii verò communissimè ut *Pont. l. g. c. 25. n. 5. Ronc. p. 180. quest. 5. R. 1. et Sanch. numer. 16. cum Host. Abb. Ang. Sylo. Henr. Arm. Tab. etc.* dicunt licitum esse viro verberare uxorem, modò non fiat frequenter, nec ex levi causa, nec acriter, quamvis causa sit magna; sed rarò, et mediocriter. Unde probabiliter ait *Sanch.* non posse uxorem discedere, si verberatio est levis, etiamsi sine causa verberata fuerit ( excipiunt *Salm. c. 16. num. 41.* nisi mulier esset nobilis.) Item addunt *Ronc. l. c. Bon. p. 5. num. 5. Pal. p. 6. §. 9. n. 8. et Sanch. num. 16. cum Rol. et Rimin.* non licere uxori divortium facere ex una verberatione, etsi gravi, sed requiri saltem binam, nisi probabiliter timeatur ne maritus verberationes replicet, attentata illius natura, et circumstantiis, putà si ipse domi vel etiam extra domum detineat concubinam.

975. — « III. Si conjux partem trahat in peccatum, v. g. sollicitet ad hæresim, veneficium, etc. » ( *Adde si vir alios in domum introducat cum periculo, quòd tenet ad adulterium. Vel si vir velit exercere sodomiam cum uxore, etsi ipsa sentire renuerit, ut Salm. num. 35. cum Sanch. Bas. Soto.* ) » tunc enim innocens potest se separare, imò tenetur, si periculum sit grave. *Laym. l. 5. t. 10. p. 3. c. 7. n. 16.*

« IV. Morbus contagiosus, v. g. lepra. » ( *Ut D. Th. suppl. quest. 64. a. 1. ad 4. ubi: Uxor viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen ei cohabitare. Hoc autem, rectè ait Sanch. l. g. D. 24. num. 29. cum S. Anton. et aliis, intelligi, si ex cohabitatione probabiliter imminet periculum infectionis. Item justa erit causa discedendi, si alter Conjux sit furiosus, aut maleficus, aut energumens, ut Salm. c. 16. n. 35. cum communi.* ) » Quòd si tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad id tenetur, aut saltem ad habitare, et ministrare, nisi alter remittat.

974. — « V. Hæresis, vel apostasia superveniens matrimonio. Quo casu, si separatio facta sit iudicio Ecclesiæ, non tenetur conjugem conversum recipere, saltem ex justitia: nam ex caritate aliquando tenetur, ut si sit periculum incontinentiæ. *Bon. Laym. loc. cit. Per. d. 57. s. 1.* » ( *Nota hinc, quòd non ob quæcumque crimina Conjugis potest alter separari, sed tantum ob perniciosam. Potest autem ab hæretico discedere, etsi hæresis sit occulta: imò tenetur, si sit in periculo percoersionis; vide Salm. c. 16. ex num. 26. Et si crimen sit declaratum, potest alter etiam fieri Religiosus, ut Salm. num. 34. modò iudicio Ecclesiæ discesserit, ut patet ex c. De illa, de Divort. ubi hoc divortium declaratur esse perpetuum.* ) »

975. — « VI. Mutuus consensus. ( *V. Not. X, pag. 365.* ) Ex quo licitè se separant vel toro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quòd tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur religionem, vel uxore ad religionem transeunte (aut si vetula sit, id est sexa-

» genaria, *Azor. etc.* vel saltem quinquagenaria, *Sanch. Bonac. Barb. Dian. p. 3. t. 4. R. 73.* manente in seculo in voto continentiæ), maritus suscipiat sacros Ordines. » ( *Si autem Conjux remanens in seculo nesciebat se teneri eo casu ad emittendum votum castitatis, dicunt Sanch. Fagn. etc. (contra Anacleum)* » apud *P. Ferraris Bibl. verb. Conjux n. 23.* quòd ille, adhuc præstito consensu, potest ad se revocare Conjugem etiam in religione professum. ) » Porro, apud quem, et cuius expensis, factò divortio, liberi sint educandi? Vide *Laym. hic l. 1.* » et *Sanch. Vid. Per. d. 58 et 59. Bon. q. 3. p. 5. n. 11.* »

976. — Conveniunt DD. quòd, factò divortio juridico, filii sint educandi apud Conjugem innocentem. ( *V. Not. XI, pag. 365.* ) Quo verò ad expensas, si divortium fit culpa patris, ejus expensis educanda est proles, ex *Authent. Si Patet. C. Divortio facto, ubi: « Si pater causam divortii præstiterit, apud matrem, ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris expensis. »* Et contra expensis matris, si divortium fit culpa matris; ita *Glossa in dicta Auth. Pal. p. 6. §. 10. num. 5. Laym. c. 7. in fin. et Sanch. l. 10. D. 20. num. 7. cum Bart. Palud. Hist. Syloest. Henriquez, Gutt. etc. ex eadem Authent. ubi legitur: « Si verò contra, tunc apud patrem, matris locupletis expensis; nisi pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur. »* Sed negant *Salicet. Boerius, et Alex. ap. Sanch. l. c. n. 5.* quòd asserunt prædicta verba non esse in textu originario ( ut fatetur ipsa *Glossa* ), sed inserta fuisse ab *Irnerio*. At hoc non obstante, non discedendum à sententia communi, ut ait eadem *Glossa*, quia cum matri adulteræ dos, factò divortio, restituatur, jus naturale postulat, ut ipsa Matrimonii onera sustineat; alias commodum ex suo crimine reportaret. Ad hoc tamen bene advertit *Sanch. num. 8.* cum communi omnium, omnino requiri sententiam Judicis. Quando autem alter Conjugum esset infidelis, vel hæreticus, proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis fuerit in culpa, ut *Sanch. num. 3. Pal. l. c. cum aliis.*

977. — « Quæres, an uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem? »  
» Resp. Teneri, quia vir est caput familiæ et uxoris.

Excipiuntur tamen sequentes Casus:

« 1. Si ex sequela timeatur grave onus, vel periculum, v. g. vitæ, pudicitæ, vel salutis; vel uxor à viro peregrè non alatur. »  
« 2. Si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facile sit sequi; secus tamen, si ante fuit vagus, idque ipsa scivit. »  
« 3. Si in contractu Matrimonii additum fuit pactum de non mutando domicilio, et nulla gravis necessitas urgeat. »  
Regulariter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium, etiamsi mutet sine justa causa; modò causa non sit turpis, *Sanch. l. 1. D. 40. num. 2 et 6.* Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria

consuetudo, quæ non potest derogare juri Divino, quod constituit virum caput uxoris, ut in 1. Cor. 11. 3. Item etiamsi vir longè discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus; secus verò si brevi inde reversurus sit; ita *Sanch. l. c. D. 41. num. 11. cum Panorm. et Alex. de Neoo, ac Boss. c. 6. num. 34. cum Suar. Barb. et Farin.* tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem, ut dicunt *Salm. de 2. Præc. c. un. num. 48. cum Sanch. Tol. Bon. Sayr. Fill. etc.* Prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longè discedat, si magnæ expensæ requirentur ad eam illuc transvehendam: *Salm. ib. cum AA. citatis.* E converso uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponeretur gravi periculo vitæ, ut *Sanch. l. 1. D. 41. num. 5. cum Sylo. Nao. Arm. Ang. etc.* aut periculo gravis detrimenti, ut *Boss. c. 6. n. 38. cum Laym.* et aliis communiter. Sic pariter non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi uxor ante Matrimonium id sciverit, ut *Sanch. l. c. num. 7. cum Sylo. Ang. Nao. Lopez, Man. et Boss. num. 48. cum aliis communiter.* An autem uxor teneatur sequi virum in exilium condemnatum? Probabilius affirmandum cum *Sanch. l. 1. D. 41. n. 13. Boss. c. 6. n. 46 et alii.* Vide dicta l. 3. n. 353.

FINIS TOMI SEXTI.

## NOTÆ.

## DE POENITENTIA.

## NOTA I.

(Pag. 9, lin. 47, ad verb. *Adverteret.*)

In variis Galliarum diœcesibus adimitur ex statutis confessario facultas absolvendi peccatum complicitis in materiâ turpi. Utrum autem vigeat et receptum sit decretum Bened. XIV quo fertur excommunicatio in eos qui confessionem complicitis audire præsumerent, cognosci poterit ex iisdem statutis vel consuetudine, ut jam alibi diximus pro quibuslibet censuris.

## NOTA II.

(Pag. 23, lin. 34, ad verb. *Annexam censuram.*)

In Galliis ex usu generali cessat obligatio se præsentandi ad superiorem pro pœnitente qui ob mortis periculum absolutus fuit a censuris summo pontifici reservatis. Excipiuntur tamen quædam diœceses ubi statuta id præcipiunt. Sed hæc obligatio vigeat pro his qui absolventur a censuris episcopo reservatis. Vide super hoc notata in *Tractatu de Censuris.*

## NOTA III.

(Pag. 29, lin. 2, ad verb. *In Paschate.*)

Juxta plures cleri gallicani decisiones et variarum diœceseon statuta vim adhuc obtinet apud nos lex fidelibus præcipiens ut in Paschate proprio parochio confiteantur. Unde invalida foret annua confessio apud quemlibet alium nisi de consensu parochi vel episcopi. Is autem consensus præsumitur quoties ex usu receptum est ut fideles indiscriminatim confiteantur apud quemlibet confessarium approbatum. In quibusdam enim diœcesibus parochi ex consuetudine vel statutis censentur approbati pro totâ diœcesi et etiam pro confessione paschali. In aliis verò requiritur consensus expressus. Hinc sedulò consulendæ sunt locorum consuetudines.

## NOTA IV.

(Pag. 50, lin. 5, ad verb. *Tuebimur.*)

Jam diximus in *Tractatu de Censuris* Episcopos in Galliis absolvere posse ab hæresi, nec receptam esse bullam *Canae*. Hic tantum nota-

bimur facultates Episcoporum non ex canonibus solum definitas esse, sed insuper ex usu et præscriptione legitimâ. Unde non mirum est si quædam facultates aliis competant et aliis desint. Quoad vim ergo quam obtinet reservatio quorundam casuum summo Pontifici, et quoad potestatem quam habent Episcopi in hujusmodi casus, consulenda est uniuscujusque diocesis constans et certa disciplina. Cæterum in dubiis recurras ad Episcopum cujus est nosse limites suæ potestatis.

## DE MATRIMONIO.

## NOTA V.

(Pag. 250, lin. 19, ad verb. *Invalidet.*)

Licet matrimonia filiorum familiæ absque consensu parentum contracta, jure naturali et ex se non sint invalida, uti declaravit concilium Tridentinum, attamen minores ex jure gallico validè contrahere non possunt nisi de consensu parentum; et cum saltem dubium sit utrum juris civilis absolutæ nullitates afficiant non solum effectus civiles sed etiam ipsum contractum, quisque tenetur amplecti tutiorem partem, et sese gerere quasi per hujusmodi nullitatem matrimonium ipsum invalidetur. Insuper filii etiam majores tenentur consensum hunc saltem petere, sed non sub pœnâ nullitatis, ut vulgò censent jurisperiti. Vide adnotationes in sequenti volumine de impedimentis civilibus.

## NOTA VI.

(Pag. 271, lin. ult., ad verb. *Respondit.*)

In Galliis ex disciplinâ satis generali, sponsalia pronuntiantur esse dissoluta, cum pars quæ in mora est, alteram ab anno non inviserit si manebat in eodem loco, vel ad eam non scripserit, si absens erat. Idem statuunt quædam ritualia.

## NOTA VII.

(Pag. 282, lin. 11, ad verb. *Deferre.*)

Quoad necessitatem sententiæ judicis ad solvenda sponsalia, præter dicta apud auctorem de jure communi, insuper consulenda sunt locorum statuta vel consuetudines quæ in variis locis variare possunt. Sic v. gr. in quibusdam diocesisibus olim statutum erat ne consensu quidem partium sine judicis sententiâ posse dissolvi.

## NOTA VIII.

(Pag. 351, lin. 22, ad verb. *Adulterium.*)

Olim in Galliis ex codice civili admittabatur divortium non quoad thorum tantum, sed etiam quoad vinculum, ita ut conjuges separati a se matrimonium civile contrahere possent. Illud verò divortium nunc abrogatum est, et conjuges, si quædam adsint causæ divortii,

non possunt obtinere nisi separationem corporis. Causæ autem divortii pro foro civili tres agnoscuntur, nempe adulterium, sævitia et unius conjugis damnatio ad pœnam infamantem.

ART. 229. Le mari pourra demander le divorce pour cause d'adultère de sa femme.

ART. 230. La femme pourra demander le divorce pour cause d'adultère de son mari, lorsqu'il aura tenu sa concubine dans la maison commune.

ART. 231. Les époux pourront réciproquement demander le divorce pour excès, sévices ou injures graves, de l'un d'eux envers l'autre.

ART. 232. La condamnation de l'un des époux à une peine infamante, sera pour l'autre époux une cause de divorce.

Quænam sint pœnæ infamantes, vide si lubet in codice pœnali, art. 7 et 8. Adverte insuper illas non esse causam divortii, nisi cum factæ sunt irrevocabiles.

## NOTA IX.

(Pag. 357, lin. 37, ad verb. *Propria auctoritate.*)

Quoad forum civile corporis separatio, cum semper importet bonorum separationem, locum habere non potest nisi per sententiam judicis. Sed id non intelligitur de simplici separatione quoad thorum, de quâ judicatur ex legibus canonicis vel jure naturali.

## NOTA X.

(Pag. 360, lin. 45, ad verb. *Mutuus consensus.*)

In codice civili, art. 309, statuitur quòd separatio corporis locum habere non potest ex mutuo consensu; id autem intelligendum de separatione publicâ et juridicâ, quæ, ut mox diximus, importat bonorum separationem, et quæ proinde non potest à judicibus pronuntari, nisi propter causas lege definitas, ne scilicet conjuges per voluntariam separationem creditoribus illudant.

## NOTA XI.

(Pag., 361 lin. 12, ad verb. *Innocentem.*)


Ex jure gallico judicis sententia declaratur apud quem filii sint educandi. Quoad expensas autem, illæ sunt communes utrique conjugum pro suis facultatibus.

ART. 302. Les enfans seront confiés à l'époux qui a obtenu le divorce, à moins que le tribunal, sur la demande de la famille ou du ministère public, n'ordonne, pour le plus grand avantage des enfans, que tous ou quelques-uns d'eux seront confiés aux soins soit de l'autre époux, soit d'une tierce personne.

ART. 303. Quelle que soit la personne à laquelle les enfans seront con-

ties, les père et mère conserveront respectivement le droit de surveiller l'entretien et l'éducation de leurs enfans, et seront tenus d'y contribuer a proportion de leurs facultés.

Vide insuper tom. 2, adnotationes in *Tractatum de Justitiâ*, ubi de *uxorum jure et dominio*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA  
DIRECCIÓN GENERAL DE

## INDEX

### CAPITUM ET DUBIORUM.

CUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA, QUÆ SINGULIS CAPITIBUS ET DUBIIS APONUNTUR, UT SIMUL HIC PRÆ OCULIS HABEANTUR CUNCTÆ RES ET QUÆSTIONES, QUÆ IN SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

### LIBRI SEXTI

#### TRACTATUS QUARTUS.

CAPUT II. — De ministro Sacramenti Pœnitentiæ. . . . . Pag. 1

DUBIUM I. — *Quis sit Minister.* . . . . . Ibid.

539. Confessarii indigent approbatione, et jurisdictione. 540. An in casu necessitatis sit obligatio constendi laico, vel Clerico. An vero Clericus vel laicus, in articulo mortis, deficiente Sacerdote, possit absolvere à censuris. 541. Nullus autem Sacerdos valide absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus.

DUBIUM II. — *Quid sit approbatio, et à quo petenda.* . . . . . 2

542. Quid sit approbatio. 543. An liceat Sacerdoti simplici excipere Confessionem venialium. 544. Dubitatur 1. An Parochus possit adsciscere cooperatorem alium Parochum alterius Diœcesis. Dubitatur 2. An ejusdem. 545. Debet eligi approbatus, aut Parochus. An sufficiat approbatio sine examine, et sine judicio interno. 546. An sufficiat approbatio petita, et negata. 547. A quo Episcopo habenda sit approbatio. 548. Resolvitur quæstio ex Bulla Innoc. XII. 549. An Religiosi approbati in una Diœcesi possint audire Confessiones in alia. 550. Alia notanda apud Busembaum. 551. An injusta revocatio approbationis sit invalida. 552. An Episcopus ex justa causa possit approbatos iterum examinare, aut approbationem revocare, vel restringere. 553. Sancita à Bened. XIV, circa Confessionem complicitis in peccato turpi. 554. Quid veniat nomine *peccati turpis*. An peccata interna. An dubia. 555. An absolutio complicitis sit invalida quoad omnia peccata. 556. Quæritur 1. An incurrat censuram Papalem, qui Confessionem complicitis tantum audit, et eum non absolvit. Quæritur 2. An Episcopus, vel ejus delegatus, facultate Tridentini in cap. *Licent*, possit absolvere Confessarium qui complicitis in peccato turpi absolutionem impertierit.


DUBIUM III. — *Quid et quotuplex sit jurisdictio Confessarii, et unde eam habeat.* . . . . . 11

557. Quid sit Jurisdictio, et quis habeat ordinariam. 558. An habeat Vicarius Generalis, contradicente Episcopo. Et qui possint eam delegare. 559. An delegatio expiret morte delegantis. 560. An hæretici, et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis. 561. An omnes Sacerdotes



ties, les père et mère conserveront respectivement le droit de surveiller l'entretien et l'éducation de leurs enfans, et seront tenus d'y contribuer a proportion de leurs facultés.

Vide insuper tom. 2, adnotationes in *Tractatum de Justitiâ*, ubi de *uxorum jure et dominio*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA  
DIRECCIÓN GENERAL DE

## INDEX

### CAPITUM ET DUBIORUM.

CUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA, QUÆ SINGULIS CAPITIBUS ET DUBIIS APPOINTUR, UT SIMUL HIC PRÆ OCULIS HABEANTUR CUNCTÆ RES ET QUÆSTIONES, QUÆ IN SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

### LIBRI SEXTI

#### TRACTATUS QUARTUS.

CAPUT II. — De ministro Sacramenti Pœnitentiæ. . . . . Pag. 1

DUBIUM I. — *Quis sit Minister.* . . . . . Ibid.

539. Confessarii indigent approbatione, et jurisdictione. 540. An in casu necessitatis sit obligatio constendi laico, vel Clerico. An vero Clericus vel laicus, in articulo mortis, deficiente Sacerdote, possit absolvere à censuris. 541. Nullus autem Sacerdos valide absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus.

DUBIUM II. — *Quid sit approbatio, et à quo petenda.* . . . . . 2

542. Quid sit approbatio. 543. An liceat Sacerdoti simplici excipere Confessionem venialium. 544. Dubitatur 1. An Parochus possit adsciscere cooperatorem alium Parochum alterius Diœcesis. Dubitatur 2. An ejusdem. 545. Debet eligi approbatus, aut Parochus. An sufficiat approbatio sine examine, et sine judicio interno. 546. An sufficiat approbatio petita, et negata. 547. A quo Episcopo habenda sit approbatio. 548. Resolvitur quæstio ex Bulla Innoc. XII. 549. An Religiosi approbati in una Diœcesi possint audire Confessiones in alia. 550. Alia notanda apud Busembaum. 551. An injusta revocatio approbationis sit invalida. 552. An Episcopus ex justa causa possit approbatos iterum examinare, aut approbationem revocare, vel restringere. 553. Sancita à Bened. XIV, circa Confessionem complicitis in peccato turpi. 554. Quid veniat nomine *peccati turpis*. An peccata interna. An dubia. 555. An absolutio complicitis sit invalida quoad omnia peccata. 556. Quæritur 1. An incurrat censuram Papalem, qui Confessionem complicitis tantum audit, et eum non absolvit. Quæritur 2. An Episcopus, vel ejus delegatus, facultate Tridentini in cap. *Licent*, possit absolvere Confessarium qui complicitis in peccato turpi absolutionem impertierit.

DUBIUM III. — *Quid et quotuplex sit jurisdictio Confessarii, et unde eam habeat.* . . . . . 11

557. Quid sit Jurisdictio, et quis habeat ordinariam. 558. An habeat Vicarius Generalis, contradicente Episcopo. Et qui possint eam delegare. 559. An delegatio expiret morte delegantis. 560. An hæretici, et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis. 561. An omnes Sacerdotes

possint absolvere tam in articulo, quam in periculo mortis. Et quale censeatur huiusmodi periculum. 562. An simplex Sacerdos possit absolvere, præsentate approbato. 563. In quibus autem casibus possit licite absolvere. Dubitatur I. An quisvis Confessarius possit absolvere moribundum à reservatis, etiam præsentate Superiore. Dubitatur II. An in morte, ad absolvendum reservata Papæ, adeundus sit Episcopus. Dub. III. An teneatur moribundus petere absolutionem à Superiore, saltem per litteras, aut nuncium. 564. An excommunicatus toleratus possit absolvere à venialibus. An Regulares possint absolvere sine approbatione Episcoporum. Et an omnes Sacerdotes ab Episcopo approbati possint Confessiones audire sine licentia Parochi. 565. Qui et quomodo possint eligere sibi Confessarium. Dubitatur I. Quomodo Episcopi, et alii Prælati. Dubitatur II. Quomodo Cardinales. Et an Parochi. 566. Quando habens potestatem delegatam possit eam subdelegare. Et quid de delegato ad universitatem causarum. 567. An absolutus in morte à reservatis teneatur postea consistere Superiori. 568. Vide alia. 569. A quo possint absolvi scholares, milites, peregrini, etc. Capellani exercitus nequeunt absolvere milites degentes in præsiidiis. 570. An sufficiat facultas præsumpta excipiendi Confessiones. 571. Quando liceat absolvere cum jurisdictione dubia, vel probabili. 572. Quæritur I. An error communis det jurisdictionem. 573. Quæritur II. An liceat ministrare Sacramentum cum jurisdictione tantum probabili. 574. An sit obligatio confitendi Parocho. 575. An Regulares itinerantes possint confiteri cuicumque Sacerdoti. 576. An Moniales petentes extraordinarium, et non obtinentes, possint cuique confiteri. 577. Plura notanda de Confessariis Monialium, et Militum in Præsiidiis.

DUBIUM IV. — *Quid sit reservatio casuum, et quis habeat potestatem reservandi, et absolendi ab iis.* . . . . . Pag. 32

578. Quid sit reservatio. 579. Quæritur I. An sit licita, et valida reservatio facta sine causa. 580. Quæritur II. An ignorantes reservationem casuum Papalium ab ea excusentur. 581. Dubitatur I. An excusentur ignorantes casus reservatos ab Episcopis. Dubitatur II. Quid, si casibus Episcopalis sit annexa excommunicatio. 582. Dubitatur I. An possint reservari peccata venialia. Dubitatur II. An peccata mere interna. Dubitatur III. Quid si peccatum fuerit externe leve, et interne grave. 583. An Regulares possint reservare casus, et quos. An novitii, et familiares sint exempti à casibus reservatis. 584. Vide quæ sunt apud Busembaum. 585. Quando possit simplex Confessarius absolvere à reservatis. Dubitatur I. An, si impedimentum sit perpetuum, possit directe absolvere. Dubitatur II. An tunc pœnitens teneatur confiteri, ut possit communicare. (Remissive ad n. 265. Quæ. I, dub. 3.) An tunc debeat manifestare etiam non reservata. (Remissive ad n. 265. Quæ. II.) 586. Quid, si Superior neget facultatem absolventi. 587. A quo possint absolvi peregrini. 588. Dubitatur I. Quid, si peccatum est tantum reservatum in loco confessionis. 589. Dubitatur II. Quid, si est tantum reservatum in patria. Et quid, si quis discedat à patria in fraudem. Et quomodo intelligendum to in fraudem. 590. Dubitatur III. An peregrinus possit absolvi à censura reservata in patria. 591. Dubitatur IV. An peccans in aliena Diœcesi, ubi casus est reservatus, incurrat reservationem. Et an excommunicationem annexam. 592. Dubitatur V. An peccans in Monasterio exempto, vel in aliena Diœcesi, possit absolvi in patria à simplici Confessario. 593. Dubitatur VI. An Episcopi possint absolvere peregrinos à casibus Papalibus occultis, et cum eis dispensare in irregularitatibus. An eandem facultatem habeant Vicarii Capitulares, et alii Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Notan-

dum 1. An Episcopi possint tollere reservationem extra Sacramentum. Notandum 2. Quid, si Episcopus inciderit in crimen reservatum. Notandum 3. Quando intelligatur crimen esse occultum. An autem Episcopus possit dispensare in votis cum peregrinis. Et in irregularitatibus, etc., cum impeditis. (Remissive.) 594. Dubitatur VII. An facultas in cap. *Liceat* sit pro casibus tantum ante Concilium reservatis. Dubitatur VIII. An Episcopi possint absolvere à reservatis ab aliis Episcopis. Dubitatur IX. An Episcopi possint hanc facultatem generaliter committere. An possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ. (Remissive ad lib. 7, n. 82, et seq.) 595. An Superior possit aliquando absolvere à reservatis, et pro aliis mittere pœnitentem ad inferiorem. 596. An absolutus ab habente potestatem possit à quocumque accipere absolutionem de reservatis. Quæritur I. An si pœnitens confiteatur bona fide, vel obliviscatur reservati, valide, et licite absolvatur à simplici Confessario. 597. Quæritur II. An confessus Superiori, et oblitus reservati possit à quocumque absolvi. 598. Quæritur III. An per confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio. Quæritur IV. Quid, si confessio fuerit sacrilega. 599. Qui possint absolvere à reservatis. An Pœnitentiarii. An Mendicantes possint absolvere à casibus Episcopis, vel ab Episcopis reservatis. (Sed vide dicenda l. 7, n. 99.) 600. Quæritur I. Utrum in dubio, an pœnitens incurrit casum reservatum, possit à quocumque absolvi. Quæritur II. Quid, si postea pœnitens cognoscat peccatum ut certum. 601. Quæritur III. An, qui peccavit in confidentiam licentiæ. Quæritur IV. An licentia valeat pro peccatis etiam post illam commissis. 602. Quæritur V. An moniales subiaceant reservationi factæ ab Episcopo. Quæritur VI. An subiaceant Moniales exemptæ. Quæritur VII. An Episcopus quoad clausuram possit casus Monialium reservare.

DUBIUM V. — *Quid sit Officium, et obligatio Confessarii.* . . . . . Pag. 58

603. Quid sit Officium Confessarii. Quando autem possit aut debeat Confessarius differre absolutionem. (Remissive ad n. 462, et seq.) 604. Quæritur I. An possit Confessarius negare absolutionem ei, qui adhæret sententiæ probabilis. Quid, si adhæreat sententiæ falsæ, sed probabilis putatæ. 605. Quæritur II. An expediat Confessario uti sententiis rigidioribus, vel benignioribus. 606. Quos Confessarius possit vel nequeat absolvere. 607. Quomodo Confessarius teneatur rudiores interrogare. 608. Quomodo eos instruere, et disponere, quantum potest. Monitum ad Confessarios. 609. Quomodo debeat eos monere de suis obligationibus. 610. Quid, si prævidet monitionem non profuturam. 611. Inf. I. Quid, si advertat pœnitentem invalide contraxisse Matrimonium cum bona fide. 612. Quid, si Matrimonium sit contrahendum. 613. Quid, si accedant sponsi, cum omnia sunt parata. 614. Inf. II. An debeat semper monere de restitutione facienda. Inf. III. Quid, si timentur scandala aliorum. 615. Excip. 1. Quando damnum est contra bonum commune. 616. Excip. 2. Quando pœnitens interrogat. Excip. 3. Quando brevi speratur fructus. Utrum autem in dubio de fructu et nocumento fieri debeat monitio. 617. Confessarius ministrans debet esse in gratia. Quomodo autem peccet, qui plures præbet absolutiones de mortali successive. (Remissive ad lib. 5, n. 50.) 618. Quid, si in mortali tantum audiatur Confessionem. (Remissive ad hunc lib. 6, n. 36. Et quid si urgeat necessitas absolventi. (Remissive ad n. 33. ibid.) 619. Dubitatur I. Quomodo teneatur Confessarius reparare defectus à seipso commissos. 620. Dubitatur II. Ad quid tenetur, si erravit circa valorem Sacramenti. 621. Dubitatur III. Ad quid si deobligavit à restitutione facienda. Et an teneatur ad restitutionem, si cognito errore, non moneat. Quid si culpabiliter deobligavit, cum pœnitens erat dispositus, et

postea pœnitens renuat parere monitioni. Quid, si tantum omittat monere. 622. Dubitatur IV. An possit monere pœnitentem de his defectibus, sine ejus licentia, extra Confessionem. 623. Quæ et quanta sit obligatio Confessarii audiendi pœnitentes. 624. An Confessarius non Parochus teneatur cum periculo vitæ absolvere peccatorem moribundum. 625. An tutus sit in conscientia Sacerdos simplex, qui renuit munus Confessarii exercere, si populus sit in gravi necessitate spirituali.

DUBIUM VI. — *Quæ scientia, et prudentia requiratur in Confessario.* Pag. 84

626. De obligatione intelligendi peccata pœnitentis. 627. De scientia Confessarii ad debitum iudicium formandum de peccatis. 628. Quando excusetur Confessarius minus idoneus. An Regulares teneantur intervenire Congregationibus casuum conscientie. *Ibid.* v. *Nota.* 629. De prudentia Confessarii circa interrogationes; et de obligatione interrogandi quoad peccata omissa. 630. Quid, si ei constet peccatum, quod pœnitens negat. Et quid, si illud sciat ex Confessione complicitis. 631. Hæc diligentius discutuntur. 632. De interrogationibus in materia castitatis.

CAPUT III. — *De adjunctis pœnitentiæ.* . . . . . 89

DUBIUM I. — *Quid sit sigillum Confessionis, et qui ad illud teneantur.* *Ibid.*

633. An in hac materia sigilli liceat uti opinione probabili. 634. Quomodo servari debeat sigillum. 635. Quot peccata committat qui sigillum violat. 636. Non est obligatio sigilli ex Confessione ficta, neque ex secreto commisso extra Confessionem. 637. I. Quid, si pœnitens discesserit indispositus. II. Quid in dubio, an dixerit aliquid intra vel in ordine ad Confessionem. 638. In quibus casibus non frangatur sigillum. 639. An Confessarius possit et teneatur dare pœnitenti non absoluto schedulam Confessionis factæ, vel absolutionis acceptæ. 640. Quæ cadant sub sigillo. Cadunt I. Peccata pœnitentis etiam venialia. II. Peccata complicitis. An liceat interrogare de complice. (Remissive ad n. 491.) 641. Dubitatur I. An liceat monere complicem ex licentia pœnitentis. Dubitatur II. Quomodo cadat sub sigillo etiam objectum peccati. Dubitatur III. Cadit pœnitentia imposita. Dubitatur IV. Cadunt peccatorum circumstantiæ. An cadant virtutes et revelationes. 642. An cadant defectus naturales pœnitentis. 643. Quid si tales defectus per se pateant, nempe si pœnitens sit blæsus, surdus, etc. 644. Quid si sit scrupulosus. Et quid si Confessarius advertat intra Confessionem pœnitentem esse surdum. 645. Qui teneantur ad sigillum. Tenetur I. Confessarius. 646. Quomodo debeat Confessarius respondere, si interrogetur, an audierit aliquod peccatum, vel an absolverit. 647. II. Superior requisitus pro licentia peccati reservati. III. Interpres. IV. Qui audit Confessionem furtive, aut casu, vel ex necessitate, puta in naufragio, etc. V. Is, cui sacrilege revelatum est peccatum. VI. Confessarius fictus. VII. Doctor consultus. VIII. Scriptor Confessionis. IX. Confessionem scriptam legens. X. Juxta aliquos etiam pœnitens, sed hoc improbabilius. 648. Fusius discutitur quæstio I. An Doctor consultus à Confessario de licentia pœnitentis teneatur ad sigillum. 649. Queritur II. An teneatur is, quem consultus pœnitens pro Confessione faciendâ. 650. Queritur III. An qui legit Confessionem alterius scriptam. 651. Quomodo debeat esse licentia data à pœnitente ad loquendum. Debet esse I. Expressa. II. Libera. III. Non revocata. IV. Sufficit autem si detur voce. V. Vel si detur facto, scilicet si pœnitens incipiat loqui. 652. An Confessarius possit loqui de peccatis cum pœnitente statim post absolutionem. An possit monere pœnitentem de errore in Confessione commisso. (Remissive ad n. 622.) 653. An possit loqui intra

Confessionem de auditis in alia. 654. An frangat sigillum Confessarius dicendo, audisse se in aliquo loco tale peccatum. Dubitatur I. An violet sigillum manifestans peccata alicujus loci. Dubitatur II. Quid, si dicat, Religiosum alicujus Conventus, vel Ordinis commisisse tale peccatum. 655. An liceat uti notitia Confessionis ad externam gubernationem. Vide quæ sunt apud Busembaum. 656. Dubitatur I. An Confessarius, ob peccatum subditi auditum, possit eum amovere ab officio. 657. Dubitatur II. An possit negare suffragium ei, quem ex Confessione noverit indignum. Et an ad hoc possit uti aliquo prætextu. An Confessarius possit uti notitia Confessionis ad custodiendas res suas, aut ad diligentius invigilandum, aut ad alia. 658. Dubitatur III. An possit negare Communionem, aut Ordinem, aut assistentiam in Matrimonio pœnitenti sine absolutione dimisso. 659. Dubitatur IV. An possit uti notitia Confessionis ad cavendum ab insidiis sibi paratis. An possit se celare à pœnitente, quem per Confessionem alias noverit in plura crimina solere prolabi, etsi alii relationem non advertant. Et an possit aufugere à pœnitente indisposito, qui eum minis exteret, si non absolvat. 660. Dubitatur V. An possit celebrare in Ecclesia, quam ex Confessione noverit pollutam. Dubitatur VI. An tenearis pergere ad confitendum ei, quem solveris ex Confessione non esse Confessarium. 661. Confessarius non tenetur cavere quascumque leves suspiciones aliorum.

DUBIUM II. — *Quale sit præceptum, et quæ obligatio Confessionis.* Pag. 113

662. Quos, et quando obliget hoc præceptum. Et quomodo computetur tempus annuæ Confessionis. 663. An præceptum divinum Confessionis obliget extra articulum mortis. 664. Quomodo obliget juramentum Medicorum non visitandi infirmos non confessos. (Vide etiam lib. 3. n. 182.) 665. Qui teneantur ad præceptum Confessionis. 666. An impuberes. An isti possint absolvi, si dubitetur de usu rationis. (Remissive ad n. 432.) 667. An obligetur ad Confessionem annualem habens sola venialia. 668. An, qui non satisfecit præcepto, teneatur ad illud quamprimum. 669. Et an per Confessionem, quæ fit anno sequenti, satisfiat præcepto etiam antecedentis. 670. An in Paschate sit obligatio confitendi proprio Parocho. 671. An teneatur quis aliquando confiteri ante finem anni. 672. An satisfiat præcepto per Confessionem invalidam. 673. Qui ab hoc præcepto excusentur. 674. Pœnæ in transgredientes hoc præceptum.

## APPENDIX.

675. DE CONFESSARIIS SOLLICITANTIBUS. . . . . 119

§ I. — *Perpenduntur clausule in præfata Bulla Gregorii XV appositæ.* . . . . . 120

676. De clausula I. *In actu sacramentalis Confessionis.* 677. De clausula II. *Ante vel post immediate.* 678. De clausula III. *Occasione, vel prætextu Confessionis.* Quid importet to, *occasione Confessionis.* Dubitatur I. An denunciandus, qui sollicitat mulierem rogantem, ut eras eam audiat. Dubitatur II. An qui, audita fragilitate mulieris, postea domi eam sollicitat. 679. Quid importet to, *prætextu Confessionis.* Et quid, si ex conducto mulier, fingens se ægotam, advocet Confessarium ad peccandum. 680. De clausula IV. *In Confessionario aut in loco quocumque. . . . simulantes ibidem Confessiones audire.* Quid importet illud *simulantes.* Et quid si Confessarius sollicitet in Confessionario, sine simulatione tamen Confessionis.

§ II. — *Quinam sollicitantes debeant denunciari.* . . . . . Pag. 125

681. Quæritur I. An denunciandus Confessarius consentiens mulieri sollicitanti. 682. Quæritur II. An Confessarius, qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus. 683. Quæritur III. An Confessarius sollicitans ad actus venialiter tantum inhonestos. 684. Quæritur IV. An sollicitans ad peccata non turpia. 685. Quæritur V. An denunciandi Episcopi sollicitantes. 686. Quæritur VI. An denunciandus Confessarius sollicitans, si fuerit emendatus. 687. Quæritur VII. An, qui de sollicitatione jam convictus est, et punitus. Quæritur VIII. An, qui consentit mulieri sollicitanti, ne ab ea accusetur. Quæritur IX. An simulans Confessionem ex conducto, ad tractanda inhonestas. 688. Quæritur X. An denunciandus laicus, vel Clericus sollicitans in Confessione, simulando se Confessarium. Et quid, si sit Sacerdos, sed careat jurisdictione. 689. Quæritur XI. An denunciari debeat poenitens sollicitans Confessarium. 690. Quæritur XII. An denunciandus interpres sollicitans poenitentem. 691. Quæritur XIII. An Confessarius sollicitans mulierem, ut inducat aliam ad secum peccandum, vel ut ipsa peccet cum alio. 692. Quæritur XIV. An Confessarius sollicitans, postquam decesserit.

§ III. — *Quinam teneantur denunciare.* . . . . . 132

693. An possit absolvi mulier sollicitata, antequam denunciaret. Et an facta denunciatione, possit quivis Confessarius absolvere ab excommunicatione contracta ob denunciationem neglectam. 694. An semper Confessarius teneatur monere de obligatione denunciandi. 695. Quæritur I. An teneantur denunciare, qui non possunt probare denunciationem. Et qui aliunde sollicitationem sciunt. 696. Quæritur II. An sit obligatio denunciandi, si crimen sit occultum. 697. Quæritur III. An, si sollicitatio fuerit habita à longo tempore. 698. Quæritur IV. An teneatur ad denunciandum, qui scit sollicitationem sub secreto. 699. Quæritur V. An sit obligatio denunciandi per Epistolam, vel internuncium. Et an Confessarius teneatur aliquando denunciationem excipere, vel deferre. 700. Quæritur VI. An teneatur denunciare mulier sollicitationi consentiens. 701. Quæritur VII. An sit obligatio denunciandi, si speretur sollicitans per correptionem emendandus.

§ IV. — *De sollicitationibus dubiis.* . . . . . 138

702. Quæritur I. An denunciandus sit Confessarius in dubio, an vere sollicitaverit. Quid, si accedant vehementia indicia de sollicitatione. 703. Quæritur II. An denunciandus Confessarius qui laudat mulierem de pulchritudine. Vel qui dat ei magnum donum. 704. Expenduntur varii casus peculiare sollicitationis. 705. De poenis sollicitantium, et signanter de poena inhabilitationis ad celebrandum; et an hæc incurratur ante sententiam. Et an ab illa excusentur ignorantes. Et an Episcopi possint in ea dispensare.

TRACTATUS V.

DE EXTREMA UNCTIONE ET ORDINE.

CAPUT I. — *Quid sit Extrema Unctio, et quæ circa eam observanda.* 142

706. Quid sit hoc Sacramentum. Et an à Christo institutum. 707. Quæritur I. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur. Quæritur II. An conferatur gratia, recedente obice. 708. De materia remota hujus Sacra-

menti. An præceptum quotannis renovandi oleum obliget sub gravi. Et an possit addi oleo benedicto aliud non benedictum. 709. An oleum debeat esse olivarum, et an benedictum. Dubitatur I. An benedictio requiratur de necessitate Sacramenti. Dubitatur II. An debeat esse benedictum præcise in ordine ad Extremam Unctionem. Dubitatur III. An hæc benedictio possit à Papa committi simplici Sacerdoti. Dubitatur IV. An sufficiat ungere una gutta olei. 710. De materia proxima. An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti. An sit necessaria unctio gemina oculorum, etc. Et an unctio renum, ac pedum. An ordo unctionum sit de necessitate. Et quæ spectent ad essentiam hujus Sacramenti. 711. De forma. Dubitatur I. An forma omnino debeat esse deprecativa. Dubitatur II. An sint de essentia verba. *Per suam piissimam misericordiam.* Dub. III. An valeat forma dicendo: *Ungo te,* etc. 712. Quibus ministranda sit Extrema Unctio. 713. Dubitatur I. An valide conferatur sano. Dubitatur II. An infirmo quocumque morbo laboranti. Dubitatur III. An mulieri laboranti in partu. 714. Dubitatur IV. An licite ministraretur in solo periculo putato. Advert. 1. Non esse expectandam extremam partem vitæ. Advert. 2. Non licite ministrari, nisi imminet periculum proximæ mortis. Quid in dubio, an instet mortis periculum. 715. Dubitatur V. An hoc Sacramentum possit iterari in eadem infirmitate. 716. Quæ dispositio requiratur in suscipiente. Et an Extrema Unctio sit danda post Viaticum. 717. An sit ministranda pueris. 718. Dubitatur I. An infantes sint capaces hujus Sacramenti. 719. Dubitatur II. An danda pueris de quorum usu rationis dubitatur. 720. Dubitatur III. An possit dari puero doli capaci, sed non adhuc Communioni apto. 721. Dubitatur IV. An possit dari adulto infirmo statim post Baptismum. 722. De Ministro hujus Sacramenti. An quivis Sacerdos possit illud dare ex consensu Parochi præsumpto. Quid sancitum sit de Regularibus. 723. Quid, si pastor absit, vel nolit dare. Et quid, si sit excommunicatus, aut suspensus. 724. An liceat dare hoc Sacramentum sine Ministro. Et an possit unus unam, alius aliam partem inungere. An solus Sacerdos possit illud ministrare. Quid, si ministrans inter unctiones deficiat. 725. An Sacerdos incurrat irregularitatem, si æger decedat, dum eum revolvit, etc. 726. De administratione hujus Sacramenti. An liceat aliquando ministrare sine vestibus sacris. 727. Quale peccatum sit omittere orationes, vel alias preces. 728. Quale, deferre oleum sine lumine. Et quale, omittere signum crucis. Et an liceat Sacerdoti deferre oleum una cum Viatico. 729. An teneatur Pastor dare hoc Sacramentum petentibus, et an cum periculo vitæ. An teneantur dare alii Sacerdotes. 730. An liceat Parocho oleum retinere domi. 731. De effectibus hujus Sacramenti. An per Extremam Unctionem remittantur mortalia per se. Et an principalis ejus effectus sit remissio peccatorum, vel remissio reliquiarum peccati. 732. De subjecto hujus Sacramenti. An sint capaces amentes. An ebrii. An impoenitentes, excommunicati, et vulnerati in rixa. An phrenesi laborantes. An muti, surdi, et cæci à nativitate. 733. An peccet graviter, qui negligit hoc Sacramentum suscipere.

CAPUT II. — *De sacramento Ordinis.* . . . . . Pag. 163

DUBIUM I. — *Quid sit Ordo, quotuplex, et quæ ejus materia.* . . . Ibid.

734. Quid sit Sacramentum Ordinis, et quot sint Ordines. Et an prima Tonsura sit Ordo. 735. Quid sit Ordinatio, et quid Ordo. Et quinam sint effectus Ordinis. Definitio cujusvis Ordinis. 736. An singuli septem Ordines sint Sacramenta. 737. Sententia auctoris. 738. An Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio. 739. Quæ sit materia remota, et quæ proxima hujus Sacramenti. 740. Dubitatur I. An Materia, et forma Ordinis sint à Christo in-

specie determinatæ. (Remissive ad n. 12. de Sacram.) 741. Dubitatur II. An valide ordinetur Latinus per materiam Græcis assignatam. 742. Dubitatur III. An requiratur contactus instrumentorum. 743. Dubitatur IV. An contactus physicus. 744. An ab eodem Episcopo debeat dici forma, et tradi materia. Et an ab eodem, qui confert Ordines, debeat Missa celebrari. 745. De materia cujusque Ordinis. An materia Acolythatus sit traditio urceolorum, vel candelabri. 746. Quæritur I. Quæ sit materia, et forma Subdiaconatus. Dubitatur I. An sit calix cum patena, vel liber Epistolarum. 747. Dubitatur II. An calix et patena debeant esse consecrata. Et an peccet graviter Subdiaconus, ministrando in mortali. (Remissive ad num. 38.) 748. Quæritur II. Quæ sit materia et forma diaconatus. 749. Quæritur III. Quæ sit materia et forma Presbyteratus. 750. Dubitatur I. An requiratur ad valorem traditio utriusque speciei, nempe vini et hostiæ. 751. Dubitatur II. An valide ordinetur, qui tangit hostiam, et non patenam. 752. Dubitatur III. An qui tangit calicem et patenam, sed non hostiam. 753. Dubitatur IV. An qui tangit solum calicem, sed non patenam. 754. Clericus exercens munus Ordinis majoris, quem non habet incurrit irregularitatem. Quid, si sit laicus. (Remissive ad num. 116.) 755. De ordinatione Episcoporum. Et an ad valorem requiratur trium Episcoporum assistentia. 756. An Episcopus possit conferre primam Tonsuram extra suam Diocesim. 757. Quid agendum in dubio, an Ordo sit collatus. 758. Quomodo supplendi sint defectus in Ordinatione commissi. 759. Et an supplendi tempore statuto ad Ordinationem. 760. Quinam Episcopus possit ordinare. (Vide etiam infra à num. 769.) 761. Quis sit Minister Ordinis. 762. Quæritur I. An possit esse Minister quisvis Sacerdos ex concessione Papæ. An etiam ad conferendum Presbyteratum. Et an ad conferendum Diaconatum, et Subdiaconatum. 763. Quæritur II. An Abbates possint conferre Tonsuram, et Ordines minores, aut Litteras dimissorias concedere subditis suis non Religiosis. 764. Dubitatur I. An possint Ordines conferre suis novitiis. 765. Et an novitii debeant ordinari ab Episcopo loci novitatus, etc. 766. Dubitatur II. An Abbates ordinantes non subditos, valide ordinent. 767. An conferens Ordines Minores in mortali graviter peccet. 768. A quo Episcopo ordinari debeant Regulares. 769. Ordinatione secularium fieri debet à proprio Episcopo, alias, etc. 770. Plura notanda ex Bulla *Speculatores*. 771. Quid, si quis in una Diœcesi habeat originem, in alia domicilium, et in alia Beneficium. 772. Quid, si quis casu alicubi nascatur. 773. Quid, si quis habeat diversa domicilia. 774. Quando quis possit ordinari ab Episcopo Beneficii. 775. Dubitatur I. An Episcopus Beneficii possit dispensare in interstitiis. 776. Dubitatur II. An licite Episcopus ordinet eum, cui confert Beneficium, ut possit eum ordinare. 777. Quid, si quis in diversis Diœcesibus Beneficia habeat. Et, an studiosi contrahant domicilium. 778. Quid requiratur, ut quis ordinetur ratione domicilii. 779. An Barones, eorumque filii gaudeant domicilio feudorum. An Officiales domicilii loci, ubi degunt. 780. Quomodo possit quis ordinari ratione *familiaritatis*. Et an hoc titulo possint ordinari famuli famulorum.

DUBIUM II. — *Quæ requirantur in Ordinando.* . . . . . Pag. 189

781. Quinam valide aut invalide ordinentur. 782. An valide ordinentur infantes. 783. Quæ requirantur, ut quis licite ordinetur, apud Busembaum. 784. I. Ut sit viator, non neophytus, non infamis, hermaphroditus, irregularis, etc. An autem remaneant ordinati irregulares, etc., quos Episcopus protestatur, se non intendere ordinare. *verz.* Quær. 785. II. Animus clericandi. Dubitatur I. An peccet suscipiens Ordinem nolens ascendere ad supe-

riorem. Dubitatur II. An peccet Clericus in minoribus, si uxorem ducat. Dubitatur III. An peccet suscipiens Tonsuram ad effugiendum forum. 786. III. Ut sit confirmatus. 787. IV. Ut habeat Litteras dimissorias. Notandum 1. Episcopi regulariter tenentur per seipsos ordinare. Notandum 2. Licentia data non expirat morte concedentis. Notandum 3. Episcopus confirmatus potest dimissorias concedere, non vero suspensus, etc. Notandum 4. Potest Episcopus eas dare etiam in aliena Diœcesi existens. Notandum 5. Non potest vero Vicarius Generalis. 788. Notandum 6. Quid de Capitulo, Sede vacante. Notandum 7. Quid de Abbatibus. Notandum 8. A quibus debeant habere dimissorias Regulares. Notandum 9. Quid, si Papa det licentiam cum clausula, ut quis ordinetur à suo *Ordinario tantum*. Notandum 10. Potest Episcopus ordinare habentem dimissorias. Notandum 11. An Ordinatio debeat fieri à certo Episcopo designato. Notandum 12. Sufficit licentia oretenus. 789. Dubitatur I. An Episcopus possit ordinare alienum sub spe ratihabitionis. Dubitatur II. An Episcopus ordinans possit dispensare cum alieno super irregularitate, etc. 790. V. Examen de scientia, juxta qualitatem Ordinis suscipiendi. 791. Quæritur I. Quæ debeat scire Sacerdos, præsertim circa Sacramentum Penitentiae. Quæritur II. An illitterati sint irregulares. Quæritur III. An in Regularibus minor scientia requiratur. 792. Quid ultra notandum circa examen. VI. Titulus sustentationis, de quo infra ex n. 813. 793. VII. Ut Ordines gradatim suscipiantur. 794. VIII. Ut Ordines suscipiantur tempore debito. Utrum in festis liceat ordinare in minoribus plusquam duos. 795. IX. Ut serventur interstitia. 796. An qui eadem die suscipit duos Ordines sacros incurrat suspensionem. Quid, si in Sabbato suscipit unum, alium in Dominica. Dubitatur I. An hæc suspensio sit lætæ sententiæ. Dubitatur II. An incurrat suspensionem, qui suscipit duos Ordines sacros, non servatis interstitiis. 797. An liceat eadem die suscipere quatuor Ordines minores cum Subdiaconatu. Dubitatur I. An excuset consuetudo contraria. Dubitatur II. An taliter ordinatus incurrat suspensionem. III. An Regulares possint ordinari extra tempora. Dubitatur IV. An ipsi tunc possint ordinari in quovis festo duplici. Quid de iniiciendis in tribus diebus festivis. 798. X. Ut servetur locus debitus, et existentia Episcopi in propria Diœcesi. 799. XI. Ætas debita; alias incurritur suspensio. Dubitatur I. An eam incurrat, qui ordinatur ante ætatem ex ignorantia crassa. Dubitatur II. An mala fide ordinatus ante ætatem, possit, ea completa, Ordinem exercere. Dubitatur III. An incurrat irregularitatem suscipiens Sacerdotium ante ætatem. An autem irregularitatem incurrat, qui ordinatur irretitus censura. Vid. *ibid.* V. *Utrum*. 800. Quomodo computanda ætas. Dubitatur I. An possit ordinari mane, qui vespere complet ætatem. Dubitatur II. An computandus annus bissextilis. 801. XII. Exercitium ordinis suscepti. XIII. Sumptio Eucharistiæ. XIV. Probitas vitæ. 802. XV. Vocatio divina. Quæ sint ejus signa. 803. An peccet graviter, qui sine vocatione ordinatur. An peccet Episcopus hunc ordinans. 804. Hæc vocatio tanto magis requiritur ad Episcopatum, et Parochiam suscipiendam. 805. Quæ sint Officia Ordinarum.

§ I. — *De obligatione cælibatus.* . . . . . Pag. 217

806. Quomodo hæc obligatio probetur. 807. Quæritur I. An ipsa sit de jure divino. 808. Quæritur II. An sit ex præcepto Ecclesiæ, vel ex voto. 809. Dubitatur I. An ignorans tale votum teneatur ad castitatem. Dubitatur 2. An, qui expresse nollet castitatem vivere. 810. Quid, si quis ordinatus sit ante usum rationis. Et quid, si ante pueritatem. 811. Quid, si ordinetur ob metum. 812. Quæritur III. Quomodo conjugatus, constante Matrimonio,

possit in sacris ordinari. Dubitatur I. An istius uxor teneatur Religionem profiteri. Dubitatur II. An talis uxor possit nubere.

§ II. — *De obligatione habendi titulum.* . . . . . Pag. 222

813. Pœna in contravenientes. 814. De titulo *Paupertatis*. 815. De titulo *Beneficii*. Notandum 1. Juxta cujus Diœcesis taxam desumenda sit sufficientia *Beneficii*. Notandum 2. Quid, si defectus sit modicus. Notandum 3. Quid veniat nomine *Beneficii*; an stipendia *Missarum*. 816. Et an sufficiat *Beneficium* de futuro. 817. De titulo *Patrimonii*. 818. Quæritur I. An quis possit ordinari ad titulum suæ industriæ. 819. Quæritur II. An pater teneatur assignare patrimonium filio volenti ordinari. 820. Quæritur III. An incurrat suspensionem, qui ordinatur sine titulo. 821. Dubitatur I. An, qui ordinatur cum patrimonio ficto. 822. Dubitatur II. An, qui ordinatur, data fide de reddendo illud donanti. 823. Dubitatur III. An, qui post *Diaconatum* illud donanti renunciat. 824. Dubitatur IV. An ordinatus possit patrimonio renunciare, si habeat aliunde sustentationem.

§ III. — *De obligatione deferendi habitum, et Tonsuram.* . . . . . 230

825. Quæritur I. An peccent graviter Clerici non deferentes habitum. 826. Quæritur II. An non deferentes *Tonsuram*. 827. Quando isti ob habitum, et *Tonsuram* dimissam amittant privilegium fori, et Canonis. 828. Ad quid teneantur Sacerdotes vi *obedientiæ*, quam promittunt Episcopo. An possint Religionem ingredi, Episcopo contradicente. 829. Quæ obligatio sit de *Missis*, et precibus quæ ab Episcopo imponuntur ordinatis. 830. De statutis in concordato nostri Regni.

## TRACTATUS VI.

### DE MATRIMONIO.

CAPUT I. — *De Sponsalibus.* . . . . . 236

DUBIUM I. — *Quid sint Sponsalia.* . . . . . Ibid.

831. Promissio sponsalitia, ut sit valida, debet esse *voluntaria* et *deliberata*. 832. An teneatur ad *Matrimonium* fecte promittens sponsalia alteri repromittenti. 833. Quid, si quis voluit promittere, sed non se obligare. 834. Quando obligentur pueri. 835. An sint valida sponsalia contracta per dolum. 836. Promissio debet esse *mutua*. Quæritur I. An acceptans sponsalia intelligatur repromittere. 837. Quæritur II. An quis possit se obligare ad nuptias vi gratuitæ promissionis, et an hæc obliget sub gravi. 838. Promissio debet esse *expressa signo*. Quid, si parentes contrahant pro filiis tacentibus. 839. Dubitatur I. Quid, si extranei. Dubitatur II. An sufficiat, si parentes promittant pro filiis absentibus. 840. Sponsalia debent fieri *inter habiles*. Quid, si verba vel signa sint dubia. 841. Verba de præsentibus apta ad *Matrimonium* inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in *Matrimonio* clandestine contracto. 842. An sufficiat ad sponsalia, dicere: *Non ducam aliam, quam te*. 843. An dicere: *Contraham, si Papa dispensaverit*. An sufficiat subarrhatio annuli, et missio munerum. Quid, si parentes anulum mittant. 844. Quæritur I. An sponsalia contracta per metum gravem sint per se nulla. Quæritur II. Quid, si per metum levem. Quæritur III. An, qui contraxit ex metu levi, possit sponsalia rescindere.

DUBIUM II. — *Quæ, et quanta sit obligatio sponsalium.* . . . . . Pag. 245

845. Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum *Matrimonium*. 846. An Judex possit, et debeat cogere nolentes ad *Matrimonium*. 847. An fornicatio sponsæ, vel sponsi cum alia sit specie diversa. Fecte promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorsit à virgine. (Vide etiam dicta de Rest. l. 3, ex num. 642.) 848. Si quis cum duabus sponsalia contraxit, et cum secunda coierit, quam ducere debeat. 849. De filiis nuptias contrahentibus insciis parentibus. An tales nuptiæ sint validæ. Quæritur I. An et qualiter peccent filii nubentes parentibus insciis vel inconsultis. Quid, si sponsalia fuerint jurata. Quid si sponsus post illa virginem defloraverit. An Prælati teneantur has nuptias impedire. Ex quibus autem causis excusentur filii contrahentes sine consensu parentum. 850. Quæritur II. An teneatur filius obedire patri præcipienti *Matrimonium*. 651. Quæritur III. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia. 852. Resiliens perdit arrhas, etc. Notandum I. Quid, si mulier promittit aliquid viro, ut eam ducat, et quid è converso. 853. Notandum II. De pœna apposta in resilientem. Quæritur I. An liceat adicere pœnam in resilientem injuste. Quæritur II. An juste resiliens teneatur ad pœnam promissam cum juramento. Quæritur III. An, soluta pœna, teneatur recipiens eam restituere. Quæritur IV. Quid, si relinquatur legatum puellæ, ut nubat cum aliquo, et illa cum alio nuptias contrahat. Quæritur V. Quid, si legatum relinquatur ut non nubat, et illa nubat. 854. An liceant tactus et oscula inter sponsos.

DUBIUM III. — *Quomodo dissolvantur sponsalia?* . . . . . 263

855. Solvantur sponsalia I. Per *Matrimonium* cum alia. (Vide etiam de hoc num. 875.) II. Per *mutuum consensum* inter puberes. Quid, si sponsalia fuerint jurata. 856. Quomodo autem solvantur inter impuberes. Quid, si ipsi juramento promiserint nuptias. 857. III. Per *impedimentum dirimens* superveniens. Dubitatur I. An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis. 858. Dubitatur II. An nocens teneatur petere dispensationem. 859. Dubitatur III. An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant. 860. IV. Per *crimen alterius*. 861. An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi. Dubitatur I. Quid, si sponsa fuerit per vim oppressa. 862. Dubitatur II. Quid, si uterque sponsus fornicetur. 863. V. Per *mutationem notabilem*, nempe 1. Si timeantur odia, etc. 2. Si superveniat defectus noxius. 3. Si Superveniat paupertas. 864. An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso. 865. An cum defectu non pernicioso. Et quid, si sponsa interrogetur, an sit virgo. 866. VI. Per *discessum alterius in longinquum*. Quid, si in propinquum, animo redeundi. 867. VII. Per *lapsum temporis præfixi*. Dubitatur I. Quid, si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem. 868. Dubitatur 2. Quid, si alter fuerit juste impeditus. Dubitatur III. An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur. 869. VIII. Per *suscceptionem Ordinis sacerdotii, et ingressum in Religionem*. IX. Per *votum castitatis*. 870. Distinctius de his agitur, et I. de *Professione Religiosa*. Dubitatur I. An per ingressum in Religionem solvantur sponsalia ante professionem. Dubitatur II. An, si sponsalia fuerint jurata, teneatur sponsus ante ingressum nuptias inire. 871. II. De *suscceptione Ordinum*. Dubitatur I. An peccet sponsus suscipiens Ordines sacros invita sponsa. 872. Dubitatur 2. An per susceptionem Ordinum minorum solvantur sponsalia. 873. III. De *voto ingrediendi Religionem*,

suscipiendi Ordines sacros, aut servandæ castitatis. Dubitatur I. An per votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, solvantur sponsalia etiam ex parte voventis. 874. Dubitatur II. Quid, si sponsus post votum copulam extorsit. 875. X. Rursus agit de solutione sponsalium per *Matrimonium validum* cum alia, et quaeritur, an per illud solvantur sponsalia etiam mortuo conjugē. 876. XI. An per *hereditatem novam* supervenientem. Et quid, si offeratur conjugium notabiliter melius. 877. An dissensus parentum sit causa solvendi sponsalia. 878. Dubitatur I. An ad solvenda sponsalia semper requiratur auctoritas Judicis. Dubitatur II. Quæ probatio sufficiat in foro interno, et quæ in externo.

CAPUT II. — De Matrimonio secundum se. . . . . Pag. 283

DUBIUM I. — Quid sit, quæ ejus Materia, Forma, et Minister. . . Ibid.

879. Quid sit Matrimonium. Et in quo consistat ejus essentia. 880. Quæ sit materia Sacramenti Matrimonii. 881. Ob quem finem liceat nubere. 882. Distinguntur tres fines. Dubitatur I. An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiæ. 883. Dubitatur II. An ob fines extrinsecos. 884. Quomodo peccent contrahentes in mortali. 885. Quæ requirantur ad contrahendum Matrimonium per procuratorem. 886. Quid, si, qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam Matrimonium contrahatur, mandatum ratificaverit. 887. Qualis consensus sufficiat ad contrahendum. Quid, si quis fecte contrahit. An verba sint necessaria ad valorem. 888. An sint necessaria de præcepto. 889. An sufficiat ad contrahendum donatio annuli, vel traductio sponsæ. 890. An sufficiat consensus conditionatus. 891. Quid, si conditio sit necessaria, aut turpis, aut contra substantiam Matrimonii. 892. Quid, si apponatur conditio, si *Pater consenserit*. Dubitatur I. Quid, si Pater taceat. 893. Dubitatur II. Quid si Pater primo dissentit, et postea consentit. 894. Dubitatur III. Quid, si tempore conditionis Pater erat mortuus. 895. An, impleta conditione, requiratur novus consensus. 896. In quo differat conditio à demonstratione, causa, modo, et die. 897. *Dissertatio de Ministro*, et Forma Matrimonii. 898. Solvuntur objectiones. 899. Illationes ex nostra sententia.

DUBIUM II. — De usu Matrimonii. . . . . 302

ARTICULUS I. *An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus.* . Ibid

900. Actus conjugalis illicitus est I. Si Matrimonium est nullum. II. Si Matrimonium est dubium. 901. Quaeritur I. An liceat contrahere cum dubio de impedimento. 902. Quaeritur II. An cum opinione probabilis de insubstantia impedimenti. Quaeritur III. An cum opinione probabilis probabilitate facti. 903. Quaeritur IV. An in dubio de valore Matrimonii jam contracti liceat petere et reddere. Et signanter, an uxor non certa de morte primi viri teneatur reddere secundo. 904. Dubitatur I. An, contracto Matrimonio bona fide, superveniente dubio, liceat petere post diligentiam. 905. Dubitatur II. Quid si adsit opinio probabilis tantum pro nullitate Matrimonii. 906. Dubitatur III. An, nuptiis initis cum dubia fide, dubitans post diligentiam possit petere. 907. Dubitatur IV. An in dubio positivo judicandum sit in favorem Matrimonii contracti. 908. An conjux teneatur credere alteri asserenti, se fecte consensisse. Quid, si audiat impedimentum à testibus fide non dignis. Quid, si audiat ab uno fide digno. 909. III. Illicita est copula, si fiat cum periculo sanitatis. Dubitatur I. An liceat petere, si alteruter conjugum laborat lepra, morbo gallico, et simili. 910. An liceat petere post balnea, aut sectionem

venæ, vel cum febris? vel an statim post prandium. 911. Dubitatur II. An tempore lactationis. 912. IV. Si fiat ob voluptatem. 913. V. Si fiat mento adultera. Quid, si conjux ad se excitandum delectetur de pulchritudine alterius personæ. 914. Quid, si delectetur de copula aliena. 915. VI. Si fiat modo indebito. 916. Quaeritur I. An sit mortale inchoare copulam in vase præposito. 917. Quaeritur II. An coire situ innaturali. 918. Quaeritur III. An cohibere seminationem post copulam inceptam. 919. An autem uxor, viro se retrahente post seminationem, possit ipsa statim tactibus se excitare ad seminandum. 920. VII. Si fiat loco indebito. (Remissive ad l. 3, n. 458.) 921. VIII. Si fiat tempore indebito. 922. Quaeritur I. An liceat conjugi coire die Communionis. Remissive ad n. 273 et 274, l. VI.) 923. Quaeritur II. An in diebus festis. 924. Quaeritur III. An tempore prægnationis. An autem, secluso periculo abortus, sit venialis coitus cum prægnante. 925. Quaeritur IV. An liceat coire tempore menstrui. 926. Quaeritur V. An tempore purgationis post partum. 927. Licitus est autem usus Matr. I. Propter prolem. II. Ad vitandam incontinentiam. (Vide dicta num. 882. Dub. 1.) III. Propter alios fines honestos. (Vide dict. n. 883. Dub. 2. 928. Quaeritur I. An aliquando vir teneatur petere. 929. Quaeritur II. An aliquando uxor. 930. Quaeritur III. An conjux prohibitus petere ob votum, vel affinitatem contractam, possit aliquando petere. 931. Quaeritur IV. An liceat petere excommunicato, et an ab excommunicato. 932. An et quando liceant tactus, aspectus, et verba turpia inter conjuges. 933. Quaeritur I. An sint mortales inter ipsos tactus et aspectus turpes, secluso periculo pollutionis. 934. Quaeritur II. Quid, si periculum pollutionis jam prævideatur. 935. Perpenduntur quidam tactus enormiter turpes. 936. Quaeritur III. An peccet graviter conjux turpiter seipsum tangens, altero absente. 937. Quaeritur IV. An, si morose delectetur de copula habita vel habenda?

ARTICULUS II. — *An actus conjugalis sit præceptus et debitus.* . . Pag. 333.

938. Conjuges per se tenentur reddere, et quandoque etiam petere. 939. Teneantur etiam ad cohabitationem, nisi adsit justa causa excusans. Dubitatur I. An possit vir expellere uxorem ob dotem non solutam. Dubitatur II. An teneatur eam alere, non solum dote. Dubitatur III. An, si ipsa adulterium commiserit. 940. De obligatione reddendi debitum. Quaeritur I. An sit mortale negare debitum semel vel bis. Quid, si alter remisit petat, vel si precibus cedat. Quid, si immoderate petat. Quid, si alter differat reddere ad breve tempus. 941. Quaeritur II. An multiplicitas filiorum possit esse causa justa negandi debitum. 942. Peccat conjux reddens se impotentem. 943. Quaeritur I. An conjux teneatur reddere alteri illicite petenti. 944. Dubitatur I. Quid, si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis, etc. 945. Dubitatur II. Quid, si petens sit incestuosus. 946. Quaeritur II. An conjux teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali. 947. Quaeritur III. An liceat reddere, vel petere à viro volente seminare extra vas post copulam inceptam. 948. An conjux teneatur et possit reddere, si mutuo cum altero voverit castitatem. Quid, si alter sit amens, vel ebrius. 949. Incestuosus, et vovens castitatem non potest petere, sed teneatur reddere. 950. Conjux non tenetur reddere cum gravi damno suo, vel prolis. An teneatur reddere alteri laboranti morbo contagioso. Quid, si damnum sit leve, et alter sit leprosus. Quid, si damnum sit grave. An tunc possit reddere. Ex quibus causis possit conjux reddere cum gravi periculo salutis. 951. An conjux possit reddere cum periculo prolis. 952. An teneatur reddere uxor laborans febris, vel tempore menstrui, aut prægnationis. aut si alter petat modo innaturali.

953. Quid, si uxor experta sit in pariendo periculum mortis, vel filios se parere mortuos. 954. An aliquando liceat impedire generationem. Quando peccet uxor surgens, aut mingens statim post copulam. Dubitatur I. An puella oppressa possit statim expellere semen. Dubitatur II. An liceat copulari senibus, vel infirmis plerumque non valentibus seminare intra vas.

DUBIUM III. — An, et quibus ex causis possit fieri divortium. . Pag. 347

955. Fit divortium quoad *vinculum*, I. Si habentur sufficientia indicia de morte conjugis. II. Si alter convertatur ad fidem. III. Si fit Religiosus ante consummationem. IV. Si Papa dispenset in Matrimonio rato. 956. De indissolubilitate Matrimonii. 957. An, si infidelis nolit converti, liceat fidei transire ad alias nuptias. 958. Inter fideles Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam. 959. An solvatur etiam per dispensationem Papæ. 960. Permittitur autem divortium quoad *torum*, I. ob adulterium conjugis. 961. Quæritur I. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio. 962. Quæritur II. An liceat facere divortium ob sodomiam, vel bestialitatem commissam à conjugē. Quæritur III. An ob copulam sine seminatione. 963. Quæritur IV. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere. 964. Quæritur V. An uxor teneatur divertere à viro adultero. 965. Et an conjux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum. 966. Quæritur VI. In quibus casibus conjux nequeat divertere ab adultero. I. Casus, si uterque sit reus adulterii. II. Si conjux consentiat in adulterium alterius. III. Si adulterium accidat sine culpa. IV. Si injuria remittatur. 967. Dubitatur I. An, facto divortio per sententiam judicis, possit conjux innocens adulterum ad se revocare. Dubitatur II. Quid, si facto divortio, innocens etiam adulteretur. 968. Dubitatur III. An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate. 969. Facta juridica separatione, vir potest ingredi Religionem, aut fieri Sacerdos, invita adultera; adultera vero id non potest nisi de licentia alterius. 970. Permittitur II. Divortium ob sævitiam alterius. 971. Quæritur 1. An ob hanc causam possit conjux recedere propria auctoritate. Quæritur 2. An possit fieri Religiosus, altero invito. Quæritur 3. Qualis timor sufficiat ad faciendum divortium ob sævitiam. 972. Quæritur 4. An sola verbera sint justa causa divortii. 973. Permittitur III. Divortium conjugī, si alter trahat eum in peccatum. 974. Permittitur IV. Imo aliquando præcipitur divortium ob hæresim alterius. 975. Permittitur V. Ob mutuum consensum. 976. Facto divortio, apud quem sint filii educandi. Et ejus conjugis expensis. 977. An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem.



NU  
BLIOT